8
3 I
28

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
12. c.

5 – E –

5.3.9.
5
E
9

VINCENTII
CICONIÆ VERON.
ENARRATIONES
IN PSALMOS.

Franciſcus Morandus Sirena.

Ieſſci Vatis dum carmina myſtica pandis:
Diſpeream, uatis ni tibi ineſt anima.
O utinam quicunque aras ſumpſere regendas,
Talibus in ſtudiis otia contererent.
Non ita magna Dei fœdis uiolare tenebris
Verba, ſati auderent crinibus Eumenidum.
Quos, ut in anguineos graſſata Ciconiapullos,
Tu calami, & uocis præditus arte, necas,
Illa pium ob facinus fertur nituiſſe per oras
Niliacas, titulis, muneribusq; deûm.
Nec diuerſa manent tandem te præmia, cerno,
Cerno oculis, quæ dent Diiq; hominesq; tibi.

PATAVII,
Ex Officina Laurentij Paſquati,
M D LXVII.

8, 3. I. 28

Pſalmi, qui explicantur.

Beati immaculati in uia.	*Pſal.*	*CXVIII.*
Ad dominum cum tribularer clamaui.		*CXIX.*
Leuaui oculos meos in montes.		*CXX.*
Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi.		*CXXI.*
Ad te leuaui oculos meos.		*CXXII.*
Niſi quia Dominus erat in nobis.		*CXXIII.*
Qui confidunt in Domino.		*CXXIIII.*
In conuertendo Dominus captiuitatem.		*CXXV.*
Niſi Dominus ædificauerit domum.		*CXXVI.*
Beati omnes, qui timent Dominum.		*CXXVII.*
Sæpe expugnauerunt me a iuuentute mea.		*CXXVIII.*
De profundis clamaui ad te Domine.		*CXXIX.*
Domine non eſt exaltatum.		*CXXX.*
Memento Domine Dauid.		*CXXXI.*
Ecce quam bonum, & quam iocundum.		*CXXXII.*
Ecce nunc benedicite Domino.		*CXXXIII.*

A,

SANCTISS. AC BEATISS. DD. N. PIO Q. PONT. MAX.

vincentius ciconia.

CVM ſuperioribus diebus Sanctiſsime, ac Beatiſs. Pater Pſalmos illos celeberrimos, qui ubiq; in tota Christi Eccleſia frequentiſsimè decantãtur, Beati immaculati in uia; & Graduales ſequentes, cum multa tum animi mei, tum audientium conſolatione enarrandos ſuſcepiſſem, & in eis, perpetuam quandam diuinæ legis, cæterarumq; virtutum commendationem animaduerterem, quæ in eis commentatus eram cum memoria repetiuiſſem, ſcriptis mãdare ſtatui, ut ſub tuo feliciſs. nomine, feliciſsimiſq; auſpicijs ad aliorum quoque vtilitatem in lucem prodirent. quando præſertim hoc ipſo tempore illud unũ te authore & impulſore agatur, vt diuini eloquij fons, qui hæreticorum impietate obſtructus penè eſſe videbatur, aperiatur, & in omnes terræ fines per ſuos riuulos deriuetur, vnde fertiliſsima bonorum omnium & virtutum ſeges nobis exoriatur. Cæterùm omnem ego ſuſcepti à me laboris fructum S. Tuæ

dicandum eſſe putaui, quòd tibi uni præcipuè ſit debitum, qui Summus es in tota Chriſti Eccleſia Paſtor. Cum itaq; ego una ex ouiculis fidei Sanctitati tuæ creditis ſim, quicquid habeo lactis, & lanæ, me ipſum ſcilicet, meaq; omnia iure optimo tibi uni debeo. Verum ea tanto Paſtore digna non eſſe uehementer doleo, ſed qualiacunque ſint, ea tuis beatisſimis pedibus aduolutus, eosq; animo Sanctitati tuæ deditisſimo ſummiſſe exoſculans offero. Ipſe Dei filius, cuius tu uices geris in terris, te diu Eccleſiæ ſuæ ſeruet incolumen.

DE AVTHORITATE VERBI DEI, deq́ miniſterio, & uſu ipſius

Præfatio ad Lectorem.

VErbum Dei optime lector eſt, quicquid ipſe Deus per ſemetipſum, quicquid per Angelos, & Prophetas ſuos, quicquid p̄ Filiũ, & per Apoſtolos illius locutus eſt. Per ſemetipſum, ſi Philoni Hebræo credere fas eſt, ſemel tantùm locutus eſt Deus, ut uidere eſt exod. 20. et Dauid teſtatur pſalmo. 61. ſemel, inquit, locutus eſt Deus. Per Angelos autem ſæpiſſimè, ut ex ipſa ſacra hiſtoria, & Act. 7. ſatis conſtat. Multifariam autem, multiſq́ modis, ut docet D. Paulus Heb. 1. per Prophetas. Nouiſſimè autem per Filium, & per Apoſtolos ipſius, nobis locutus eſt. Multis autem, iiſq́ apertiſſimis argumẽtis declaratum eſt, patres illos, & ſanctiſſimos viros non à ſemetipſis, ſed diuino quodã potius inſtinctu incitatos, locutos fuiſſe, et poſteros ſuos ſpiritu Dei afflatos docuiſſe, ut meritò doctrina, & diſciplina illorum ceu diuinum oraculũ habita ſit, & pro uerbo Dei recepta. quam quidẽ non litteris, ſed viua voce ad poſteros de manu (quod aiunt) in manum tradebant, & hieroglyphicis .i. animalium notis docebant, id quod ad Moſis vſq; tẽpora obſeruatum eſt. qui cũ primus litterarum characteres, & ſcribẽdi rationem

à Deo accepiſſet, doctrinam illam, & diſciplinã, quã acceperant, ſcriptis mandauit, & poſteritati conſecrauit. Primus enim omnium à Deo edoctus ſcripſit Moſes, nec memoria proditum eſt, quẽquam ante Moſen ſcripſiſſe, aut cuiquam fuiſſe mandatum, ut ſcriberet, ſicuti Moſi mandatum fuit, exo. 17. Græcas autem literas longè poſt à Cathmo ſub Othoniele duce Iſraelitico, Latinas uero à Carmente ſub Iairo itidem duce repertas, & ab ipſis Phœnicibus mutuo acceptas fuiſſe, non eſt ambigendum, quando id grauiſſimi & uetuſtiſſimi auctores aſſerant. Quòd uero litteræ ſint diuinitus traditæ, ipſe quoq; Plato affirmat, Teuth, quod Ægyptijs Deum ſonat, earum inuentorem fuiſſe. Cũ itaque Moſes ſcribendi rationem à Deo per tabulas digito Dei ſcriptas, quaſi per exemplaria didiciſſet, & ſcribendi mãdatum accepiſſet, idem docuit Ioſue. A Ioſue autem (ut Moſes Ægyptius teſtatur, & uetus hebræorum traditio habet) uiri magnæ ſynagogæ didicerunt. ex quorum numero fuere præclariſſimi illi Iudices in diſciplina, Duces in bello, in utroque uero Saluatores appellati, à quibus Prophetæ, & Sacerdotes edocti fuerunt, quibus ſolis fas erat, (ut Clemens Alexandrinus in ſuis ſtromatibus affirmat) de diuinis rebus ſcribere. quicquid enim ab his ſcripto mandabatur, id ſacrum, & diuinum prorſus habebatur, quod ab omni prorſus errore eſſet alienum. Quis enim

neget, illud eſſe diuinum, et ab omni parte abſolutum, quod à diuiniſsimis, & omnibus numeris abſolutiſsimis uiris diuinis, & ſacris notis proditum, profectúq; ſit? Iure igitur quicquid Moſes, Ioſue, Iudices, & prophetæ ſcripſere, quidquid Chriſtus Dei filius docuit, & illius Apoſtoli Eccleſiis tradidere, & ſcripſere, Verbum Dei appellatur, et eorum omnium ſcripta ſacra, & diuina habentur, quippe quæ cœleſtem, diuinamq́; doctrinam omnibus amplectendam, & ſectandam cōtinere, & à patribus & ab uniuerſa Chriſti eccleſia creditum, & receptum ſit. Hanc autem diſciplinam ideo ſcriptis mandari uoluit Deus, ut non ſolum eam æternitati commendaret, ſed etiam ut electis ſuis inſtar eſſet lydij lapidis, quo omnis omnium temporū doctrina, ac diſciplina, verane, an falſa eſſet, & adulterina, diiudicare poſſent, & haberent, quo ſe tuerentur aduerſus mendacium, & aduerſus munitiones ſathanæ, aduerſus denique omnem altitudinem ſe ſe extollentem aduerſus veritatem. Quicquid enim ab alijs poſtea traditum, & ſcriptum fuit, niſi ſcripturis ſanctis, & ſanctorum patrum Traditionibus, quæ ſemper eandem uim, & autoritatem cum diuinis ſcripturis apud omnes habuere, eſſet conſentaneum, id reijciendum, et veluti prophanum foras pellēdum eſſe ipſi Patres, et ipſe in primis Moſes docuerunt. Propterea et D. Auguſtinus ad D. Hieronymum ſcribens hac de

re certam regulam tradit. Alios (inquit) ita lego: ut quantalibet ſanctitate, doctrinaq́ præpolleant, non ideo uerum putem, quia ita ipſi ſenſerunt, ſed quia mihi uel per alios authores canonicos, uel probabili ratione, quod à uero non aberret, perſuadere potuerunt. & rurſus. Scripturis canonicis hanc ingenuè debeo ſeruitutem, qua eas ſolas ita ſequor, ut ſcriptores earum nihil omnino in eis erraſſe, uel fallaciter poſuiſſe non dubitem. Idem contra Creſconium. Nos nullam Cypriano facimus iniuriam, cum eius quaslibet literas à canonica diuinarum ſcripturarum authoritate diſtinguimus. Neque enim ſine cauſa tam ſalubri uigilãtia canon eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certè Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audemus, & ſecundùm quos de cæteris litteris, uel fidelium, uel infidelium liberè iudicemus. Hoc idem docet lib. 4. de doctrina Chriſtiana. & in lib. de orando Deum ad Paulinam. & in lib. xi. contra Fauſtum, ubi omnium ſcripta ex canonicis conſideranda eſſe demõſtrat, & quod in eis diuinarum ſcripturarum authoritati congruere uiſum fuerit, cum laude eorum, qui ſcripſerunt, ſuſcipiendum eſſe, quod uero illis nõ congruit, cum eorum pace eſſe reſpuendũ. Ex ijs autem D. Auguſtini ſententijs non ſolùm diſcere poſſumus, quanã de cauſa ipſe Deus nobis ſcripturã ſacram tradiderit, ſed quæ etiam illi adhibẽda

ſit

ſit fides, & præſtanda authoritas. Non eſt itaque dubitandum ſcripturas ſacro canone contentas, & ab Eccleſia ab ipſo uſque orbis exordio receptas Dei afflatu & inſtinctu allatas fuiſſe. ſed quia multũ refert, ut cõſideretur, quæ quiſq; dicat, & doceat, ideo de miniſtris & Doctoribus Verbi Dei nunc mihi eſt dicendum, Quamuis enim Deus has ſcripturas ad omnium manus, & notitiam uenire uoluerit, omnibusq́; idẽ, quod Ioſue, præcipiat, Nõ recedat uolumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die, ac nocte, Non propterea tamen illarum docendarum, aut interpretandarum munus omnibus commune eſſe uoluit. ſed quemadmodum illæ à certis uiris, & Deo dicatis profectæ erant, ita non niſi à certis, & Deo dicatis uiris publicè adminiſtrari, & tractari debebant; ut ex perſona quoque docentis, & interpretantis maior illis authoritas conciliaretur apud populum, & propterea illarum doctrina certior, & ſanctior haberetur, id quod (teſte Diodoro) Ægyptij quoque & Chaldæi ſeruauerunt, qui in ſua rep. obtinuerunt, ut Sacerdotes tantùm, & ad Dei cultum deſtinati ſcriberent, & docerẽt. Quod cum minimè obſeruaſſent Græci, diſcipulos ſuos incertos reddebant, & eorum animos in perpetuo errore retinebãt, faciebantq́;, ut omnia apud eos eſſent dubitationis plena. Quod ne populo ſuo accideret ſtatuit Deus, ut ſoli Sacerdotes publicè docerent. Sacerdotes

(in-

(inquit) populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum, & pollutum, mundum, & immundum oſtendent eis. & cum fuerit controuerſia, ſtabũt in iudicijs meis. & rurſus, Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legẽ requirent ex ore eius, quia Angelus domini exercituum eſt. Idem porrò eſt, Angelum domini eſſe, quod legatum, & nuntium Dei eſſe, qui nõ perfunctoriè uelut unus de populo, ſed ſeriò tanquam ad hoc præcipuè delegatus à Deo, ut interpretandi, & docendi munere fungatur. Propterea ſanctiſsima illa Iudith, cum optimè ſciret, hoc unum eſſe Sacerdotum munus, Et nũc fratres, ait, quoniam eſtis presbyteri in populo Dei, & ex uobis pẽdent animæ illorum, ad eloquium ueſtrum erigite corda illorum. Tantæ ſi quidem præſtantiæ eſt uerbum Dei, ut nõ niſi ab his tractari, & adminiſtrari debeat, qui doctrina, & moribus cæteris ſint præſtantiores. Nam neq; Athenienſes, quæ iuſta, & honeſta eſſent, non niſi a iuſtiſsimis & honeſtiſsimis uiris in ſenatu proponi uolebant, ita diuina nemo cæteris proponere debet, niſi is, qui ad hoc potisſimum eſt aſcitus. Nemo enim ſemeptipſum glorificat, ſed qui uocatur tanquã Aaron, Quod ſi quis temere hoc munus ſuſcipiat is à Deo uehemẽter arguitur. Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Exiſtimaſti inique, quod erò tui ſimilis? arguam te, & ſtatuam contra faciẽ tuam.

Hinc

Hinc fortè illud eſt, quod cum Moſes, Eſaias & Hieremias ſcirent, ſe Sacerdotes non eſſe, uerbum quoque Dei palàm alios docere detractaret. eorum. n. primus ſe bleſum, alter pollutis ſe eſſe labijs, tertius uerò ſe puerum, & fari neſcientem profeſſi ſunt, dixeruntq́. mitte Domine, quem mittis, Sacerdotes enim ut D. Auguſtinus interpretatur in quæſtionibus Exodi, quæſt 17. os domini ideo appellantur, quod legem domini interpretentur, & doceant. Qui uerò non eſſent neq; Sacerdotes, neq; Prophetæ declarati à Deo, populum tamẽ docere auderent, Pſeudoprophetæ dicebantur. qui cum minimè mitterentur, currebant tamen. & quãuis dominus illis non appareret, tamen uiſiones oculorũ ſuorum narrabant; & populum ſeducebant, dum placentia loquerentur, & ſub peccatorum cubitu puluillos cõſuebant, uerbum Dei adulterantes. Ex horum numero fuerunt ſectæ illæ potentiſſimæ Phariſæorum, & Sadducæorum, qui licet ex genere ſacerdotali non eſſent, poſt Hyrcanum Sanctiſſimum Sacerdotem, ſub Alexandræ & populi regimen, & docendi munus ſibi uſurparunt, quo factum eſt, ut quemadmodum ante Hyrcanum nemine vnquàm præter eos, qui eſſent Sacerdotes, populum docuiſſe legimus, ita poſt ipſum nemo, niſi qui Phariſæus eſſet, aut Sadduceus docuit. Stertebãt interim Sacerdotes ocio ac ſeſe luxui dabant, facileq́; patiebantur, quod ſuum erat, ac proprium munus, ab ille-

illegitimis uiris fuiſſe uſurpatum. Hinc igitur ſuperſtitionum, hinc malorum omnium omnia genera erupérunt, & illud Ezechielis adimpletum eſt. Periit lex à Sacerdotibus, & conſilium à ſenioribus. id quod non obſcurè portendebat, regnum illud Iſraeliticum cũ Sacerdotio ſimul interiturum. Nam & ipſe Salomõ ait, cum defecerit prophetia, diſsipabitur populus. De hac Phariſæorum arrogantia, & Sacerdotalis muneris vſurpatione, deq; regni illius euerſione uaticinatus eſt dominus, Væ uobis (inquit) legiſperiti, qui tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introijſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis. Clauis ſcientiæ eſt ipſa facultas, & authoritas docendi, quam Phariſæi ſibi temerè ſumpſerant. & eos, qui legitime docere poterant, Sacerdotes ſcilicet, hos prohibebant, & à docendi munere deterrebãt, ut de ipſo Hyrcano teſtatur Ioſephus lib. 14. à cap. 17. uſque ad 22. Huius etiam arrogãtiæ eos inſimulabat dominus, ſuper Cathedram Moſi (inquit) ſederunt ſcribæ, & Phariſæi. Hanc autem cathedram, ideſt, docendi magiſterium eos ambiſſe declarat, addit nanq; comminationem Væ uobis (ait) ſcribæ & Phariſæi, qui diligitis primas cathedras in Synagogis, & uocari ab hominibus rabbi. qualem autem pœnam huius temeritatis daturi eſſent, declarauit ſubdens. Ecce relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. id quod ducenteſimo, & decimo anno poſt uſurpatam Sacerdotalis muneris

ris docendi ſcilicet dignitatẽ, ipſis accidit. tranſlata.n.Lege, neceſſe eſt, ut Sacerdotij tranſlatio fiat, iuxta illud, Auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur gẽti facienti fructum eius. Dei itaq; filius à Sacerdotibus, & Senioribus Iſrael Sacerdotium & uerbi ſui miniſterium ad Apoſtolos ſuos, & ad ſeptuaginta Diſcipulos eorum omnium ſucceſſores tranſtulit. Hos.n.primò miſit binos ante faciem ſuam, ut prædicarent regnum Dei. Ecce (inquit) ego mitto uos. Mox uerò aſcendens in Cælum in hunc modum mãdauit eiſdem. Euntes in vniuerſum mundum prædicate Euangeliũ omni creaturæ, docentes eos ſeruare, quæcunque mandaui uobis. Ecce uobiſcum ſum, uſque ad conſumationem ſæculi. Non omnibus igitur, ſed Apoſtolis, & diſcipulis ſuis, horumq; legitimis ſucceſſoribus tantum docendi & prædicãdi authoritatem, & poteſtatem detulit Dominus. alioqui ſi id omnibus paſſim, (ut quidã voluerunt) liceret, omnia apud nos ſicut, & apud iſtos confuſa, & incerta eſſent. Oportebat itaq; Chriſti legatos, & Euangelij nuntios non incertos, & confuſos, ſed certos, & legitimos eſſe, apud quos certũ eſſet chariſma ueritatis. hos Apoſtolos, & diſcipulos ſuos eſſe uoluit, & eos omnes, apud quos ſit ipſa Apoſtolorum ſucceſſio, & presbyterij ordo. Hi ſunt Epiſcopi, & præsbyteri, qui cum Epiſcopatu, & presbyterii ſucceſſione chariſmà ueritatis ab Apoſtolis acceperunt, meritò Iren. 4. c. 43. 44 45.

tò, & iſtos Apoſtolorum tenere locum, hos uero diſcipulorum, & neminem præter illos ueritatis agnitionẽ aſsignare poſſe cum D. Clemente atteſtamur. qui quidem Clemẽs Epiſcopos proræ, presbyteros uerò nautis comparat. Anacletus etiã Epiſcopos. Apoſtolorũ, preſ byteros uerò ſeptuaginta duorum diſcipulorum locũ tenere docet. Quinimmo D. Ignatius Epiſcopos Chriſto, presbyteros uero Apoſtolis comparat. illos Chriſti, hos Apoſtolorum ſucceſſores ubiq; ferè appellat. Orig. in pſal. 37. Chryſoſtomus in Epiſtolam ad Timotheũ hom. xi. D. Hieronymus in libro de ſeptem ordinibus Eccleſiæ Epiſcopos, & presbyteros in commune Eccleſiam Chriſti regere, & docere debere oſtendunt. Oportet itaq; tam Epiſcopum, quàm presbyterum doctorẽ eſſe, non nomine tantùm, ſed reipſa. non ſpeculatiuè tãtùm, ſed practicè. Non imperitus (dixit D. Clementi Apoſtolorũ Choryphæus Petrus) & indoctus, aut ignorans diuini verbi myſterium, aut eccleſiaſtici ordinis diſciplinam, vel doctrinæ regulam neſciens poſt me ſuſcipiet Cathedram meam, quia ſi indoctus, & inſcius officium doctoris accipiat, ſine dubio diſcipuli, & auditores ignorantiæ tenebris obuoluti in interitum demergentur. Nulli itaque dubium eſſe debet, hoc docendi munus ad ſolos Epiſcopos, & presbyteros, quos nos parochos appellamus in primis pertinere, neq; cuiq̃, qui, uel ex alterutro eorum ordine non ſit, uel legitimè

ad huiuſmodi munus aſcitus non fuerit, fas unquàm fuiſſe publicè docere. Propterea Demetrius ille Alexandriæ Epiſcopus grauiter reprehẽſus eſt, ꝙ Origenẽ nondum presbyterum in ſua Eccleſia docere permiſiſſet. Poſidonius quoq; teſtatur D. Auguſtinum, cum adhuc presbyter non eſſet, ab Eccleſiis, quæ Epiſcopum non haberent, abſtinuiſſe. & non niſi creatum presbyterum coràm Valerio Epiſcopo ob infirmam ualetudinem docere non ualente, concionem habuiſſe. id quod anteactis temporibus in Africa uſitatum fuit. quam certè conſuetudinem quamuis D. Hieronymus reprehendat in ea epiſtola, quam ad Nepotianum ſcribit, peſſimæ, inquit, conſuetudinis eſt in quibuſdam Eccleſiis tacere presbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui, quaſi aut inuideant, aut non dignentur audire, probabili tamen cauſa introducta fuerat huiuſmodi conſuetudo, ne uel ipſe Epiſcopus munus ſuum uideretur negligere, & illud alteri demandare, uel presbyter ſibi alienum uſurparet, & ſuum deſereret. Epiſcopi ſiquidem in ſuis matricibus Eccleſiis, presbyteri uerò in uillis ſeu parochijs, iuxta Apoſtolicam ſanctionem docere debent, quemadmodum in Concilio Arlatenſi ſub Carolo Magno, congregato ſtatuitur. & Stephanus Papa & martyr in Concilio Oxonienſi cõſtituit. Presbyterorum (ait) animos ad ea, quæ magis noſtris tẽporibus expediunt exercenda, excitare uolentes præ-

Euſeb. 6 c. 8.

ſen-

,nec nõ miſſo licet. Nã quẽadmodũ ſolius lingua ef i propriũ eſt, qđ ſi alia ratione, quis facere tentaue q̃ ipſius lingua uſu, is aut nõ effari, aut nõ legitimè ri dicendus eſt, ſic cũ alius, q̃ Epiſcopus, & presby ,& qui ad hoc munus legitimè fuerit uocatus, Dei bũ publicè doceat, aut nõ docebit, aut perperã, aut erè docere cenſebitur. Quod cũ ita ſe habere ipſe uſus doceat, licet animaduertere, oẽs ferè tã anti- us, q̃ nouas hæreſes ab his originẽ habuiſſe, qui cum ſſent legitimi uerbi Dei Doctores, nec Epiſcoporũ ceſſionẽ, aut presbyterorũ ordinẽ tenerẽt, facti ſunt giſtri mẽdacij, & erroris. quorũ princeps, & author t Simon ille Magus, qui cũ minimè Chriſti Apoſto eſſet, Apoſtolatũ tamen affectauit, & omniũ hære- effectus eſt Doctor et magiſter. Quòd ſi Epiſcopi, sbyteri ſuũ munus retinuiſſent, et illud ſedulò obijſ ,alijsq; minus legitimis nõ demãdaſſent, uel tot hæ s exortæ non fuiſſent, uel exortæ ſtatim extirpatæ ſent. Optandum quidẽ eſt omnibus, quod ipſi quo- Moſi optandum fuit, ut cunctus Iſrael prophetet. um Chriſto dicendum, Sinite illos. qui contra uos ſt, pro uobis eſt. & cum D. Paulo, magnifaciendũ, d aliqui Chriſtum per occaſionem annuntient. ſed ementiſſimè dolendũ, ꝙ hi, quibus hoc docendi mu commiſſum eſt, illud diu deſeruerint, ut iure illud ſcum queri Ezechiel poſſit, Perijt lex à Sacerdo

B ti-

tibus,& iudiciũ à ſenioribus.propterea ait Dominus. Ecce ego proijciã uobis brachiũ,& diſpergã ſuper uultum ueſtrum ſtercus ſolennitatũ ueſtrarũ. uos receßiſtis de uia,& ſcandalizaſtis plurimos in lege,irritum feciſtis pactũ leui.propter quod dedi uos cõtẽptibiles & humiles in populis.Quod certè apud nos hoc tẽpore deplorari meritò poteſt,In iſta nãq; prophetæ querela, quaſi in tabella uideor mihi uidere imaginẽ noſtrorũ temporũ.Non.n.dißimilis noſtra eſt culpa à culpa Iſraelitici populi.Irritum nanq; fecimus pactũ,quod nobiscum ipſe dominus pepigit,nempè illud. Docete oẽs gentes.& ecce uobiſcum ſum uſq; ad cõſummationem ſeculi.Valde itaq; timendum eſt,ne poſtq̃ Epiſcopi,& presbyteri docere deſierint, nos quoq; dominus deſerat. quandoquidem non niſi nobiſcum ſe futurum eſſe pollicetur,cum docuerimus,& quæ nobis mandauit ſeruanda. cuius quidẽ criminis niſi ſubeat noſtros animos pœnitentia,grauiora nobis timẽda ſunt, q̃ quæ iudæis acciderunt.quippe qui maioris, & melioris pacti obliti ſimus.Quibus quidẽ malis hæc una medendi ratio nobis relinquitur.ſ.ſi Epiſcopi,& presbyteri ſui memores muneris,plebes ſibi cõmiſſas uerbi Dei pabulo pauerint,ſalutarib.diſciplinis imbuerint, & in pietate,& timore Dei eas retinuerint, quod ipſis ſolis ſola Dei p̃dicatione poſſe p̃ſtare à domino conceſſum eſt. his.n.dictũ fuit,Venite poſt me, & faciã uos fieri piſca

to-

tores hominũ. Rete ipſorũ eſt Euangelij p̃dicatio. hac ualuit Petrus apud Hebræos, hac ualuit D. Paulus apud gẽtes, quas captiuas reddidit in obſequiũ Chriſti. Hac una deniq; ſubditus factus eſt mũdus Deo. Quid ergo nos ſtertimus? Nũquid abbreuiata eſt manus domini? Quid nos ò paſtores agimus. (clamat D. Gregorius) quoniam mercedẽ conſequimur, & tamen operarij nequaq̃ ſumus? fructus quippe ſanctæ Eccleſiæ in ſtipendio quotidiano percipimus, ſed tamen pro æterna Eccleſia in p̃dicatione non laboramus. penſemus cuius damnationis ſit, ſine labore hic percipere mercedẽ laboris. Ecce ex oblationibus fidelium uiuimus, ſed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in noſtrum ſtipendium ſumimus, quæ pro redimendis peccatis ſuis fideles contulerunt, nec tamen contra peccata eadẽ uel orationis ſtudio, uel p̃dicatione, ut dignum eſt, inſudamus, hæc ~~iſte~~. Sed hucuſq; ſatis de miniſtris uerbi Dei. ille *Reliqui porrò fideles ad ipſum uerbũ ſuſcipiendũ non minus animati, ac parati eſſe debẽt, q̃ ipſi Epiſcopi & presbyteri ad illud p̃dicandũ, & docendum ſint. quandoquidẽ diuinum illud oraculum in mõte Syna editũ, Audi Iſrael. & rurſus illud è cælo lapſum, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipſum audite, ad oẽs ſpectat. Deum uero audit, qui ipſum filiũ audit, filium uerò audit, qui Apoſtolos, & uiros Apoſtolicos, & ipſam Eccleſiã audit. Qui uos audit, me audit.*

ait dominus, & qui audit me, audit eũ, qui miſit me. Hos utiq; ueluti Dei Angelos, immo ueluti ipm̃ Chriſtum dominum excipere debent populi. Deſideriũ (ait D. Clemens) habere debent oẽs erga doctorẽ ueritatis, eũq́ ut oculos ſuos amare oportet. D. ẽt Paulus dicit presbyteros, qui in uerbo præſũt, duplici honore dignos eſſe. quandoquidẽ illorũ opera & miniſterio in Dei filios regeneramur, mẽs. n. et animus ſemine optimo uerbi Dei ſuſcepto ꝑ bonos actus bonos fructus affert. propterea libenter aures p̃bendæ ſunt uerbo Dei, & cum amore ueritatis audire debemus, cum illud p̃dicatur. Cum itaq; uel Epiſcopus, uel p̃sbyter, uel quiuis alius ad hoc munus aſſumptus & legitimè uocatus, Dei uerbum cõcionatur, oẽs (ait D. Chryſoſtomus) accurrere, oẽs confluere debẽt. & illo uerba faciente, nemo niſi ſub anathematis pœna diſcedere debet. Sãcitum olim fuit ut qui rarius ad audiendum uerbum Dei, nec ſolliciti ad Epiſcopi tractatũ uenirent, à Diacono redarguerẽtur. Si. n. (ait D. Clemẽs) asſidui ſunt ad audiendũ, nõ ſolùm uitæ æternæ ex ſalubri cõmonitione capient lucra, uerùm, & q̃cũq; illæ sũt triſtitiæ, uel mærores, qui ex præſentis uitæ neceßitatib. & cladibus tẽporum ueniunt, q̃cunq; malorum ſermonibus in corde ſuo uelut iacula defixa circumferunt, abijcientur omnia p̃dicatione ueritatis, & uitæ æternæ doctrina, & traditione purgata. Alioquin ſi multo tꝑe auditum ſubtrahũt à

uer-

verbo Dei, ut remaneant in cultu uitiorum, ſine dubio ſpinis, ac ſentibus erunt occupati, & ad ignem deputati. hæc ille. Summa itaq; diligentia audiendum, & obſeruandum eſt ab omnibus uerbum Dei, dum à legitimis [redacted] miniſtris traditur & docetur, & in illo die, noctuq́; meditandum. Cui enim (ait D. Ambroſius) lex Dei meditatio eſt, huic præſto ſunt miſericordiæ, ut uiuat in æternum. Diſcamus ergo & nos (ait) in lege domini meditari, non auocemur ſæcularibus illecebris, non occupemur impedimentis, ſed ſemper ad legem Dei attenti ſimus. Athleta niſi exercitatione palæſtræ prius fuerit aſſuefactus, non audet ſubire certamen. vngamus ergo oleo lectionis lacertos noſtros. ſit nobis tota die, & nocte exercitij uſus in quadam ſcripturarum palæſtra. artusq́; animorum noſtrorum ſalubris ſpiritualium ferculorum eſca confirmet. & cum aduerſarius aßiſtere cœperit, & puluere nos ſuæ tentationis aſperſerit; ſtemus intrepidi. Ex quibus certè diuiniſsimis ſententijs, quantum bonorum in ipſo ſtudio diuinarum ſcripturarum poſitum ſit, declaratur. quæ certè bona ij conſequentur, qui non corruptis, ſed integerrimis animi affectibus ad diuinarum ſcripturarum lectionem accedent. Quo autem animi affectu diuinæ ſcripturæ legendæ, & audiendæ ſint, docet D. Auguſtinus. Nouimus (inquit) operarios iniquitatis adhuc ſcrutari teſtimonia domini, quia ma-

lunt docti eſſe, quàm iuſti. Nouimus, & alios adhuc ſcrutari teſtimoia domini non, quòd iam rectè uiuāt, ſed ut ſciant, quomodo uiuere debeant. Multi enim ſunt, qui dicta ſapientiæ ſtudioſiſſimè inquirunt, eāq; in doctrina, at non in uita habere uolūt, ut per mores, quos iubet ſapientia, perueniant ad Dei lumen, quod eſt ipſa ſapientia, ſed per ſermones, quos habet ſapientia, perueniant ad hominum laudem. Idem ferè docet in libro de doctrina Chriſtiana. Sed & curioſitas in diuinis ſcripturis ſummopere nobis cauenda eſt. Curioſus autem ille eſt (ait D. Auguſtinus) qui ea requirit, quæ ad ſe nihil pertinent. Studioſus uerò is eſt, qui quæ ad ſe pertinent, maximè quæ ad animum ornandum, & liberaliter nutriendum pertinent, maximè requirit. Quæ itaq; (ait B. Proſper) Deus occulta eſſe uoluit, nō ſunt ſcrutanda, quæ autem manifeſta fecit, non ſunt negligenda, nec & in illis illicitè curioſi, & in his damnabiliter inueniamur ingrati. curioſitas cum ſcientiæ ſit exceſſus, & ſimplicitas eiuſdem defectus, damnabiles ambæ omnino ſunt, licet reſpectiuè curioſitas ſit ſimplicitate damnabilior. nec ruſticus (ait D. Hieronymus) & ſimplex frater ideo ſe ſanctum putet, ſi nihil nouerit, nec peritus, & eloquēs lingua æſtimet ſanctitatem, multoq; eſt melius è duobus imperfectis ruſticitatem ſanctam habere, quàm eloquentiam peccatricem. Nec illi ſunt audiendi, qui illud Tertulliani

ni ad ſuam & aliorum ignorantiam fouendam arripiunt. Nouiſſimè ignorare melius eſt, ne quod nõ debeas noris, quia quod debeas noſti. Fides (inquit) tua te ſaluum fecit, non exercitatio ſcripturarum. Tertullianus nanque hoc loco non de exercitatione diuinarũ ſcripturarũ, quæ cũ fide & pietate fit, loquitur, ſed de exercitatione, quæ in curioſitate conſiſtit, habẽs (ut ipſemet dicit) gloriã de ſolo peritiæ ſtudio, & ibi loquitur contra illos hæreticos, qui dialecticis, & philoſophicis ratiocinationibus ſolis diuinas ſcripturas perſcrutabantur. aſſerebantq; diuinas ſcripturas nullatenus percipi poſſe, niſi ab his, qui dialecticam, & philoſophiam didiciſſent. Contra quos aſſerit tantùm abeſſe, ut dialectica ſola & philoſophia intelligendis ſcripturis neceſſaria ſit, ut ab his potius omnes hæreſes exortæ ſint. Dicit enim Dialecticam eſſe artificem ſtruendi, & deſtruendi. eam appellat, uerſipellem in ſententijs, coactam in conjecturis, duram in argumrntis, contentione moleſtam; ſibi ipſi retractantem, & interpellatricem ueritatis. Quid ait Athenis, & Hieroſolymis? Quid Acadtmiæ & Eccleſiæ? Quid hæreticis, & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt. Viderint, qui Stoicũ, & Platonicũ Chriſtianis prætulerunt; Nobis curioſitate nõ opus eſt, poſt Chriſtũ Ieſum, nec inquiſitione poſt Euãgeliũ, cũ credimus nihil deſideramus ultra credere. hæc ille. Qui

 ſanè

nec charitas cuiquam ineſſe poſſit. fides enim, quæ eſt uirtutum omnium radix, ex auditu, auditus autem per uerbum Dei.

Habes optime lector quid nã ſit Dei uerbum, qui ſint iſtius legitimi miniſtri, & quanta cum diligentia ipſi danda ſit opera ab omnibus, qui ſeruari cupiunt. Sed quia hæc omnia in ipſo commentario latius explicabuntur, ſatis hæc dixiſſe erit, ſupereſt autem, ut hunc noſtrum qualemcunque laborem boni conſules, ſpero etenim iſtum non inanem fore in Domino. Vale, & pro ipſius Verbi Dei proſpero ſucceſſu, & curſu continenter ora.

Pſal. 118.

DElegit olim Dauidem Deus, qui pater eſſet filij ſui Meßiæ, quem eiuſdem quoque exemplar quoddam eſſe uoluit, Qui cum futurus eſſet uberrimus omniū bonorum fons, par item fuit, ut illius exemplar omnibus cum humanis, tùm diuinis muneribus ornaretur. Regia itaq; dignitate Dauidē non ſolùm decorauit, ſed & ſpiritu ſuò ipſum afflauit: adeoq́; in diuinæ legis ſtudio illius animum occupauit, ut dies, noctesq́; in ea meditanda totus uerſaretur, & de ea non coràm tantùm plebecula in angulis, ſed in frequentißimo populo, coràm Rege, & populi principibus loqui non uereretur. Idq́; eò ſtudioſius, eoq́; ardentius faciebat, quò indignius, ac turpius illam iacere Saul, & Principes patiebantur. Qua in re cum utriuſque partis ſtudiorum dißimilitudo ſe ſe oſtenderet, illud quoque ſequebatur, ut inter ipſos nulla intercedere poßit amicitia, quin potius contentiones, & implacabiles inde exortæ fuerint inimicitiæ. Acerbißimo nanque odio Dauidem adhuc iuuenem, ut ex hoc, & alijs ēt pſalmis uidere licet, proſequebatur Saul, & aſſeclæ ipſius, quòd tantopere, tantaq́; diligentia Dei uerbum inculcaret, quòd illud perpetuis laudibus efferret, & quicquid deniq; uſq̄ eſſet bonorum, huic uni acceptū referret.

Iccir-

phabeti hebraice litteris deſcribit. Quòd illud non modò Sacratiſsimum, & myſterijs refertiſsimum ſit, propterea ꝙ digito Dei ſcriptum, & traditum eſt: ſed vt doceat, diuinum uerbum omnem noſtram inſtitutionem eſſe debere, illudq́ cum ipſis litterarum elemẽtis ab ineunte ætate eſſe diſcendum. Singulis autem alphabeti elementis octo uerſiculos cõcludit, & abſoluit, quia (ut ſapiẽtiſsimus Philo, & doctiſsimus etiam Plutarchus docent) Octonarius numerus cum ex duplici quadrato conſtet, ſtabilitatem, & immobilitatem ſignificat. Hoc itaq; numero firmitudinem & æternitatem uerbi Dei, & diuinæ huius diſciplinæ docet. Nõ enim uana, errabunda, uaga, & inſtabilis eſt Dei doctrina, ut ſunt humanæ doctrinæ: nec uanos, uagos, et errabundos ſuos diſcipulos facit: ſed ſtabiles, firmos, certosq́, fidentes, ac uerè beatos reddit. Quàmuis autem hæc diſciplina multas partitiones habeat, eodem tamen omnes referuntur. Propterea etſi multis, uarijsq́ nominibus eam appellat Vates, una tamen eſt, et ea omnia nomina, & appellationes uerbi Dei referunt & illius uirtutes nobis ſignificant. Lex in primis communi nomine appellatur. i. תורה ꝙ propriè doctrinam ſonat. דבר item, quod eſt uerbum ſcriptum: אמר. i. uerbum ore prolatum: עדות. i. teſtimonia, ꝙ de Deo, deq́ illius ueritate nobis teſtetur: פקדות, quòd per illud nos inuiſit Deus, & nos rurſus illum: חקות ꝙ partim ſit ſcriptis

ptis, partim traditione poſteris commendatum: מצותי *φ diuina ſtatuta cõtineat:* משפטי *φ per illud Deus ſua iudicia proferat:* צדקי, *φ eodem nos Deus iuſtificet:* דרך *φ per ipſum ad Deum peruenimus, & ueram beatitudinem adipiſcimus;* יראת *etiam .i. timor, φ Deum colere, timere, & reuereri doceat, & in obſeruatione diuinæ legis hominem contineat. Hæc itaq; omnia toto hoc pſalmo nos docet ſanctiſsimus Vates, ut quanti bonorum theſauri nobis repoſiti ſint in ſtudio uerbi Dei intelligentes, toto huic pectore incumbamus, ut huius ductum ſequentes ad ueram, ſempiternamq́; felicitatem, & beatitudinem pertingamus. Amen.*

Aleph. א

CVm hæc littera prima ſit earum litterarum, quibus decantatiſſimum, & primum illud ſacrum Dei nomen in diuinis libris contentum אלהים *ſcribatur, ea in alphabeto quoque principem obtinuit locum, atque ea potiſſimum cauſa princeps, ſeu dux à Rabbinis appellatur: ut his appellationibus diuinitas ſignificetur, quæ eſt rerum omnium principium. Nam ut reliqua alphabeti elementa ab Aleph initium habēt, & ab ea tanquàm à duce ſuo pendere uidentur: ita ab ipſa diuinitate initium habere omnia, & ab eo ueluti à ſuo duce pēdere, ſignificatum eſt. Hac item littera admonentur quicunq; ad diuinam diſciplinā accedunt, ut in primis Deum habeant pro duce, & moderatore cogitationum, & actionum ſuarum, ut ipſius ductu, et moderatione cæleſtis huius diſciplinæ fructus, & beatitudinis bonum adipiſci poſſint. Hoc autem primo octonario exorditur, & breui quodam quaſi compendio cōplectitur, quicquid in reliquo pſalmo tractaturus eſt, & ferè ſub uno conſpectu ponit. ſic itaq; incipit.* Gen. 1.

Beati

BEATI IMMACVLATI IN VIA, QVI AMBVLANT IN LEGE DOMINI.

CVm beatitudinem appetant uniuerſi mortales, eamq́; in omni uita ſibi propoſitam habeant, ab ea Pſaltes ſanctiſſ. hunc exordiri pſalmum uoluit. Cùm uerò eandem in delitiis, & uoluptatibus alij cum Epicuro, alij uerò in Philoſophiæ ſtudio cum Stoicis conſtituerint: hanc ipſe in ſolo ſtudio, & obſeruatione uerbi Dei conſtitutam, & locatã docet. BEATI, (inquit) immaculati in uia, qui ambulãt in lege domini. Quo ſanè principio per antitheſim, quæ in ſingulis ferè huius Pſalmi uerſiculis obſeruanda eſt, declarat: neutiquam beatos eſſe, qui ſeſe corporis uoluptatibus tradunt: quandoquidem qui huiuſmodi ſunt, omnẽ prorſus de Deo opinionẽ depoſuerunt: nec his ulla eſſe poſſunt ſolida gaudia: ſed ſi ullus eſt animi proprius ſardonius riſus, is in uoluptatib. melle, & felle permixtis maximè cernitur. Nec ipſi item Stoici beati omnino eſſe poſſunt, qui etſi aliquã Dei habuerint notionẽ, et Philoſophiæ ſtudijs ſe totos dederint, cum tamen uera, germanaq́; ſummi Numinis cognitione caruerint, eãq́; tantùm adepti fuiſſent, quæ ex humana, deq́; inimica ſapiẽtia proficiſcitur, beatitudinem ueram, nullatenus ſunt aſſecuti: quandoquidem tantum hoc bonum, tantaq́; felicitas relicta eſt ijs, qui ad diuinæ legis

gis ſtudia totum animum appulere:quo uno ex fonte, & uera Dei notitia, & delictorum condonatio hauri tur: qua in re beatitudinem locatam eſſe hic idem teſtatur Propheta. Beati (inquit) quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata &c. Beatitudinem itaq; uel ipſam etiam miſeriam metiri debemus non certè ſecundis, aut aduerſis rerum euentibus, non hoc, uel illo uiuendi, aut philoſophandi genere, ſed ſolo uel ſtudio, uel contemptu diuinæ legis Quo enim quis eſt illius ſtudioſior, & amantior, eò etiã beatior & eſſe, & haberi poteſt, quàmuis malorum acie ſit circumſeptus. Miſerrimus autem reuera eſt, tametſi bonorum copia circumfluat, qui uerbi Dei, et diuinæ legis ſtudioſus non eſt. Beatus autem ideo reuera eſt diuinæ legis ſtudioſus, quòd Deo proximus, diuinæq; naturæ particeps uiuida fide ex diuino uerbo concepta efficiatur. Nam quemadmodum, qui Platonis doctrinam ſectatur, Academicus, qui Ariſtotelis, Peripateticus fit, atque habetur: ita qui diuinam legem pietatis ſtudio ſectatur, beatus eſt, & appellatur. Neque tamen ſentiendum, hunc ipſum in adamantinam quandam tranſiſſe naturam, ut quemadmodum Ceneus ille in fabulis fuit inuulnerabilis, ita hic nullis ſit obnoxius calamitatibus: quin plerunque grauioribus premitur, quàm cæteri, malis: at ea ui munitus eſt, ut non opprimatur. Concutitur ille quidem, ſed nõ Pſal. 31

C fran-

frangitur: affligitur, & grauiter uulneratur, inuictus tamen permanet; nullis cedit malis, ſed aduerſa omnia fide, & patientia ſuperat: vt cum nauibus illis meritò conferri poßit, quibus demum poſt tot maris iniurias portum tenentibus inſcribitur, Fœlix nauigatio. Quandoquidem huic omnia cooperantur in bonum. Id quod etiam vox ipſa hebraica. אשרי quam intepres, ubiq; Beatus, uertit, declarat. Quæ cum à radice אשר ueniat, quæ rectè, & proſperè progredi, ſignificat: pro ipſa felicitate ſumitur, quæ proſperis rerum ſucceßibus metiri ſolet. Beati, inquit, immaculati. Quod idem eſt, ac ſi diceret. proſpera, felicia, ac prorſus beata omnia illi euenient, qui ambulat in lege domini. Huius nanque diuinæ legis contemplator pro ipſius rei dignitate, quam contemplatur, in diuinā mutatur naturam, fitq́;, ut verbum Dei ſit uita ipſius. Beatitudo itaque non eſt (ut Porphyrius ait) uerborū accumulatio, diſciplinarumq́; multitudo: nec pro quantitate verborum, ac rationum accipit incrementum. Illud.n. ſequeretur, ut qui plures diſciplinas ſint aſſecuti, cæteris beatiores eſſent. Sed uita per diuinæ legis contemplationem in Dei translata naturā, beatum hominem efficit. Propterea ſanctiß. Vates beatū non quemcunque pronuntiat, ſed eum tantùm, qui immaculatus eſt, & ambulat in lege domini.

IMMACLATI IN VIA.

Quē-

QVemadmodum integrũ, & corruptũ maximè inter ſe pugnant, ita beatũ, & turpẽ eſſe, ſibi inuicẽ aduerſantur, nec fieri poteſt, vt quis dici, aut eſſe beatus poſſit, qui turpiter uiuat. Id enim potius eſt miſerrimum eſſe. Quicunque itaq; beatitudinem à ſtudio verbi Dei conſequi exoptat, pro uiribus ſtudeat, vt Deo q̃ ſimillimus fiat, nempè purus, & ab omni turpitudine alienus. Non enim in maleuolam, uitijs contaminatam, & terrenis hiſce rebus corruptam animam beatificans illa Dei ſapientia introibit. Fieri quidem poteſt, ut quis uerbi Dei cognitionem aſſequatur ſine animi integritate, beatitudinem autẽ illius nequaq̃. Immaculatam autẽ eſſe oportere dicit Pſaltes in uia, at non in ipſa origine, & natura. Nemo eſt enim mundus à ſorde illa originali, ſed unuſquiſque in peccatis conceptus eſt. Quo fit, ut miſerrimi ſimus uniuerſi, uno illo excepto, de quo ſcriptum eſt. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Satis eſt igitur, ſi quis ſe à crimine ſaltem, & ſi non à peccato immaculatum in uia præſtiterit. Immaculatum autẽ ſe præſtare ſtudet, non qui omnino non peccat, quando quidem uel iuſtus ſepties cadit in die, ſed qui obnixè operam dat, ut uitam ab omni turpitudine, & crimini alienam traducat, ſummoq; animi affectu retinet uitæ integritatem, & ſanctitatem. Hoc enim propriè ſignificat uox illa hebraica תמימים .i. integerrimos ſiquidem

dẽ ſignificat, qui ſcilicet prauis animi cupiditatibus ſe corrumpendos non tradunt, nec uitam ſuam nephario aliquo ſcelere cõtaminant, ſed uitæ, & morum probitate ſe ſe Deo, & hominibus probant. Hoc propriè eſt immaculatum eſſe in uia.i.in uita: quæ ideo uiæ nomine appellatur, quod hãc uitam ipſe Deus nobis ceu uiam quandam propoſuerit, quam ingreßi, per eam vel ad beatitudinem, vel ad miſeriam ſempiternam pergamus. Quemadmodum autem perdifficile eſt, & miraculi inſtar, ſi quis inter eos, qui peſtilenta incolunt loca, degens naturalem valetudinem tueatur: ſic perdifficile, & mirandum omnino eſt, quenquàm ſeſe incontaminatum in peſtilento huius vitæ diuerſorio conſeruare. Quod qui fecerit, meritò beatus & dici, & habere poteſt. Sed in hac tanta difficultate hæc vna nobis relinquitur ſpes, quia quod hominibus difficile, atque etiam impoßibile eſt, id facile, ac poßibile Deus, in quo omnia poſſumus, eſſe voluerit per ſtudium ſuæ ſanctißimæ legis. Iccirco ſubdit.

QVI AMBVLAT IN LEGE DOMINI.

LEgem Dei appellat quicquid Moſes, & diuino ſpiritu afflati patres & natis, & poſteris ſuis tradiderunt de Deo, deq; diuinis illius legibus, ac præceptis, idq; vnico nomine תורה .i. leges appellarũt, quod nomen doctrinam propriè ſonat. Venit enim nomen hoc

hoc à radice ירה ,quæ interdum iaculari,interdum uerò pluere ſignificat, ſed per translationem pro docere accipitur. Diuina ſiquidem doctrina propter ſuam efficaciam ſagittis cõtortis, & pluuiæ comparatur, ꝙ non modò penetret ad diuiſionẽ animæ,& ſpiritus, ſed aridum etiam animi noſtri agellum irroret,& iuſtitiæ fructus germinare faciat. Quicunq; itaq; beatitudinem appetit, huic teſtatur Rex ſanctiſſ. ad normam diuinæ doctrinæ ſibi incedendũ eſſe. Nõ enim ſat cuiq̃ eſſe poteſt,ſi adipiſcẽdæ beatitudinis gratia ſe ſeruarit integerrimum,omneſq́ diſciplinas collegerit,aut diuinæ legis cognitionẽ ſit aſſecutus,niſi ſimul in ea ambulauerit,niſi maximos,& continuos progreſſus animo, & moribus,mẽte,& actionib. faciat. Hoc.n.ſignificat uerbũ,ambulare,in diuinæ ſcilicet legis cognitione,& obſeruatione in dies progredi,ut nuſq̃ ſibi ſit conſiſtendum,ſed quotidie magis in ea proficiendũ:quippe ꝙ ꝑfectam illius cognitionẽ,& obſeruationẽ ſe conſecutũ eſſe,gloriari non poſſit. connectit aũt Vates nomẽ Beatus,quod rectè incedens ſignificat,cũ uerbo ambulare: ꝙ qui uerè beatus ſit,per aſſiduam in diuina lege exercitationem magis,ac magis proficiat.

BEATI, QVI SCRVTANTVR TESTIMONIA EIVS,
IN TOTO CORDE EXQVIRVNT EVM.

R*Epetit beatitudinis uocem, ut hac etiam repetitione,& conteſtatione declaret ex diuinæ legis ſtu*

dio, & obſeruatione proficiſci beatitudinē uerā. Quæ enim firmiſſima ſunt, repetuntur ſæpius in ſacris literis ad eorū, quæ dicuntur, ueritatem, & firmitudinem declarandam. Quoniam uerò, quod ſuperius dixerat. Beati immaculati, qui ambulant in lege domini. ad ſolas actiones, & externos mores referri poterat, non autem ad animi ſtudium, & mentis exercitationem, ideo repetit. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius. Quibus uerbis declarat non mores tantùm, & externas actiones comparandas eſſe ad normam diuinæ legis, ſed ipſam in primis mentem aſſiduo illius ſtudio, & cognitione informandam eſſe. quandoquidē legislator id quoq; requirit. Meditaberis (inquit) in ea die ac nocte. Quod autē interpres uertit. Beati, qui ſcrutantur. ſciendum, ꝙ iuxta hebraicā lectionem obſeruant potius, erat uertendum. Heb. n. uerbum נצר *ſignificat ea, quæ perceperis, ſumma cum diligentia in animo recondere, & recondita cuſtodire, iuxta illud. liga, & claude uerba prophetiæ huius. Et quia quæ nobis cariſſima ſunt, ea mente ſcrutari, & animo reuoluere ſæpiſſimè ſolemus, propterea interpres ſenſū magis q̃ uerbū authoris intuitus, pro obſeruant, ſcrutātur, uertit. Qui. n. diuinā obſeruant legē, nō eā uti otioſam apud ſe retinent, aut in ea meditanda, & ſcrutanda negligentes ſunt, & remiſſi, ſed in illa potius ſeſe, quaſi in paleſtra exercent, illamq́; penitiſſimè perſcrutantur.*

Ioſue. 1, Eſa. 8.

Hanc

Hæc aũt diuinã legẽ Dei teſtimonia ſui ideo appellat, ꝙ ꝑ illã Deus, tanq̃ per firmiſsimos teſtes de ſua erga nos cura, & prouidẽtia, deq́; peccatorũ noſtrorũ cõdonatione, & ſalute fidẽ indubiã facit. Teſtimoniũ.n.domini fidele in ſæculũ ſæculi. pſ. 19. Cũ itaq; diuina hæc doctrina fideliſs. ſint Dei teſtimõia, certa, indubitataq́; fides ei adhibẽda eſt, deq́; illius ueritate nihil omnino eſt ambigendũ. quandoquidẽ ea eſt ueritatis certa ſedes, extra quam nuſquàm illam inuenies. In diuina itaque lege ueritas nobis eſt perſcrutãda, quæ proprius eſt animorum cibus, quo ad immortalitatem aluntur.

IN TOTO CORDE EXQVIRVNT EVM.

QVi humanas diſciplinas ſectantur, ad eas uel curioſitate, uel cupiditate ſciẽtiæ, uel humanæ gloriæ ſtudio mouentur. Vani propterea ſunt, & beatitudinem conſequi nequaq̃ poſſunt. Nam qui ſcientiam Ecc. 1 addit, addit & laborem, ait ſapiens. Et qui humanæ captandæ gloriæ ſtudet, maximis ſeſe macerat anxietatibus. Hoc item illi accidit, qui eadem cogitatione ad ſtudium diuinæ legis accedit. At qui uerè dici, & eſſe beatus uult, in ea perſcrutanda illud debet ſibi proponere, ut ſolum Deum exquirat. Quãdoquidem beatum eſſe nihil aliud eſt, q̃ ipſum Deum quærere, cognoſcere, & cognoſcendo diligere. Hæc eſt (ait Chriſtus) uita æterna, ut cognoſcant te uerum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.

Deus itaq;,qui ubiq; diffuſus eſt,nec ullo loco concluſus,in lege ſua tanq̃ in propria ſua ſede reſidet, ibiq́; inuenitur ab ijs potiſsimũ, qui illum in ueritate, & toto corde,non aũt corde,& corde.i.partim propter ipſum Deum,partim propter hominũ gloriam,nec corde ab ipſa infidelitate conciſo,ſed toto corde, & integro,nihil præter ipſum Deum affectante,ipſum exquirunt. Nouimus(ait D. Auguſtinus) operarios iniquitatis adhuc ſcrutari teſtimonia Domini,quia malunt docti eſſe, q̃ iuſti. Nouimus & alios adhuc ſcrutari teſtimonia Domini,non ꝗ iam rectè uiuant, ſed ut ſciant,quomodo uiuere debeãt. Multi enim ſunt, qui dicta ſapientiæ ſtudioſiſsimè inquirunt, eamq́; in doctrina,& non in uita habere uolunt,non ut per mores perueniant ad Dei ſapientiam, ſed ut per ſermones, quos habet ſapientia,perueniant ad hominum laudẽ. Hæc ille. Hi quidem in ſuo huiuſmodi ſtudio miſeri potius,quàm beati dici poſſunt. quandoquidem beatitudo ad illos tantùm pertinet,qui diuina ſcrutantes teſtimonia toto corde exquirunt Deũ,non hoc uel illo loco,non manibus,neq; pedibus,ſed in lege illius, & puris affectionibus animi,non curioſitate,ſed humilitate. Id quod ẽt uerbum Hebraicum דרש *ſignificat, quod quaſi interrogando exquirere ſonat. Exquirunt itaq; Deum, qui illum quanta poſſunt animi ſubmiſsione de diuina eius lege interrogant, ut ex Deo diſcant,*

& cognoſcant Deum propter ipſum Deum. Nō enim huius cæleſtis diſciplinæ participes eſſe poſſunt niſi humiles, qui in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ad eam capeſcendam acceſſerint.

NON ENIM OPERANTVR INIQVITATEM, QVI IN VIIS EIVS AMBVLAVERVNT.

SVperius declaratum eſt, qualesnam ſint, aut potius eſſe debeant, qui beatitudinem ex ſtudio diuinæ legis comparare ſtudeant. Nunc per contrariam diffinitionem, quales omnino non ſint, & eſſe non debeant, deſcribit: ut affirmatiua, & negatiua ratione, eorum ingenium, & mores exprimat. Non enim (ait) operantur iniquitatem, qui in uiis eius ambulauerunt. Quæ una ſententia complectitur omnia præcepta negatiua in diuina lege contenta. עולה enim nomen, quod interpres, iniquitatem, uertit, quicquid à diuina lege alienum, uel contrarium eſt, ſignificat. Ab hac itaq; iniquitate diligenter cauere debent diuinæ legis ſtudioſi, ſi in illius cognitione progredi, & beati eſſe uelint. Nō minoris eſt enim felicitatis, cauere à malo, q̄ præſtare bonum. Nō minus itaq; ipſa mala ſunt cauenda, quā bona præſtanda, ſi beatitudinem conſequi uelimus.

QVI IN VIIS EIVS AMBVLANT.

VIæ Dei, conſilia illius, cogitationes, & actiones

ſunt

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſunt, quas in diuina ſua lege mortalibus æmulandas propoſuit, ut per eas illius ſimiles euadant, & ad ſe uno fruendum perueniunt. Quæ ſic à uijs hominum diſtant, ut cælum à terra. Viæ noſtræ prauæ, ac obliquæ ſunt: uiæ uerò domini rectæ. Quicunque itaque eas æmulari, & per eas ad ipſum uſq; Deum incedere uoluerit, is ſentiat neceſſe eſt à ſuis ſibi uijs eſſe in primis declinandum, & eas omnino relinquendas, cum præſertim nemo poßit duas ſibi inuicem contrarias uias ingredi. iuxta illud; Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. Qui itaque operatur iniquitatem, is falsò de uijs domini gloriatur, quas qui uerè ingreditur, iniquitatis uias omnino deſerat, neceſſe eſt. ſtat enim ſentẽtia. Non operãtur iniquitatem, qui in uijs eius ambulãt.

TV MANDASTI MANDATA TVA CVSTODIRI NIMIS.

QVod interpres uertit mandata, hebraicè eſt פקדות *quæ uox generatim complectitur omnia diuina præcepta, tam ſcripto, q̃ conſuetudine apud patres depoſita, & ab illis, uti quasdam memorias, & uiſitationes diuinas recepta. pro lege autem & Dei doctrina uniuerſa accipitur: ꝙ eam apud nos ſedulò cuſtodiendam, & colendam locauerit Deus, ut per illius ſtudiũ ſui, ſuorumq́; beneficiorum memoriam conſeruaremus, quibus rurſus ipſe nos, & nos ipſum uiſitaremus.*

Qui

Qui diligit me (ait dominus) ſermonem meũ ſeruabit, & pater meus diliget eũ, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Tunc itaque uel ipſi Deum audimus, ſalutamus, & inuiſimus: uel ipſe nos inuiſit, & ſalutat, cùm ad diuinæ ſuæ legis ſtudium eum pietate accedimus, cùm illius uerbum audimus, atque percipimus. Quod quanta diligentia ſit obſeruandum, declarat ſubdens. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. q. d. cum per ſolius tuæ legis ſtudium, & obſeruationem beatitudo comparetur, ea ſedulò, cupideq́; audiri ab omnibus debet: quum præſertim non Philoſophus quiſpiã, aut Angelus, ſed tu mandaueris eam cuſtodiri nimis. Celeberrimum illud Pythij oraculum, Nequid nimis. in ſtudio, & obſeruatione diuinæ legis locum non habet. In ea ſi quidem amanda, & colenda nimii eſſe non poſſumus. Nullis enim terminis, nulliſq́; confinijs ea concluditur. Author enim ipſius, nempè Deus mandauit, eam cuſtodiri nimis. Non recedat (inquit) uolumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die, ac nocte. Omni itaque tempore, omni ſtudio, omnibus denique uiribus diuinæ huic diſciplinæ eſt incumbendum, ita Deo nobis mandante, nec unquam, ſatis, dicendum, ſed ardentiſſimo potius, & conſtantiſſimo animi deſiderio eſt optandum, quod ſequ tur.

Vt

VTINAM DIRIGANTVR VIAE MEAE AD CVSTODIENDAS IVSTIFICATIONES TVAS.

NOmen חקות quod interpres uertit, iuſtificationes, uenit à radice חקק quæ ſcribere ſignificat, & ſcripta potius, quàm iuſtificationes ſonat. Pro ipſa autem diuina lege, & doctrina ſcriptis mandata accipitur. Qua quidem lege, & doctrina quoniam ſtudioſi ipſius coram Deo, & hominibus commendantur, & iuſtificantur, iure ea iuſtificationum nomen in hoc Pſalmo, & ubiq; ferè in ſacris libris ſortita eſt. Ea enim nõ modo quid cuiq; agendum, ſed quid credendum, quid ſperandum, quid deniq; amandum ſit, proponit, ut hominẽ iuſtificet. Orat itaq;, uel potius optat Vates. Vtinã dirigantur uiæ meæ, ut hoc ſuo ardentiſsimo deſiderio nos extimulet, & incitet ad hoc idem omnibus animi uiribus optandum, nempè ut in diuina lege, quàm maximas progreſſus faciant, ut Deo proximiores fiant. Vbi audis, utinã (ait D. Auguſtinus) uocem optantis agnoſce, & agnita uoce optantis depone ſuperbiam præſumentis. Quis. n. ſe dicat, optare, quod ſic habet in arbitrij libertate, ut nullo indigens adiumẽto id poſsit efficere? Ergo ſi optat homo, quod pcipit Deus: ut det ipſe, quod præcipit, rogãdus eſt Deus. Requirit in primis hæc doctrina diſcipulũ integerrimum, & immaculatum. At quis talem ſeſe præſtabit, quando nemo ſit, per ſe innocẽs ſit, & dicere poſsit: mundum & cor meũ.

Præ-

Præcipit inſuper Deus hanc ſuam doctrinā adamuſſim obſeruandum, nec vſq̄ ab ea declinādum. At quis id præſtabit, cum natura omnes ad malum procliues ſimus? Rogandus ergo eſt Deus, ut quod præcipit, ipſe nobis præſtet. Quod ipſe quoque Vates facit. Vtinam (inquit) dirigantur uiæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes ſuas. Vias ſuas, conſilia, cogitationes, & actiones ſuas appellat Dauid, quas cum natura ad malum maximè decliues intelligeret, optat, vt ad normam diuinæ legis adæquentur. Quod tunc fit, cùm id volumus, cogitamus, & ſentimus, quod Deo placere intelligimus: quæq́ grata illi eſſe ſcimus, perficimus, & ſtudioſè cauemus, ne quid verbo, aut opere cōtra voluntatem illius peccemus. Hæc enim tutiſſima, & certiſſima eſt ad felicitatem uia.

TVNC NON CONFVNDAR, CVM PERSPEXERO IN OMNIBVS MANDATIS TVIS.

QVæ Deus in ſanctiſſima ſua lege, & doctrina ſtatuit, ſanxit, & mandauit, ea hebraicè מצות *appellantur, quòd firma, & ſtabilia ſint, nec irritari ulla ratione poſſint. quæ ſi quis mea purgatis, ſed lippis mētis oculis contemplatur, confunditur: quemadmodum noctua, ſi in lumen ſolis intuitum figere nitatur. Itaq; Propheta conſcius ſuæ imbecillitatis, non prius accedit ad contemplanda mirabilia legis diuinæ, quàm poſtulauerit uias ſuas, ſibi aperiri, & diuinitus dirigi. i.*

nisi

ri homine. Tunc (ait) ſecurè, & intrepidè ad diuinæ legis tuæ ſtudium, & meditationem me conferam, quando ſoli purgati oculi lumen illius intueri, ac contemplari poſſint. Tunc non cõfundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis. Quemadmodum .n. in humanis iudicijs ferendis ille facilè errat, qui tota non perſpecta cauſa iudicat, & ſententiã ſuam profert: ita in cõſiderãda, & iudicãda ueritate Dei confunditur, & errat, qui in omnibus mandatis non perſpexerit, ut ea omnia intelligat, & opere compleat. Qui offenderit in uno, factus eſt omnium reus. Non itaque ad unam tantùm huius doctrinæ partem conſideratio, & ſtudium debet adhiberi, ſed etiã ad ſingulas partitiones illius, alioquin maxima ſuborietur confuſio, uana quadam ſpe fraudati, & illuſi, quemadmodum hebræis cõtigit, qui hac potiſsimũ de cauſa confuſi, in denſiſsimis ignorantiæ tenebris uerſantur. At ego nõ confundar (ait) cum perſpexero in omnibus, cum ne unus quidẽ apex, aut iota unũ in diuina lege ſit otioſum: nihil non exactè cõſideratum, & optimè perſpectum prætermitti debet. Quod qui facit, nullo pacto cõfunditur, ſed magis, magisq; illuſtratur. Fidem .n. ſpem, & charitatem ſuã magis alit, & ſuſtentat. confundere hebraicè eſt בוש *ꝙ propriè arefieri, & exiccari, ac exiccando ſubrubeſcere, ſignificat. metaphora fortè ſumpta eſt à folijs, quæ per hyemẽ humore deſtituta ſubrubeſcunt, & exarce-*

ſcunt

*ſcũt. Nã qui uitali uerbi Dei humore deſtituitur, ſub
rubeſcit, ac paulò poſt exareſcit. Quod illis etiam acci
dit, qui uel eo, quo decet animo ad diuinæ legis ſtudiũ
non accedunt: vel ea, qua decet, diligentia ipſum Dei
uerbũ non conſiderant: uel non totã, ſed aliquã (hæreti
corum more) partẽ illius ſibi ſectandũ arripiunt. Qui
oẽs beatitudinis fructu carituri ſunt, & ſpe ſua ſe fru
ſtratos magno ſuo malo ſentiẽt, niſi ad omnia, quæ ſcri
pta, & mandata ſunt, perſpexerint, & animum inten
derint. Ego aũt (ait Pſaltes) ſpe mea nequaq̃ fruſtra-
bor, cum ad omnia præcepta tua ꝑſpexero. His etenim
fidẽ, ſpẽ, & charitatem in te meã alam. Sanctiſſ.n. uoci
bus Tertulliano teſte, fidem paſcimus, ſpem erigimus,
& diſciplinam denſamus.*

CONFITEBOR TIBI IN DIRECTIONE CORDIS, IN EO, QVOD DIDICI IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

*IVdicia iuſtitiæ, quæ hebraicè משפט appellantur, non
iudicialia illa tantũ p̃cepta ſunt, quib. ius ciuile con
ſtituitur, & ex quibus quaſi ex tabellis cognoſci poſſit
quonam ſupplicio nocentes ſint afficiendi, & q̃uo inno
cẽtes abſoluẽdi: ſed Autor à parte totũ cõplectitur. Di
uina.n. oracula, & eloquia, necnõ legẽ uniuerſam, &
doctrinã patribus traditam intelligit. Quæ ideo iudi-
cia iuſtitiæ appellat, quòd ea ſint norma, menſura, &
diſpoſitio diuinæ iuſtitiæ, qua Deus vnicuique pro
meritis tribuit, eum ſupplicio dignum pronun-*

tians, qui illam neglexerit. qui verò illam ex animo amplectitur, & maximè ſtudioſus illius eſt: iuſta, ac ſempiterna retributione dignum declarans. Quæ quidem iudicia iuſtitiæ nulla in re alia magis apparent, nec apertiora conſpiciũtur, quàm in ipſa diuina lege. Maxima quidem, & propè innumerabilia beneficia ab ipſo Deo acceperat Dauid. Quod enim maius, q̃ quod ex uiliſsimo paſtore ad regium faſtigium fuerit euectus? de omnibus ſuis hoſtibus triumphauerit? pacatiſsimo regno potitus fuerit? diuitijs, & delitijs omnibus circumfluxerit? Quæ omnia licet maxima ſint, his tamen omnibus præfert, quòd didicerit ſanctiſsimas illius leges, & iudicia iuſtitiæ eius. Propterea ait. Confitebor tibi.i.tibi hoc unum acceptum referam, & de hac præcipuè re ingentes, immortalesq́; tibi gratias agam, quòd didicerim iudicia iuſtitiæ tuæ, quòd tuæ ſanctiſsimæ legis diſcipulus effectus ſim, & uerbum tuum didicerim.i.illius cognitione compos effectus fuerim. iuxta veritatem heb. idem eſt, ac ſi diceret. Ego quidem didici, ſed nũquàm didiciſſem, niſi hoc tu mihi impertitus eſſes. Quocirca hoc tanto munere perpetuas ſibi gratias agam.

IN DIRECTIONE CORDIS.

QVi nõ omnia Deo accepta refert, ſed ſibi partim partim Deo tribuit, hic non in ueritate, nec in rectitudine cordis ſui Deo gratias agit: quemamodum impius

pius ille Phariſeus apud Lucam factitabat, qui oretenus gratias agebat Deo, at interim ſibi non nihil arrogabat. At Pſaltes nihil ſibi uendicat, ſed omnia aſcribit Deo, ipſiq; in directione cordis ſui confitetur. In rectitudine porrò cordis Deo cõfitemur, & gratias agimus, quando cor linguam non mentitur, ſed quod lingua fatetur, cor confirmat. Ore itaque, & corde recto gratias Deo acturum ſe eſſe pollicetur, quòd didicerit iudicia iuſtitiæ illius. Quod certè munus ideo omnibus alijs à Deo in ſe collatis muneribus anteponit, quòd hoc uno uera beatitudo comparetur:

IVSTIFICATIONES TVAS CVSTODIAM. NON ME DERELINQVAS VSQVEQVAQVE

NON eſt propriæ imbecillitatis oblitus, qua monitus ſuperius orauit. Vtinam dirigantur uiæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. nec diuinorum munerũ, pro quibus paulò ante Deo gratias egit, immemor factus eſt: qui nunc iactabundus, ac de ſe ipſo plurimum fidens uideatur, cum dicit. Cuſtodiam iuſtificationes tuas, quaſi id præſtare nudis uiribus poßit: ſed de diuino auxilio, quod exorauerat, iam ſecurus facturus, omnia ſibi de Deo pollicetur. Quemadmodũ & D. Paulus de ſeipſo gloriatur. Omnia (inquit) poſſum in eo, qui me confortat. Ait itaq;. Iuſtificationes tuas cuſtodiam. Sanctißimam legem digito Dei, ſan

D cto-

ctorumq; patrum opera ſcriptam, & traditam intelligit. Hanc, licet uiribus ſuis, imparem (ait) cuſtodiã, diuina ſcilicet uirtute ſuffultus, & adiutus. ſignificat autem uoluntatem, & operam ſuam diuinæ gratiæ nõ defuturam, ſed eam promptam, paratamq; illius munere eẽ, ut cuſtodiat iuſtificatiões eius. Iccirco ſubdit.

NE ME DERELINQVAS VSQVEQVAQVE:

SEmper quidem, & in rebus omnibus præſentia, uirtute, & fauore Dei indigemus, cum à nobis ipſis nihil boni facere, neque cogitare poßimus. Omnis nanq; ſufficiẽtia noſtra ex Deo eſt, immo ipſe Deus noſtra ſufficientia eſt. ſed tũc præcipuè ope ipſius indigemus, cum lex ipſius nobis obſeruanda eſt. Quæ ſanè obſeruatio tota uirtutis illius eſt, ut nihil omnino nobis relinquatur, quo in nobis tanq̃ in nobis gloriari poßimus, ſed qui gloriatur in Domino glorietur. Quod cũ exploratum eſſet Vati, cum dixiſſet, iuſtificationes tuas cuſtodiã. ſtatim ſubdidit. Ne me derelinquas uſquequaque. Quos.n. Deus diuina ſua uirtute deſtitutos relinquit, hi ſalutariter nequaq̃ uiribus ſuis ſeruare legem poſſunt. Neminem tamen derelinquit Deus, niſi qui priùs illum reliquerit. Iccirco ꝙ dicimus Deo, Ne me derelinquas. & huiuſmodi alia; petimus, ne nos ipſum aliquando relinquamus. Noſtri ſiquidẽ derelictio argumẽtũ eſt, nos illum prius reliquiſſe. Derelinquimus

au-

aũt Deum, quando illius timorẽ cum amore noſtris ex animis diluimus, & diuiniſſimam ipſius legẽ, ſanctiſſimamq́ doctrinã nullo in precio, nulloq́ in honore habemus, ſed eã ueluti nihili rem proijcimus. Cum uerò Dei & legis ipſius cupidi ſumus, cum illum amamus, cum nos, noſtraq́ omnia in illum conijcimus, & fideli pectore inuocamus: nobis pro argumento eſt, illum nobis adeſſe, ac tueri, qui hæc in nobis diuinitus operetur. Orans itaq; Vates, Ne me derelinquas orare uidetur, ne ipſe ad eam unq̃ inſaniã deueniat, ut diuinã legem poſthabeat: quandoquidem hoc eſt derelinquere Deum, fontem aquarum, uel potius derelinqui à Deo Quos aũt Deus derelinquit, ipſos etiam miſerrimos facit. ſibi nanq; permiſſi in omni turpitudinum genere uolutantur. quos uerò diuina ſua uirtute munit, hos etiam beatos facit, & immaculatos à ſæculo hoc nequam cuſtodit. Hi toto corde Deum exquirunt, & totos animi affectus ad illum dirigunt: inuento gratias agunt, de eo omnia ſibi bona pollicentur, in eo ſe omnia poſſe gloriantur: nihil metuunt, ſe ullo unquàm tempore deſertum iri ab eo. Quòd ſi ad modicum tempus derelinquantur, mox in magnis miſerationibus ſuſcipiuntur. Hoc igitur eſt, quod petit. Non me derelinquas: & ſi ad tempus, non tamen uſquequaque. Non enim electorũ eſt, ſed reproborum, ut in æternum à facie tua proijciantur.

Beth ב

ABSOLVTA littera Aleph, ſequitur littera Beth, quæ domū ſonat. Pro domo autē familia ipſa accipitur. Nam ſicut dux non eſt ſine exercitu, nec doctor ſine diſcipulo, ita non eſt pater ſine familia. meritò itaq; litteram Aleph, quæ ducem, Doctorem, & patrē ſignificat, littera Beth ſequitur, domum, ſeu familiā ſonans. quæ potiſſimum in filiorum ſobole cōſiſtit. Cui quidem familiæ ipſe pater ſeſe præbere debet ducē per bonos mores, & doctorem per ſanam doctrinam. Tria enim dat filio pater, teſte etiam Ariſt. eſſe generandò, vitam educando, diſciplinam informando. eſt itaque officium patris liberos ſuos, familiamq́; uniuerſam cæleſti hac, diuinaq́; diſciplina imbuere. Nihil enim aūt parum prodeſt publica diſciplina, niſi & domeſticà accedat. Quomodo ergo in ea adoleſcentes ſint inſtituendi, per interrogationem quærit, & mox ſuo exēplo declarat. Quod unum docendi genus ſolet eſſe optimum. Ait itaque.

IN QVO CORRIGIT ADOLESCENTIOR VIAM SVAM? IN CVSTODIENDO SERMONES TVOS.

Pro. 22. IN corde pueri colligatam eſſe ſtultitiā, teſtatur Salomon. Eandem autem uirga diſciplinæ fugari, idē aſſirmat. Niſi itaq; ætas illa admodum lubrica, & ad malum proclinis diſciplina uerbi Dei corrigatur, mo

re

re fluminis præceps fertur in uitia. At ſi rectè ſit educa
ta, omnis in uita (ut Platonis utar ſententia) recta fi-
et nauigatio. Id quod etiam Salomon affirmat. Adole Pro. 22.
ſcens (inquit) iuxta uiam ſuam, etiam cum ſenuerit,
non recedit ab ea. Hinc itaque omnis in omni homi-
nis ætate uitiorum lues, quòd adoleſcentes uel nullis
omnino diſciplinis, uel humanis tantummodò imbuā
tur, quæ ſtultitiam illam nobis innatam non tollūt, ſed
potius fouent. Proprium eſt enim ſolius diuinæ huius
diſciplinæ hominem erudire. Cum itaque expertus di
dicíſſet Vates, nulla re alia ætatem illam magis corri-
gi, & ad meliorem mentem reuocari, quàm ſtudio uer
bi Dei, dicit. In quo corrigit adoleſcentior uiam ſuā?
Reſpōdet utique. In cuſtodiendo ſermones tuos. Si i-
taque adoleſcentulos morigeros, & ab omni turpitudi
ne prorſus alienos, & eruditos, ac demum uiros probos
habere uolumus. Danda eſt opera, ut illos diuinæ le-
gis, & ſanctiſſimæ diſciplinæ ſtudioſos efficiamus. Il-
lius ſiquidem ſtudio quaſi falce huius ætatis luxuries
depaſcitur, & uitia, quibus ea ætas laborat maximè
reſecantur. Hoc illud eſt iugum, quo in officio, & re-
ctitudine adoleſcentes continētur. De quo Hieremias
ait. Bonum eſt homini, ſi portauerit iugum ab adole-
ſcentia ſua. Quæ enim adoleſcens quiſq; ſeminat, hæc
ſenex metit, & colligit. Sed ò tempora, ò mores, nihil
minus hoc tempore curatur, quàm ut filij diuina di-

ſciplina erudiantur, cuius & ipſorum parentes ſunt penitus ignari. Quo fit, ut tantam rerum diuinarum ignorantiam morum corruptela, & malorum omniũ lues ſequatur. Nulla itaq; ratione alia homo in omni ætate uitijs ſcatens corrigi poteſt, quàm in cuſtodiendis Dei ſermonibus. Cuſtodit autem illos, qui diligenti meditatione, & uehementi amore eos amplectitur, illisq́; animum ſuum informare ſtudet, ut nihil omnino cogitet, dicat, faciatue, quod tantillum ab illorum præſcripto aberret. Hic autem דבר *& ſi propriè uerbũ ipſum ſcriptis commendatum ſignificat, pro uniuerſa tamen lege & doctrina ab ipſo Deo per patres poſteris tradita accipitur, ſimulq́; uoces illas in primo octonario contentas complectitur; nempè teſtimonia, mandata, iudicia, iuſtificationes, & id genus alia. Quandoquidem hæc omnia uerbo Dei conſtituta ſunt. Cuius uerbi cum illud ſit proprium, ut animorum noſtrorum labes diluat: ille ſe ab ijs mundum ſeruabit, qui uerbo Dei, qua decet ratione, operam dederit, iuxta illud:*
Io. 15. *Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum uobis. Hæc autem ita ſe habere ſuo exemplo declarat Pſaltes ſequenti uerſiculo.*

IN.

IN TOTO CORDE MEO EXQVISIVI TE NE REPELLAS ME A MANDATIS TVIS.

IN ſuperiori octonario diximus, ſuper illud. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirũt eum. uerbum Dei eſſe ſedem Dei, in qua ipſe reſidet, & inuenitur. propterea qui ipſum uerbum ſcrutatur, Deum exquirit: quem quicunq; inuenire uult, in ſuo ipſius uerbo ipſum ſcrutetur. Quandoquidem in hoc præcipuè ſeſe nobis cognoſcendũ præbet. Id quod etiam Paraphraſtes Chaldæus animaduertens, ubique ferè pro ipſo Dei nomine uerbum transfert, ut hoc etiam loco facit uertens. In toto corde exquiſiui uerbum tuum. Nam qui Deum extra uerbum ſuum quærit, non Deum, ſed idolum inuenit. quemadmodum gentes, & huius ſæculi prudentes homines fecerunt, qui euanuerunt in cogitationibus ſuis, cum excogitarent alium Deum, præter illum, qui ſe in uerbo, & per uerbum propalauerat: & mentis ſuæ idolum ſectarentur, non Deum illum, qui ſuo ſeſe uerbo patribus reuelat, ſed potius quem ipſi ſibi finxerint colentes. Non autẽ ſic egit Dauid, ſed exquiſiui te, ait, nõ extra te, ſed in tuo ipſius uerbo. ſi.n. quærendus eſt Deus, in ſua propria ſede, non autem extra, quærendus eſt, quod eſt uerbũ ſuum. Exquiſiui (inquit) te, non me, neq; mea, non humanam laudem, aut terrenum quicq̃. Te, te ipſum

exquiſiui, te uno contentus, in quo bona mihi ſunt omnia. Exquiſiui te (inquam) non ſublimia, & quæ ſupra me ſunt, ſapere affectaui, ſed te exquiſiui in toto corde meo, ſumma animi mei ſubmiſsione, totis cordis mei affectibus uerbum tuum, teq́; in uerbo tuo diligẽs. Quid ſit autem, ꝗ Deũ toto corde quæſierit, declarat.

NE REPELLAS ME A MANDATIS TVIS.

VErbum hebraicum שגה aliquem à vero, & recto calle per ignorantiam aberrare facere ſignificat. Quod quia cum illis Deus facere uidetur, quos omnino dereliquit, ut ſuperius quoque diximus ſuper illud. Iuſtificationes tuas cuſtodiam, ne me derelinquas uſquequaq; . interpres uerbum illud pro repellere uertit. Nam qui uerbum Dei repellunt, digni ſunt, qui repel
Oſee.4. *lantur à Deo, iuxta illud. Quia ſcientiam repuliſti, & ego te repellam. Propterea precatur Vates, ne tam ſeuerè unquàm ſecũ agat Deus. Ne repellas (inquit) me à mandatis tuis. quandoquidem non ego ea repuli, ſed potius te toto corde meo exquiſiui. Ne repellas itaque exquirentem te, ſed potius amplectere, & in ſinu miſericordiæ tuæ foue. Orat autem ne per uerbi ignorantiam ab ipſo uerbo aberret. Non enim ſat eſt habere zelum uerbi Dei, ſi ſit cum ignorãtia eiuſdem uerbi Dei coniunctus, quin immo turbas maximas, pernitioſiſſimasq́; hæreſes excitat. Iccirco de hebræis ſcri*

bit D. Paulus. Aemulationem quidem Dei habẽt, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantia ſiquidem illius errorem non excuſat, quamuis fortè extenuet. Nam maiori ſupplicio dignus cenſetur, qui ex propoſita malitia, q̃ qui ex ignorãtia peccat. alioqui ſi ignorantia excuſaret, non aliàs oraret. Ignorantias meas ne memineris domine. Neque D. Paulus, ignorantem 1. cor. 14
ignorandum fore affirmaret. cum itaque ſciret Vates, omnem quidem ignorantiam malam, ſed illam, quæ de uerbo Dei eſt, peßimam eſſe, precatur. Ne repellas me à mandatis tuis. i. ne permittas, me à ſanctiß. tua lege, & diſciplina aberrare: ne & ipſe à te repulſam patiar. ſi quidem & fatuis illis uirginibus lampades ſuas ſcientia uerbi Dei, & oleo charitatis uacuas habentibus dicet dominus. Amen dico uobis neſcio uos. Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Quid enim iniquius fieri poteſt, q̃ uerbum Dei per ignorantiam repellere? Cum eo ſiquidem uita, ſalus, iuſtitia, pax bona omnia, immo Deus ipſe repellitur.

IN CORDE MEO ABSCONDI ELOQVIA TVA, VT NON PECCEM TIBI.

Scientia uerbi Dei, & ipſius intelligentia non curioſitate, ſed humili precatione petẽda eſt ab ipſo Deo Nec illud ſatis eſt aure percipere, aut in ore tantùm habere, ſed in corde recondendum eſt, ut nobis uitale ſit. Quod ſe quoq; feciſſe, teſtatur Vates dicens. In cor

de

de meo abſcondi eloquia tua. Quod igitur in penitiſſimo cordis receſſu eloquia domini repoſuerit, oſtendit q̃ chara, q̃ pretioſa ea habuerit, nempè quàm uita, & anima ipſa cuius ſedes, & receptaculum eſt cor. Ea item in corde repoſuit, quod cum cogitationum, conſiliorum, ac totius uitæ fons ſit, uolebat ſuas oẽs cogitationes, conſilia, & actiones ab ipſis Dei eloquijs deriuari, & eiſdẽ quaſi regulis gubernari. Non itaq; in ſuperficie uerbum Dei eſt præſeferẽdũ, ſed in corde tanq̃ in propria arcula reponendũ, ut ſuo loco, & tẽpore proferatur. Bonus.n.homo de theſauro cordis profert noua, & uetera. Nã & dominus in parabola ſeminantis ſemen ſuum illud tantùm fructũ tuliſſe ſignificat, quod in terra bona.i.in corde bono, & perfecto receptũ fuerat. Propterea de beata Virgine dicitur, ꝙ audiẽs quæ dicebãtur, ea conferebat in corde ſuo. Ad cor. n.in primis loquitur Deus. Propterea qui uerba eius corde nõ excipit, nec illum quidem audire dicitur, & grauiter in loquentem peccat. Ait itaq;. In corde meo abſcondi eloquia tua.

VT NON PECCEM TIBI.

CVm Deus tam ſeriò mandauerit hominibus ſtudium, & obſeruationem legis ſuæ, ut præcedenti octonario teſtatus eſt Pſaltes. Tu mãdaſti (inquit) mãdata tua cuſtodiri nimis. perſpicuum eſt, q̃ grauiter

pecet in Deum, qui non modò ſtudium diuinæ legis negligit, ſed qui illius non uehementiſſimo amore teneatur. ſiquidem & patris tanti faciendum eſſe uerbum exiſtimauerunt, ut non ueriti fuerint affirmare non minus illum peccare, qui uerbum negligit, quàm qui ſacram Euchariſtiam in terram decidere per negligentiam patiatur. Ne itaq; Dauid tanti reus criminis fieret, Dei uerbum in corde ſuo condebat: nempè ut ſalutare ibi malagma adhiberet, unde malorum omnium apoſtema enaſcebatur. Ex corde ſi quidem, domino ipſo teſtante, uitiorum ſeges ſuboleſcit. Ibi ergo apponi debuit antidotum, ubi ueneni uis inerat, peccati ſcilicet, quod cũ matris lacte nobis propinatũ eſt.

BENEDICTVS ES DOMINE, DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

IVſtificationes Dei, ſacras, & diuinitus traditas ſcripturas appellat. ſic enim (ut ſuperius etiam interpretati ſumus) ſignificat hebraicum nomen חקי Harũ enim ſanctiſſimarum legum doctrina, & obſeruatione Deus nos iuſtificat: qui cum illarum omnium ſit ipſe author, eas itidẽ ſolus docere poteſt. Iccirco Vates hunc ſibi earum doctorem exoptat orans. Doce me iuſtificationes tuas. Ipſe itaque nobis ſupplici precatione eſt orandus, ut nos eloquia ſua doceat, cum præſertim id ſe præſtiturum pollicitus ſit.

erunt,

erunt, inquit, omnes docti à Deo. Poſſunt quidem hominis aures alterius hominis uocibus perſonare, & uerborum licet ſanctorum, ſtrepitum exaudire: ſed ut ea animi ſenſu percipiantur, id unus præſtat Deus, qui ſenſus hominis aperit, ut intelligat. Oculũ uidentem,
Pro. 20. *& aurem audientem, utrunq; facit dominus. Docere alij alias diſciplinas poſſunt. Diuinas aũt iuſtificationes ſolus Deus docet. Quem ideo benedictũ appellat, ꝙ cùm in omnibus, tùm in precipuè in hoc docendi munere præſtantiſſimus eſt, & magnificentiſſimus, largiſſimè diuitias uerbo reconditas impartiens his, qui doctrinæ ipſius alumni ſunt, eos eruditiſſimos, & bonis ſuis cumulatiſſimos faciens. Hoc aũt encomio Deum hoc loco celebrat Vates, ut ſciant omnes ipſum Deum totius ſapientiæ fontem eſſe, atq; ab eodem eam hauriendam eſſe ſignificet, à quo cætera omnia bona ad mortales emanant: iuxta illud Iacobi. Si quis ueſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Poſtulet autẽ in fide nihil hæſitans.*

IN LABIIS MEIS PRONVNTIAVI OMNIA IVDICIA ORIS TVI.

IVdicia oris Dei eadem appellat, quæ ſuperius. iuſtitiæ iudicia, iuſtificationes, teſtimonia, & eloquia appellauit: quæ à Latinis oracula diuinitus edi

edita nuncupantur. Iudicia autem oris Dei appellantur, quia Deus eloquijs ſuis ſanctis quaſi labijs, & ore proprio ſuam nobis mentem, & uoluntatem declarat. Hæc labijs ſuis ſe enarraſſe Vates ait: quia (ut ip ſemet teſtatur) ſpiritus (ait) Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam dixit. Quæcunque itaque labijs ſuis pronuntiauit, non hominis, ſed Dei iudicia fuere. Non enim ipſe, ſed ſpiritus domini loquebatur in ipſo. Ea etiam iudicia Dei appellat, quæ per Moſen, & Prophetas tradita fuere. Spiritu enim ſancto afflati locuti ſũt ſãcti Dei homines. Meritò itaque Dei potius, quàm hominum, uel etiam angelorum iudicia, & oracula appellantur. Cum autem dicat Dauid ſe iudicia Dei labijs ſuis pronuntiaſſe, ſignificat ſe docendi munus ritè obijſſe, ſeq; in hoc miniſterio tanquàm ſimplicem Dei miniſtrum exhibuiſſe. Quandoquidem labia non ipſa ſunt uerba, nec uerborum ſenſa, ſed ſimplicia inſtrumẽta, quibus animi ſenſa uerbis exprimuntur. Qui cum ea tantùm exprimeret, quæ ſpiritus domini ſibi ſuggereret exprimenda, labijs ſuis ea ſe pronunciaſſe dicit. Hac quoque ratione demonſtrat, qualis eſſe debet uerbi miniſter in Dei iudicijs enarrandis, quippe qui nihil illis detrahat, nihilq; addat de ſuo, quod præſertim contra uerbum ſit; ſed ut à diuino ſibi ſpiritu ſuggeruntur, ita ea enuntiet. Pronuntiaui, ait. Quo etiã uerbo declarat ſe iudi

2.pa.28

cia

cia oris Dei ſimpliciter nullo adhibito fuco, rhetorum more, docuiſſe. Hoc enim ſignificat uerbum pronuntiaui. Diuina enim ſapientia per ſe ſatis pulchra eſt, nullisq́ ascititijs indiget uerborum fucis. Hoc ſiquidem proprium eſt humanæ Philoſophiæ, quæ ita ſe exornat, ut uerborum cultu, & mentito ſplendore, tanq̃ meretricula malè cautos decipiat, & in ſui amorẽ blandiendo alliciat. Obſeruandum eſt autem, Dauidem non repente, ſed quibuſdam gradibus ad ipſum docendi munus perueniſſe. Nam & inſtitutum Græcorum fuit, ut ſolus ille alios doceret, qui prius remp. adminiſtrare didiciſſet, ac poſtea initiatus fuiſſet. Veſtalibus quoque uirginibus apud Romanos tempus erat diſtributum, ut primo decennio diſcerent, & quæ percepiſſent altero decennio peragerent: tertio uerò decennio alias docerent. Vates itaque noſter adoleſcens ſacras primùm literas didicit, & quæ didicit diuina eloquia in corde ſuo abſcondit: eorum præceptorem ſibi Deum adoptauit: deinde à Deo edoctus populum ſuum docere aggreſſus eſt. Quibus quidem gradibus incedere debent quicunque fideles uerbi Dei doctores in ſuo munere reperiri cupiunt.

IN

IN VIA TESTIMONIORVM TVORVM DELECTATVS SVM, SICVT IN OMNIBVS DIVITIIS.

HOc loco Via pro ipſa exercitatione uſurpatur. Vt enim in uia incedentes omnes ferè corporis partes mouemus, & exercemus, ita in diuinis teſtimonijs ſiue Dei eloquijs nos ipſos exercemus, & in illis quaſi uijs ingredi uidemur, quando illorũ ſtudio ita incumbimus, ut non modò mente, & corde ea percipiamus, ſed opere etiam compleamus. Multa quidem ſunt exercitia, quibus homines ſeſe tradunt. alij mari ſe committunt. alij armis ſeſe exercent. alij mercaturæ, uel humanæ Philoſophiæ ſtudijs operam ſedulò impendunt eo conſilio, ut fluxas, citoq́; perituras ſibi diuitias comparent: & in illis congerendis nullis neque laboribus, neque periculis parcant. At ego (ait Rex ſanctiſ.) in uia, ſtudio ſcilicet, & exercitatione teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs. non dicit in his, aut in illis diuitijs, aut hac, uel illa quantitate diuitiarum, ſed in omnibus diuitiis. q. d. quicquid eſt diuitiarum in mundo, id omne præ teſtimonijs tuis contempſi. Terrenæ nanque diuitiæ teſtimonijs tuis comparatæ inſtar ſunt exiguæ arenæ. Quandoquidem,

qui ſe in diuinis eloquijs exercent, Deum bonorũ omnium theſaurum inueniunt. Meritò itaq; Vates, & quiuis alius pius ſtudium, & exercitationem uerbi Dei diuitijs omnibus præferre debet. Quanta uero animi uoluptate in rerum diuinarum ſtudio uerſaretur, his uerbis declarat. In uia, inquit, teſtimoniorum tuorum delectatus ſum. Quæ ſanè delectatio ſola ſolida habet cordis ſolatia.

IN MANDATIS TVIS EXERCEBOR, ET CONSIDERABO VIAS TVAS

VErbum hebraicum שיח *ſignificat ſe totum in negotio aliquo occupare, & exercere; idq; ad omnes tum corporis, tum animi actiones refertur. Propterea pro meditari, orare, loqui, ſeſe proſternere, atque etiam pro natare accipitur. His etenim actionib. omnes animi partes, & corporis membra exercentur. Significare autem uoluit ſe totum ſtudio uerbi Dei ita dedidiſſe, ut ex illo ſuæ omnes cogitationes fluerent, & ad illius normam ſuas omnes corporis actiones componeret. Illud eſt enim huius diſciplinæ ingenium, ut cuiuis quolibet modo honeſto in negotio uerſanti inſeruiat, & cuiuſcunq; uocationi commoda ſit: ut nulla prorſus excuſatio alicui relinquatur, quominus ſe in eo exercere poßit. Et conſiderabo uias tuas. Quãuis aßiduè nos in diuinis mandatis exercere debeamus,*

id

id tamen ſumma cum prudentia nobis faciendum eſt. Quemadmodum enim qui mare nauigant, ſuam habent tabellam, ad cuius præſcriptum nauigationē ſuā moderantur: ita qui in diuinis rebus ſiue corpus, ſiue animum exercent, præ oculis habere debent uias domini, tanquàm certam ſtudiorum & actionum ſuarum regulam. Iccirco ait. Exercebo me quidem in mandatis tuis: ſed nihilominus uias tuas conſiderabo, ut in mea hac exercitatione, mores, actiones, & conſilia tua æmuler. Hæc etenim mihi in diuina ſcriptura ceu uias patentes nota eſſe uoluiſti.

IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS MEDITABOR. NON OBLIVISCAR SERMONES TVOS.

PRæcedenti uerſu in genere de exercitatione tractauit, de ea ſcilicet, quæ corporis, & animi eſt. Nunc uerò de animi exercitatione tantum agit: quippe quæ magis neceſſaria ſit, quæq; in primis requiratur. Corporalis enim exercitatio (ait D. Paulus) ad modicum ualet. De illa igitur agit, cum dicit. In iuſtificationibus tuis meditabor. Verbum enim שעשע *quod interpres uertit. meditabor. ſignificat aliquid ſumma animi uoluptate complecti, & in illius ſenſu, & guſtu libenter immorari. Teſtatur itaque ſe in diuinarum ſcripturarum ſtudio uerſantem incredibili animi lætitia perfundi, quippe qui illas non conniuentibus ocu-* Tim. 4.

lis, & per tranſennam (quod aiunt) percurreret, ſed diligentiſſ. & accuratiſſ. potius eas conſideraret, et ſecum in animo reuoluens diu, multumq́; in illis immoraretur, quod unicum eſſet animi ſui delitium. Id quod etiam ſe nunquàm intermiſſurum, ſed ſemper facturum eſſe pollicetur dicens. Exercebor in iuſtificationibus tuis.

NON OBLIVISCAR SERMONES TVOS.

QVod nos aliqua cum uoluptate diſcimus, id ſolet memoriæ tenacius inhærere, nec facilè nobis excidit. Propterea Dauid, qui tantopere in uia teſtimoniorum domini delectabatur, uerè dicere poterat. Non obliuiſcar ſermones tuos. Q. d. fieri poteſt, ut diuitias, ut regnum, ut meipsũ obliuiſcar, ſermones autem tuos non obliuiſcar in æternum. Hos nanq́; intimis in præcordijs ita repoſuit, ut ex ipſorum meditatione, & obſeruatione, ueram, & ſempiternam felicitatem ſibi ex
Epilog. *pectãdam putaret. Hac itaque doctrina imbuenda familia eſt. hac diſciplina in melius corrupti adoleſcentiæ mores corrigẽdi ſunt. hoc ſalutare remedium eſt, quo animorum morbi curantur. Non enim herba, neque malagma, ſed ſermo tuus Domine, qui ſanat om-*
Sap. 16. *nia, ſanabat eos, ait Salom. In hoc igitur meditando animus die, noctuq; uerſari debet. in hoc nos totos exercere, & præ oculis iſtud ſemper habere, & cum Dauide dicere debemus. Non obliuiſcar ſermones tuos.*

Gimel ג

GAMAL Ablactare proprie, per translationem autem retribuere ſignificat. ablactatio nanque infantium uidetur eſſe merces lactis ad illud uſq; tempus exhauſti, quando ipſi ſolidiore cibo digni cenſentur. Verbum Dei, & ſanctiſſima ipſius lex inſtar dulciſſimi lactis paruulis, & denuò renatis præbetur. ſed cum adoleſcere iam, ac in percepta doctrina coaleſcere uidentur, uerbum non amplius eſt illis lac, ſed in ſolidum cibum mutatur. In hac itaq; litera docet, nos non ſemper pueros, & infantes eſſe debere in hac diſciplina, quibus lac opus ſit, ſed ablactandos maturè eſſe, & ad ſolidiorem cibum remittendos, ut in perfectum uirum creſcamus. Significat etiam, diuinam hanc diſciplinam& uerbi Dei ſtudium retributionem habere præſentis, & futuræ uitæ. Verbum.n. Dei lignum uitæ eſt, quod qui inuenerit, inueniet uitam, & hauriet ſalutem à domino. Ait itaque.

RETRIBVE SERVO TVO. VIVIFICA ME, ET CVSTODIAM SERMONES TVOS.

INiquitatis, et impudentiæ crimē eſſe uidetur, quòd diſcipulus à præceptore ſibi retribui poſtulat, & traditæ ſibi doctrinæ mercedem expoſcat. Nec minus impudens, & iniquus ſeruus eſt, qui antequam heri ſui iuſſa perſoluerit, mercedem ſibi dari flagitet.

Quod cum ita habeat, quid eſt, quod Vates noſter idē facit? qui ſibi retribui petit priusq̄ ſermones Dei cuſtodiat. At hoc non impudentiæ, aut iniquitati, ſed fiduciæ eſt aſcribendum. Cum enim bonorum noſtrorū non egeat Deus, ſed ſua potius bona diligentibus ſe liberaliſſimè dilargiri paratus ſit, non erit arrogantis, ſed de Dei liberalitate bene, recteq́ ſentientis honeſta petitio. Niſi enim ſciret Propheta nos nihil omnino habere, quod Deo retribuamus, ſed ipſum nobis ultro ſua dona retribuere, ac illis nos præuenire uelle, nequaq̄ diceret. RETRIBVE ſeruo tuo. Viuifica me &c. Hac autem oratione docere uoluit nullis noſtris benefactis Deum, ſed nos ab eo potius ſuis donis præueniri, quādo & ipſe mercedem ante laborem poſtulet. Quod autem petit, uita eſt. Quæ tametſi Dei donū ſit, hanc tamen operum mercedem, ſeu retributionem appellat, non utique operum, quatenus opera ſunt, ſed ex repromiſſione. Nam cum Deus ipſe uitam pollicitus ſit legem ſuam ſeruantibus: ea magis ex liberalitate promittentis, q̄ ex actione operantis nobis uenit. Inde.n. iuſtorum opera uitam promerentur. Hac itaq; promiſſione fretus orat. Retribue ſeruo tuo &c. Quod uerò hæc Vatis fiducia ſit cum humilitate coniuncta, ipſe ſignificat, dum ſe ſeruum appellat: qui quàm omnia fecerit, adhuc ſe ſeruum inutilem eſſe cognoſcit: qui domini ſui liberalitate ſit à morte ſeruatus, & uitæ reſtitutus

tutus. Propterea ait. Viuifica me, cum dominorũ ſit, ſeruos ſuos alerẽ, ac tueri.

ET CVSTODIAM SERMONES TVOS.

Viuus ait D. Ambroſius, cuſtodit, & cuſtodiendo uiuit: Qui prius fidei uita non uiuit, qui uita ſpiritus ſancti in interiore homine viuificatus non fuerit, is ſermones Dei cuſtodire, neque animo, neque opere ualebit. Itaque ut diligenter Dei eloquia cuſtodire poßit, retributionem, & uitam, quæ ex Deo eſt, petit. ſe præterea tunc uerè uiuere arbitrari ſignificat, ſi Dei eloquia cuſtodierit. quando ſine illorum uita ſe potius mori iudicet, quàm uiuere quandoquidem non ex ſolo pane uiuit homo, ſed ex omni uerbo, quod procedit ex ore Dei.

REVELA OCVLOS MEOS, ET CONSIDERABO MIRABILIA DE LEGE TVA.

Hoc præcipuum eſt, quod Dauid Deum ſibi retribuere petit, quod omnibus alijs muneribus antepo nit: nempè, ut oculos habeat illuminatos, quibus diuinæ diſciplinæ myſteria admirationis pleniſſima perſpicere, & intelligere poſſit. Nouerat humanam mentem ad diuinæ legis iubar nõ ſecus cæcutire, ac noctua ad radios ſolis. Animalis ſiquidem homo non percipit ea, quæ Dei ſunt, quia ſpiritualiter examinantur. Cognatam itaq;, & naturalem mentis cæcitatem exper- 1. co. 2

tus, ſuppliciter petit circunfuſam ſuæ menti caliginẽ diſsipari, & atrum peccati uelum oculis ſuis obductũ detrahi. Reuela, inquit, oculos meos. ſẽtiebat. n. ſe uſq; adeo peccati tenebris circunfuſum, ut neq; in rebus creatis, neque in ſcripturis, nec deniq; in humana natura aſſumpta poſſet uidere Deum, Peccatum hoc nobis innatum noſtris ex animis nos ipſi euellere non poſſumus. Id enim ſi poſſet quiſpiam, Vates quoque potuiſſet. hanc oportet eſſe Dei reuelationem. Tunc autem reuelat ſeſe nobis Deus, cum ignorantiæ tenebras diſſipat, cum peccati ſenſum noſtris ex animis euellit, ſenſusq́; aperit, ut ipſum quaſi oculis cernere, & manu tractare posſimus. Id autem hoc facit ui ſpiritus ſui, qui ſolus rimatur profunda Dei, propterea ſubdit.

ET CONSIDERABO MIRABILIA DE LEGE TVA.

SI quis ad ſcrutandas diuinas ſcripturas acceſſerit oculis humanæ ſapientiæ tenebris obductis, non autem diuini ſpiritus luce illuſtratis, is non modo admirabilitatis, diuinæq́; ſapientiæ in illis nihil animaduertet, ſed eas potius uti uanas & contemptibiles ridebit, illarum humilitate, & rudi ſpecie offenſus. At qui reuelatis oculis, & diuini ſpiritus collyrio ſanitati reſtitutis illas conſiderauerit, diuinæ eas ſapientiæ plenisſimas, & omni admiratione digniſsimas iudicabit. Ideo dicit. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia

de lege tua. Mirabilia, quæ hebraicè נפלאות appellantur, ea ſunt, quæ ſupra humanæ ſapiẽtia captum, quæq́; præter rerum naturalium ordinem accidunt, quibus quidem cæleſtis hæc, diuinaq́; doctrina abundat. Quæ ſanè miracula nos admirari quidem, ſed plenè percipere humana mens noſtra non poteſt. Iccirco ait. Et conſiderabo. Quod enim conſideramus, nondum plenè aſſecuti ſumus. Qui itaque mirabilia, ſeu uera Dei miracula intueri deſiderat in ſanctiſſima Dei lege, in primis oret, ut ipſe Deus oculos mentis reuelet. Mox uerò diligenter ſcripturas diuinas conſideret, mirabiliũ Dei operum plenas. Niſi enim humilis huiuſmodi oratio præceſſerit, in illis nihil admirabilitatis inueniet. Hac autem oratione quaſi dicere uidetur Dauid. Videor uidere Domine infinitam ſapientiam tuã in lege tua abſconditam. At nimia ipſius excellentia mẽs, animus, ſenſusq́; mei carnales peccato uitiati repelluntur, quippe quæ cæleſtis, & diuina eſt. ſentiũt enim ad huius legis ſtudium requiri animum uitio carentem. Ea ſi quidem lex iuſtorum, non peccatorum eſt. Verum quis inter mortales ad illius ſtudiũ & obſeruationẽ idoneus reperietur? peccati tenebris circũfuſi oẽs legis ſplẽdorẽ ferre nõ poſſunt. Propterea ſi uis me, aut quẽq́ aliũ cæleſtis huius doctrinæ capacẽ eſſe, nos diuini ſpiritus tui luce perfundas, oportet. Supplici igitur p̃catione peto, ut mẽtis meæ tenebras disſipes, ut in lege tua p

ſpicere poſſim diuinas uirtutes tuas: ut te inde amare & voluntati tuæ obtemperare diſcam.

INCOLA EGO SVM IN TERRA. NON ABSCONDAS A ME MANDATA TVA.

INcolam iccirco ſe appellat, ꝙ acerbiſſima à Saule perſecutione (ut uidere eſt in ſacra Hiſtoria) & à patria, & à paternis ædibus exterminatus detineretur, alienasq́; regiones exul, inopsq́; peragrare cogeretur. Quod tamẽ exilium patientiſſimo ferebat animo, modo diuina oracula ſibi contemplari liceret, quibus calamitates ſuas conſolaretur. Cantica (ait inferius) mihi fuere iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Satis enim ſe beatũ putat, ſi in diuina ſibi philoſophia uerſari liceat. Iccirco ait. Incola ego ſum. Non abſcondas à me mandata tua. Qui uerè ſapientes, & diuino ſpiritu afflati ſunt, ſeſe ubiq; locorum terræ incolas, at cæli ciues eſſe ſentiunt. ſciunt enim ꝙ non habemus ciuitatem permanentem in terris, ſed cæleſtis illa Hieruſalem nos poſt hoc exilium ciues ſuos, & domeſticos Dei excipiet. Itaq; ſi (ut ipſe quoq; Cicero teſtatur) qui incola, & peregrinus eſt, non alienæ reip. ſed ſuæ curioſus eſt; nos quoque non terrenarum, ſed cæleſtium rerum, quæ noſtræ ſunt, curioſi ſimus. quando & Propheta ipſe ſanctisſimus talem ſe præſtitiſſe profiteatur, qui profundisſimam ſuam paupertatem in diuitias

cæleſtium bonorum abundare intelligebat. Quæ quoniam ſibi in diuina lege intueri licebat, ſubdit.

NE ABSCONDAS A ME MANDATA TVA.

QVemadmodum non ſine periculo alienas, & ſibi ignotas regiones peragrat, qui ſine duce uagatur: ita quicunque difficiles, & inuias huius uitæ uias ingreſſus eſt, ſi uerbi Dei ductu careat, in tenebris errat: in quibus neceſſe eſt, ut continenter offendat, et neſcit, quo uadat. In ſuo itaq; incolatu Vates diuinã diſciplinam tanquàm certisſimum ducem habere, & ſectari uolens. Ne abſcondas (inquit) à me mandata tua. Mandati tamẽ uocabulo intelligit cæleſtem doctrinam diuina præcepta, & mandata habentem, quã Deus tunc quaſi abſcondere dicitur, cum diuino ſuo ſpiritu eam nobis non reuelat, nec alto illius guſtu afficitur noſter animus. Eam autem non ſapientibus, & prudentibus huius ſæculi reuelat, ſed paruulis, ac de ſe humiliter ſentientibus: è quorum numero Dauid erat, qui de ſe ipſo ita teſtatur. ero ſemper humilis in oculis meis. propterea confidenter orat, cæleſtem doctrinam ſibi reuelari. Hoc eſt enim, Ne abſcondas à me mandata tua. i. fac, ut in tua ſanctisſima lege clarè & apertè intuear, quid mihi agendum, quid refugiendum ſit.

CONCVPIVIT ANIMA MEA DESIDERARE IVSTIFICATIONES TVAS IN OMNI TEMPORE.

EA eſt diuinæ legis pulchritudo, & præſtantia, ut quicunque illam deſiderat, uel ſolo deſiderio beatus efficiatur. Huius deſiderio ad nos trahitur Deus, dulciſſimum illius ſpiritum comparamus, diuinaq́ſ ſapiētia in corda noſtra illabitur. Non mirum itaq; , ſi ex animo Vates uel illius deſiderium concupiſcat, quandoquidem, & hoc ab ipſo diuinæ bonitatis fonte promanat. poſſe nanque diuina concupiſcere, & cæleſtia amare, non niſi terrena ſpernentibus conceditur. Terrenarum rerum uoluptas cum præterita eſt, pro nihilo eſt. At ea, quæ ex diuinæ legis ſtudio percipitur, ſemper accipit incrementum, & ſempiterna eſt. Diuina lex nunquàm ſatis concupiſcitur, nullaq́ſ unquàm ſatietate deſideratur. Ait enim de ſeipſa. Qui me edūt, adhuc eſurient. Qui me bibunt, adhuc ſitient. Flagrabat Vates deſiderio cæleſtis diſciplinæ, & philoſophiæ, ſed cum & carnis imbecillitate, & moleſtis alijs interpellationibus ab iſtius ſtudio abſtraheretur, id ægro animo ferens concupiuit illas deſiderare omni tempore. optauit ſcilicet iuſtum, ſanctumq́ſ huiuſmodi deſiderium ſuum nullo temporis momento, nullis interpellatio-

tionibus impediri. quandoquidem nihil homini contingere beatius poteſt, quàm in huiuſmodi ſtudijs ſine interpellatore uerſari poſſe. At contra, miſerabilius nihil accidere poteſt, quàm ab his prorſus auocari, & terrenarum rerum curis detineri. Ideo ſubdit.

INCREPASTI SUPERBOS. MALEDICTI, QUI DECLINANT A MANDATIS TUIS.

HEbraica lectio habet. Increpaſti ſuperbos maledictos, qui declinant à mandatis tuis. Hi increpari dicuntur à Deo, qui diris, & ſempiternis ſuppliciis afficiuntur. Miſeri omino ſunt, nec ulli miſerabiles redduntur, niſi qui ab ipſo Deo increpantur. Diuina nanq; increpatio, ipſa miſeria eſt. Increpaſti gentes (ait alias Vates) periit nomen earum. Et Eſaias, ecce, ait, dominus in igne ueniet reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis. Dicens itaque. Increpaſti ſuperbos maledictos, ſignificat Deum acerrimum ultorem fore in ſuæ legis contemptores. Superbos autem uocat contemptores, & irriſores uerbi Dei. ſiquidem & Salomon ait. ſuperbus, & arrogans irriſor nomen eius. Non enim ille tantùm ſuperbus appellatur, qui ſua ſapientia tumeſcens hu-

Pſal.9. Eſa.66. Pro.21.

humiles, & obſcuros homines contemnit: ſed ille in primis, qui propria ſua ſapientia, & iuſtitia inflatus Dei uerbum, & ſanctiſſimas illius leges contemnit: ut Pharao, ut Saul, & Phariſæus ille fecerunt. Quorũ primum, Pharaonem uidelicet, cum exercitu uniuerſo maris rubri fluctibus obruit. Alterum & regno, & uita miſerabiliter ſpoliauit. Tertium reprobauit. Hoc autem hominum genus maledictum execrabile, Deo, hominibusq; inuiſum appellat. Huiuſmodi enim hominibus nihil non aduerſi poteſt accidere: quandoquidem & Dei, & hominum execrationibus ſunt addi-
Deu. 28 *cti. Iccirco ad Iſraelem loquitur dominus. ſi non audieris Iſrael uocem meam, uenient ſuper te omnes maledictiones, & apprehendent te. Declinare itaque à mandatis domini, eſt uocem illius non audire, & ſanctiſſimæ ſuæ legi non parere: quæ ipſiſſima eſt recti regula. Declinant autem ab ea, qui uel aliam ſibi philoſophandi, uel uiuendi uiam deligunt, uel omni turpitudinum genere ſe ipſi contaminare non verentur, ſanctiſſima Dei lege contempta. Qui omnes eiuſdem criminis rei eodem ſimul ſupplicij genere afficientur. Quemadmodum itaque ſuperioribus uerſiculis declarauit ſtudiũ D. legis ſuo premio non cariturum, ita hoc quoq; uerſiculo declarat contemptum illius, habiturum & in præſenti, &*

& in futura uita ſempiterna ſupplicia, cuiuſmodi illud eſt. Ite maledicti in ignem æternum.

AVFER A ME OPPROBRIVM, ET CONTEMPTVM. QVIA TESTIMONIA TVA EXQVISIVI.

SVperbi illi, Deoq́ue execrabiles, qui diuinam legem, & ſtudium illius auerſantur, ſtudioſos etiam, & miniſtros uerbi Dei ludibrio habent, contumelia afficiunt, & acerbiſsimo odio inſectantur: turbas, & tragedias excitant contra ipſos, ut quandam perſimilem effigiem pij miniſtri referre cogantur patrum, prophetarum omnium, Chriſti, Apoſtolorum, ac deniq; eorũ omnium, qui cum fide, & pietate uixerunt. Quos omnium iniquiſsimè fert Diabolus, quippe qui euerſores ſint regni ſui. At non patitur Deus hos contemptos, & abiectos iacere perpetuò: ſed honorificantes ſe honorificat, glorioſos & illuſtres reddit, eos ab omni calamitate uindicans. Id quod hoc uerſiculo præcari uidetur Vates. Aufer (inquit) à me opprobrium, & cõtemptũ. opprobrium autẽ appellat contumelias, & calumnias ſibi immeritò inuſtas, quibus fieret, ut ipſe ſuaq́ue doctrina contemptui paſsim haberetur. Appellabatur. n. ab hoſtibus ſuis uir Belial, ſanguinarius, & reus læſæ maieſtatis in Saulem arcerebatur: de quo reuera plurimum benemeritus fuerat. Hæc ab improbis iactabãtur in uulgus, & obijciebant Dauidi. Et qua quidem re

re uehemẽtiſſimè cõmouebatur nõ ſua tantũ, ſed in primis uerbi Dei cauſa, quod in ſua perſona cõtemni animaduertebat. Ideo orat. Aufer à me opprobriũ, et contẽptum. i. declara, me prorſus immunẽ eſſe à calũnijs, quibus oneror, meq́ charũ, acceptũq; omnibus reddito ut hac ratione tua quoq́ doctrina, cuius ego miniſter ſum grata, acceptaq́ ſit omnibus, ut per eã ſalui fiant.

QVIA TESTIMONIA TVA EXQVISIVI.

Hæc cauſæ redditio, & ad ipſum uerbũ, Aufer, & ad Opprobrium, & contemptum referri poteſt. Si ad Verbum referatur, exigere uidetur præmium, ac mercedem ſtudij ſui, & diuinæ legis obſeruatæ, nempè ut obiecta ſibi probra diluantur, quandoquidem tantùm abeſt, ut tantorum criminum ſibi conſcius ſit, ut omne potius ſtudium ſuum in exquirendis domini teſtimoniis poſuerit. Senſus itaq; is eſſe uidetur. cum diuinæ tuæ legis domine ſtudioſus obſeruator ſemper extiterim, & nihilominus reus agar immanium ſcelerum, me quæſo pro diuina tua iuſtitia innocentem declara. Ita poſtulat promiſſio tua, qua teſtatus es, honorificaturum honorificantes te. Si uerò ad Opprobrium hæc cauſa referenda eſt, ſignificare uoluit Vates, ſe non haberi ludibrio, & contemptui à Saule, & ab aſſentatoribus eius ob eas calumnias, quæ ſibi uulgò obiiciebantur: ſed potius, quia teſtimonia Dei omni diligentia,

tia, & cura cuſtodierit, & eorum eſſet ſolertiſſimus indagator, quorum rurſus Saul eſſet contemptor. Propterea cum non diſſimilia ſolùm, ſed maximè contraria ſibi eſſent inuicē ſtudia utriuſq;, cum alteri nihil placeret, quod alter coleret, & obſeruaret: nulla inter ipſos pax conciliari poterat. Ideo Saul malo illo ſpū actus tanto furore Dauidem inſectabatur, ea præcipuè cauſa, quòd teſtimonia domini exquireret, eaq́; omnibus exquirenda doceret, qui Deo placere uolunt. Hæc autem cauſa & ſi ex ipſa hiſtoria non pateat, ex lectione tamen huius, & aliorum pſalmorum elici poteſt. Verum hanc cauſam diſſimulans Saul, prætexebat Dauidis inſidias contra ſe, ut ſpecioſo operculo cauſam ſuam honeſtaret. At Vates optimè intelligit, quid ſit, cur ſe Saul tantopere inſectetur, idq́; apertiſſimè pronuntiat. Quia (inquit) teſtimonia tua exquiſiui. q. d. una hac cauſa ſic uexor à Saule, quòd legis tuæ amantiſſimus ſim cultor. Ideo me maxima moleſtia libera, neq; patiare, me tot calumniis onerari.

ETENIM SEDERVNT PRINCIPES, ET ADVERSVM ME LOQVEBANTVR. SERVVS AVTEM TVVS EXERCEBATVR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS.

DEclarat à quibus potiſſimū malè audiret, quibus cū odioſus eſſet, nēpè maioribus natu, qui populo et iudicādo, et docēdo præſūt. Quod. n. hi cōmuni ſētentia decernunt, id ſolēt populi cōprobare. Qđ igitur illi ſua

ſua ſententia damnant, id damnare & populus ſolet. Propterea cum Vates à Saule, & à natu maioribus, ab ijs præſertim, qui eſſent in ſedibus iudices conſtituti, damnaretur: quid reliquum erat, niſi ut ipſe inſtar fe cis, & nocentiſsimæ peſtis uulgo haberetur? ſederunt (ait) Principes aduerſum me, quaſi æquo, pacatoq́; ani mo, non autem odio, & liuore cæcati laturi ſint contra me ſententiam ſuam. Sederunt (ait) & aduerſum me loquebantur. Humanis legibus cautum eſt, ut ſi reus à nemine defendatur, debeat à iudice ipſo defendi. At æqui hi iudices quæ tantum facerent contra Dauidē nullo defenſore munitum, loquebantur, & malo ipſorū exemplo populus in eundem debacchabatur: Verùm qualem ſe in terra præſtaret audiamus. Seruus autē tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis. Quàmuis ſciret ſeſe ob eam cauſam damnari ab omnibus, quòd verbum Dei, & doctrinam ipſius ſtudioſiſsimè ſectare tur: conſtantiſsimè tamen in ſuo propoſito, & pia quadam ſpiritus pertinacia permanſit: neque Saulis potē tia, neque iudicum ſententijs potuit à ſuo ſtudio abſtrahi. Sentiebat enim magis obediendum eſſe Deo, q̃ hominibus. Huiuſmodi conſtantiæ exemplum uidere eſt in eccleſiaſtica hiſtoria de inuicto quodam martyre Sancto, qui quia Chriſtianus eſſet ferro & igne deformatus, ut nihil hominis in eo præter uocem relictum eſſet, inter ſupplicia rogatus, quis eſſet: ut nomen, ut

ge-

genus, ut patriam ſuam proderet, reſpondit. Ego nihil aliud, q̃ Chriſtianus ſum. Hoc mihi nomen, hoc genus, hæc mihi patria eſt. Ita Dauid propter Dei uerbum damnatus, ſeſe nihilominus in uerbum abdit, ita ſe in eo immergit, ita ſe operit, & circundat: ut profiteatur ſe nihil aliud eſſe, q̃ verbum. Et profectò ita res habet, ut ſublato uerbo Dei ab homine, nihil miſero reſtet p̃ter tenebras, mortem, & Sathanæ regnũ. Itaq; qui pro uerbo pugnat, pro aris, & focis pugnat. vt igitur nihil imbecillius eſt homine uerbo Dei deſtituto: ita nihil illo potentius, qui fide, & patientia illud retinet. Hinc illa eſt uictoria, quæ uincit mundum; cuius fundamentum eſt uerbum Dei. vt .n. uerbo Dei humana carne induto & mare, & uenti obediunt: ita carni .i. homini uerbo induto ſeſe cuncta ſubijciunt. Qui credit in me (inquit Chriſtus) opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Quandiu itaq; retinet quis uerbum Dei, tandiu uictor omnium periculorum, peccati, mortis, & inferorum exiſtit. Hoc uno fulmine proſternitur Diabolus, euertitur regnum ipſius, patefiũt inſidiæ, in quibus ipſe deliteſcit. quãuis ſeſe in Angelum lucis transfigurat, nihilominus uerbo ueræ lucis proditur, tanq̃ fur in nocte. Vt igitur nihil formidabilius eſt Diabolo, q̃ uerbum Dei: ita nihil ille acerbius inſectatur, q̃ uerbũ, & uerbi miniſtros. Vbi non eſt uerbum, & exercitatio ipſius: ibi regnat Diabolus. Vbi

uerò eſt, & exercetur: ibi regnat Deus. Beati igitur, qui audiunt uerbum Dei, & cuſtodiunt illud. Quemadmodum apes ex thimo aridiſsima, aſperrimiq; ſucci herba, mel ſuauiſsimum conficiunt: ita Vates ex rebus incommodis illud ſibi commodum eliciebat, quòd uerbum Dei amantius amplectebatur, illiq; diligentius incumbebat. Et quo magis mori cogebatur mundo, eo felicius uiuebat Deo. Id quod ſequenti uerſiculo magis declarat.

NAM ET TESTIMONIA TVA MEDITATIO MEA EST, ET CONSVLIVM MEVM IVSTIFICATIONES TVAE.

HEbraica lectio habet. Nam teſtimonia tua meditatio mea, & uiri conſiliarij mei. Impij uerbi Dei irriſores arbitrantur ſtudioſos ipſius miſerrimos eſſe, & omni prorſus conſolatione deſtitutos. Ideo amentes eos, & communi ſenſu carentes iudicant, quòd diuitias, & delitias omnes cœleſti diſciplinæ poſtponant. At maximè ſua opinione falluntur. Nam uerbi Dei ſtudioſi neque conſilio, neque conſolatione ſua carere poſſunt. Quod ita eſſe, ſuo exemplo declarat Vates. Teſtimonia (inquit) tua meditatio mea eſt. Quod idem eſt, ac ſi diceret. Diuina tua lex, & ſanctiſsima doctrina oblectatio, & uoluptas mea maxima eſt. Hoc enim uerbum שעשע ſignificat plurimum in re aliqua meditanda oblectari. Diuina itaq; eloquia mentis, & ani-

mi

mi ſui delitium appellat. His nanq; ſeipſum in tantis perturbationibus recreabat, & animi ſui dolores mirificè conſolabatur: nec ulla hoſtium ui patiebatur, ſe ſe ab ea meditatione reuocari. Cuiuſmodi exemplum de Archimede legimus, qui cogitatione, & oculis in contemplandis lineamentis uſque adeo erat occupatus, ut neque diſcurrentes Romanos, neque captam urbem ſenſerit, & mori potius duxit, quàm inſtitutam rem imperfectam relinquere. Multo autem maiore mentis intentione Vates occupabatur in diuina lege cõtemplanda, ex qua uitam ſibi petendam cenſebat.

ET VIRI CONSILIARII MEI.

APpellat diuina teſtimonia conſilium, ſeu conſiliarios ſuos: nempè ex quibus conſilium, & auxilium in dubijs ſuis rebus petebat. Atque hoc dicens uidetur ſpectare Saulem circumſeptum turba aſſentatorum, quaſi dicat. Habeat Saul aſſentatores, & paraſitos ſuos, quorum aſſentationibus ſuam potentiam, ſuamq; beatitudinem metiatur. Quantùm uerò fallatur, ſentiet olim miſer ſuo magno malo. At ego non aſſentatorum, ſed fideliſſimo & amantiſſimo cœtu prudentium amicorum, & conſultorum ſtipatus ſum. Hæc ſunt eloquia domini. Hæc mihi non aſſentantur. Non

ego eorum ſententijs efferor. Non ſumo magnos ſpiritus: quin fideliter, & amanter me mihi oſtendunt: quàm uilis, quàm nihili ſim, quã nihil uiribus meis fidere debeam, continenter admonent. Verùm in tanta uilitate mea ne deſpondeam animum, ne ſpem abijciam, ſed magno ſim animo, hortantur: qui omni mea uirtute, omniq́; humana ope deſtitutus magna domini uirtutum uirtute ſtabilior. Horum ego prudentisſimis cõſilijs, & fidelisſimis admonitionibus faciles aures adhibeo. Non mea aut alterius cuiusq; opinione, ſed diuino tantum teſtimonio me ipſe metior. ſi igitur uel Plutarcho etiam teſte, ſermones amici conſiliarij ſunt: & ex his, ut ex amicis, ille eſt optimus qui nobis in noſtris calamitatibus præſto adeſt, & indigentibus auxiliũ præſtat: cur non rectius appellat Vates ſermones Dei conſiliarios ſuos? Quomodo in tantis malis ſecuro animo non conſiſteret, qui ſibi conſultores, & conſiliorum miniſtros Dei ſermones adoptauerit? Hæc profectò ea retributio eſt, qua dignatur illos Deus, qui legis, & doctrinæ ſuæ cultores ſunt. Qua fit, ut illius amantiores fiant, & ab illius ſtudio nullis neque aduerſis, neq; ſecundis rebus ſeſe abduci patiantur.

epilog.

Daleth. ד

HÆC littera oſtium, ſeu ingreſſum ſignificat. Per huius ſiquidem diuinæ diſciplinæ ſtudium acceſ-

ſum

ſum habemus ad Deum, ad quem tamen non niſi per magnas tribulationes peruenire poſſumus. De his tractat Vates ſub hac littera, ut pij homines intelligant ſe ſe tribulationibus non excludi à regno Dei, ſed ad illud potius ſibi aditum aperiri. Quod de ſe quoque teſtatus eſt dominus. Non ne (inquit) oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Quales itaque, & quantas calamitates paſſus ſit ab impijs, ſectandæ huius diſciplinæ cauſa, hoc octonario docet.

ADHÆSIT PAVIMENTO ANIMA MEA. VIVIFICA ME SECVNDVM VERBVM TVVM.

EDitio hæbraica habet. Adhæſit pulueri anima mea. ſed interpres ideo fortaſſe uertit. Adhæſit pauimento. quia puluis loco pauimenti nobis ſit. Eſt autē locutio metaphorica huic Vati familiaris: qua corporis, & animi afflictionem declarat. Quod uidere eſt in pſal. 43. in quo Iſraelem calamitates ſuas deplorantem in hunc modum inducit. Conglutinatus eſt in terra uenter noſter, ſeu adhæſit terræ uenter noſter. Humiliata eſt in puluere anima noſtra. Cum enim nihil ſit puluere cōtemptius, ei adhærere dicuntur, qui ab alijs conculcantur, ac etiam à potentioribus tāquàm à ualidis uentis deijciuntur, & ſolo æquantur. Quod Eſaias de Babylone in Cyri poteſtàtem redigenda ſimili orationis tropo prædixit. Deſcende (inquit) ſe- Pſal. 43

Eſa.47. de in puluere filia Babylon. Ac rurſus, ſurgere de puluere, eſt ad meliorem uitæ conditionem reuocari, ſicuti dictum eſt Iehu. pro eo, quòd exaltaui te de puluere, & poſui te ducem ſuper Iſrael &c. Dicens
3.reg.16. itaque Vates, ſe pulueri adhæſiſſe: ſignificat, ſe non ſecus à Saule, & principibus conculcatum, ac puluis conculcari ab hominibus, & proijci à uentis ſolet. Impij itaque uerbi Dei irriſores quo loco habeant pios, hinc perſpici facilè poteſt; ſe uerò quàm ſuſpiciendos, quàm admirandos exiſtiment, hinc quoque conijci poteſt. Verùm utrorumq́; & piorum, & impiorum ſpectandus eſt exitus. Illos humi iacentes reſpicit dominus, & pauperes de ſtercore erigit, ut collocet eos cum principibus populi ſui. Hos autem non ſic, ſed tanquàm puluis ſunt coram Deo,
Pſal.1. quem proijcit uentus à facie terræ. Ideo non reſurgent in iudicio iuſtorum. Animam autem ſuam pulueri adhæſiſſe dicit, quòd non modò in corpore, ſed in animo etiam illatas ſibi iniurias ſentiret. Quando quidem animus æquè, ac corpus affligebatur. Nulla tamen neque præſentium, neque imminentium malorum ui à pietate diſcedebat, ſed ſanctiùs eam colebat. Quòd igitur uehementiſſimè affligeretur, ex eo cognoſcimus, quòd ardentiſſimè orat.

VIVIFICA ME SECVNDVM VERBVM TVVM.

CVm in maximis anguſtijs animus uerſatur, maxima ſubinde ſolatia excogitat, quibus ſeſe diffundat. Cum grauiter laborat, ſalutaria remedia protinus quærit. Verùm Dauid cum in tantis uerſaretur anguſtijs, cum tantis angoribus premeretur, nullũ potentius, nullumq; ſalutarius remedium reperit, quàm ſtudium, & aßiduã meditationem uerbi Dei. Hoc etenim uiuificandi, & recreandi maximam uim habet. Vix dum illius reminiſcimur, cum primùm uiuificam illius uirtutem ſentimus. Quod cum expertus didiciſſet Vates, Viuifica (inquit) me ſecũdum uerbũ tuum. Tunc autem uiuificatur animus uerbo Dei, quando ſpe ex uerbo concepta, erigitur in Deum, & in illius potenti uirtute confortatur. Propterea cum dicimus, ſecundum uerbum tuum, accipi poteſt ſecundũ promisſiones nobis uerbo tuo factas. Deus ſiquidẽ his ſeſe perpetuò affuturum pollicitus eſt, & bonis omnibus cumulaturũ, qui in ſtudio diuinæ ſuæ legis ita uerſantur, ut in ea ſummam ſibi felicitatem quærendam putent: ut rurſus omnia mala interminatus eſt illam ſpernentibus. Sciens itaq; Vates Deum promisſionis ſuæ maximè Zelotem eſſe, & in ſuo uerbo conſtantem, fidenter petere uidetur mercedem promisſionis. Viuifica (inquit) me ſecundum uerbum tuum.

uerbi dei uiuifica uirtus.

Deu. 28.

VIAS MEAS ANNVNCIAVI, ET EXAVDISTI ME. DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

Vias ſuas annuntiare eſt animi ſui conſilia, & cogitationes, nec non actiones ſuas, ſuosq́ mores palàm, libero ore, & ingenuè confiteri: non ea tamen cauſa ut uel à Deo, uel ab hominibus laudis quicquàm, aut gloriæ comparetur: ſed ut rei ueritas potius enarretur. Quæ itaque eſſent animi ſui cōſilia, quæq́ actiones, eas ſe Deo aperuiſſe teſtatur, ut ſi quid in his reprehendendum eſſet, reprehēderetur, torrigereturq́. Quicunq; autem uias ſuas Deo enarrare nō dubitat, ſummæ ſe innocentiæ conſcium eſſe ſignificat. Ideo contra obtrectatores ſuos ſeſe Dei teſtimonio conſolatur, ſatisq́ ſibi eſſe arbitratur, ꝙ uiæ ſuæ domino probētur. Quid de ſe principes, & populares ſentirent, & obtrectarent, id nihili, aut parui faciebat.

ET EXAVDISTI ME.

Verbum hebraicum ſignificat cū atteſtatione, & aſſeueratione quadam ad interrogata reſpondere. Quod tamen ferè ubiq; per uerbum exaudio interpres ideo uertit, ꝙ qui narrat, oret, & oranti Deus reſpondeat. Idem itaq; eſt, exaudiſti me, quod reſpondiſti mihi. Reſpondere autem uidetur Deus, quando narrata comprobat, illisq́ ſubſcribit. Comprobat autem

Exaudire pro reſpondere

De-

Deus actiones, & conſilia illius, quem omnibus probatum tandem eſſe facit, & hoſtium illius improbitatem coràm omnibus detegit. Quod Saulis interitu perſpectum eſt. Diuina ſiquidem iuſtitia factum eſt, ut Dauid iuſtus in omnibus uijs ſuis: Saul uerò impius declaratus ſit. Sua itaq; iuſtitia Dauidi, Sauli uerò ſua impietas demum reſpondit. Quod et ſi nondum effeciſſet Deus, Dauid tamen nixus ueritate Dei, id tam certò futurum ſciebat, ac ſi iam factum fuiſſet. Propterea dicit. Reſpondiſti mihi, quod eſt, retribuiſti mihi.

DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

Vates uideri poterat nimis arrogãter locutus, qui dixerat. Vias meas narraui tibi, & reſpõdiſti mihi. id eſt ac ſi dixißet. Tam innocenter, tam inculpatè uitam meam tranſegi hactenus, ut cum primùm rationes illius Deo enarrauerim, ille mihi ſtatim reſponderit, eam comprobans, & debita mercede remunerans. Ideo ne temerarius uideretur, ſtatim ſubdit. Doce me iuſtificationes tuas. Quibus uerbis teſtatur, quòd licet uitam puriter egerit, nulliusq́, admisſi facinoris ſibi conſcius ſit, non propterea tamen ita de ſe exiſtimet, ut iuſtus, & perfectus coràm Deo uideri uelit, qui ſciat ſe diuinis iuſtificationibus egere, ut qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Nam qui diuinas iu-

ſtificationes ſe doceri uult, ſe non omnino iuſtum, & perfectum eſſe oſtendit, ſed ſua qualicunque iuſtitia non contentus, adhuc ſe iuſtificari poſtulat. Q. d. licet nullius mihi conſcius ſim ſceleris, licet pro uiribus meis puriter uixerim: ſi tamen huiuſmodi iuſtitiam meam confero cum ea iuſtitia, quam diuina lex tua requirit à me, quæ perfectiſſima eſt: uideo me totum madere peccato. Iuſtitia mea uniuerſa eſt tanquàm pānus menſtruatæ. Ideo ſupplex ad gratiam tuam me totum conuerto, dicoq́. Doce me iuſtificationes tuas, ideſt, uerbo, & ſpiritu tuo orna me non una, aut altera iuſtitia, ſed iuſtificationibus tuis: ut eas omnes aſſecutus, coràm te uerè iuſtus ſim, & inueniar.

VIAM IVSTIFICATIONVM TVARVM INSTRVE ME, ET EXERCEBOR IN MIRABILIBVS TVIS.

TAm procul abeſt ab omni animi elatione, & faſtu Propheta ſanctiſſimus, tanquàm à phariſaica illa propriæ iuſtitiæ opinione abhorret, ut eàm non modò ſe non aſſecutum, ſed illius uiam ſe adhuc ignorare fateatur, & eam ſeſe doceri poſtulet. Viam (inquit) iuſtificationum tuarum inſtrue me &c. Via autem certa, & germana hæc eſt ratio, & methodus diuinæ doctrinæ, & ſanctiſſimæ legis intelligendæ. ſiquidem & Cicero in Academicis diſputationibus uias no-

notitias, & perceptiones quaſdã interpretatur, ut hoc loco accipit Propheta. Quæ quidem uiæ non omnibus notæ ſunt, ſed Deo monſtrante inueniuntur. Tunc autem uias ſuas nos edocet Deus, cum ſenſus aperit, ut intelligamus diuinas ſcripturas: Poſſunt quidem homines humanarum diſciplinarum præcepta tradere, quæ in terrenis uerſantur. At cum ſacrarum ſcripturarum, & diuinæ legis doctrina cœleſtia complectatur, de ea ſolus Deus certam dare rationem poteſt, eamq; docere. Cum uerò humanarum diſciplinarum ſit ſui ſectatores elatos, ſibiq; placentes efficere: huius uerò diſciplinæ non inflare, ſed ædificare. Iccirco Vates utitur uerbo hebraico בנה quod intelligendo ædificare, & perficere ſonat, ut ſignificet ſe in hac doctrina ædificari malle, q̃ doceri. Docendo autem ædificat Deus, cum quos ipſe erudit, in ipſa Dei cognitione quotidie magis proficiunt: fidemq;, ſpem, & charitatẽ adaugent, ut in perfectos uiros euadant.

ET EXERCEBOR IN MIRABILIBVS TVIS.

SVperius diximus uerbũ hebraicum, שחח quod ferè ubiq; interp̃s uerbo Exerceri uertit, ſignificare quoquõ, & omni prorſus rõne tã corpore, q̃ animo aliqua in re occupatũ eſſe. Dicẽs itaq;, Exercebor in mirabilib. tuis. ſignificat quẽ Deus legẽ ſuã, ſuãq; doctrinã docet, hũc ip̃m nõ animo tãtũ in ſtudio, & meditatiõe

illius, ſed etiam corpore in ſanctis operibus occupatum, ac detentum eſſe, & in ea quaſi uirtutum omnium palaſtra exerceri. Quemadmodum enim qui extra ſtadium aut certat, aut currit, ne certaſſe quidem, aut cucurriſſe iudicatur, ſed ille tantummodo coronatur, qui in illo legitimè currit, & certat: ita neque iuſtus cenſetur, nec iuſtitiæ corona donabitur à iuſtiſſimo iudice Deo, qui extra hanc diuinam diſciplinam Philoſophiæ, & uirtuti operam dederit, ſed qui in ea ſeſe exercuerit. Propterea non abſolutè dixit Dauid, in hac, uel in illa diſciplina exercebor, ſed in mirabilibus tuis, de quibus ſupra: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Appellat arcana, & myſteria legis recondita in lege nomine mirabilium, ad quæ non niſi mentes diuino ſpiritu afflatæ aditum habere poſſunt: quandoquidem omnem ſenſum, & mentis faſtigium ſuperent: ut in uerſiculum ſupra, Reuela oculos meos &c. enarrauimus. Non enim in Dei mirabilibus ſeſe exercet, qui humanæ tantum Philoſophiæ operam nauant: ſed potius qui huic ſanctiſſimæ legi toto pectore incumbunt.

DORMITAVIT ANIMA MEA PRAE TAEDIO: CONFIRMA ME IN VERBIS TVIS.

SVperiore huius octonarij uerſiculo oſtendit, q̃ fuerit ab hoſtibus ſuis deiectus, oppreſſus, ac penè in pulue-

uerem redactus. Adhæſit (inquit) pauimento anima mea. Nunc uerò quanto in luctu, & mœrore uerſatus ſit ob calamitates, quibus ab hoſtibus ſuis affectus fuerat, elegãtisſima metaphora teſtatur. Dormitauit (inquit) anima mea præ tædio. Hebraicè eſt. Diſtillauit anima mea præ mærore. ſed interpres non ab re uertit, dormitauit. In Dormitione enim & ſomno anima quaſi ſoluta corporis ſenſibus, euagari, effluere, & penè diſtillare uidetur. Cum itaque maximo, ac penè incomparabili mœrore conficeretur Vates: ipſius quoque anima effluere, & per lachrymas ex oculis, quaſi aqua diſtillare uidebatur. Cuiuſmodi & illud eſt. Anima mea, ſicut aqua, effuſa eſt. In tantis tamen angoribus, ac mœroribus, in tantis item lachrymis nunquàm abſterreri potuit à ſtudio diuinæ legis: ſed unico ſolatio, quod inde capiebat, ſuſtentabatur. Sancti Dei homines nõ (ut Stoici inaniter profitentur) in malis ſunt indolentes, at in illis perferendis ſeſe fortes, & inuictos præbẽt, confortati in domino, & in potentia uirtutis eius.

CONFIRMA ME IN VERBIS TVIS.

VErbum Dei idem eſt animæ noſtræ, quod agger aquis: Eo enim continentur aquæ, ne effluant, & ſibi conſtitutos terminos, ne tranſiliant. Ita anima noſtra uerbo Dei, quaſi aggere cohibetur, ne huc atque illuc aberret, & iuſtitiæ limites excedat. Sentiens itaque

que Vates, animam ſuam præ dolore effluere, orat, ut uerbo Dei contineatur, quaſi obice, atque ita confirmetur, ut intra corporis ſenſus, quaſi ripas, & aggeres contineatur, ne à ueritate per falſas ſibi obiectas
Iob. 19. ſpecies euagetur: ut dicere cum beato Iob poſſit. circumſepſit dominus ſemitam meam. Quod autem orat ſe confirmari in uerbis Dei, ſignificat, nos per nos id præſtare non poſſe: quandoquidem ipſa aqua fluxiores, & labiliores natura ſumus. Verbo itaque Dei, tanquàm trabali clauo in officio pietatis continemur.

VIAM INIQVITATIS AMOVE A ME, ET DE LEGE TVA MISERERE MEI.

CEbes ille Thebanus duas uias uitæ in tabella pictas proponebat, eas fortaſſe edoctus à Pythagora, qui eaſdem ſub littera y docuit, quas etiã Propheta hoc octonario noſtros ob oculos ponit. Quarum alteram uiam iuſtificationum appellat, quam diſcere uehementiſſimè exoptat: alteram uerò uiam iniquitatis, quam à ſe prorſus eſſe amotam precatur. Viã (inquit) iniquitatis amoue à me. Hanc autem uiam niſi ſibi ineſſe ſentiret, non utiq; oraret, ut Deus ipſam à ſe amotam faceret. Viã autem iniquitatis quid aliud eſſe intelligit, quàm procliuitatem, & propenſionẽ illam ad malum nobis agnatam, & cum lacte matris imbibitam? quæ cum ad peccatum, & ad iniquitatem

tem ſanctiſsimos etiam uiros ſolicitet, meritò uia iniquitatis appellatur. Fons etenim eſt, ex quo malorum omnium lues emanat. Hoc illud eſt peccati corpus, à Theologis peccatum Originale appellatum. Cuius uim ſentiens diuus Paulus, in has queribundas uoces prorupit. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quæ quidem liberatio quoniã non niſi à Deo per Ieſum Chriſtum fieri poſſit. Ideo ſubdit. Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Hanc itaq; gratiam Vates tãtopere petit, cum dicit. viam iniquitatis amoue à me. Niſi enim diuina gratia ea à nobis amoueatur, iuſtificationum uiam ne ingredi quidem poſſumus. Id autem fidentiſsimè petit, quòd ſciret Deum non negaturum, ſed promptiſsimè præſtiturũ, iuxta illud Ezechielis. Auferam à uobis cor lapideum, faciam ut faciatis, & in præceptis meis ambuletis. Hoc ſiquidem propriè eſt, uiam iniquitatis à nobis amouere.

Rom. 7.

Rom. 7.

Eze. 36

ET DE LEGE TVA MISERERE MEI.

DIuus Hieronymus legit. Et legem tuam dona mihi. Verbum hebraicum חנך ſignificat gratuitò donare, ſeu condonare: cuius etiam ſignificationẽ declarans interpres uertit. De lege tua miſerere mei. q.d. quòd legi tuæ non ſatisfacio, quòd illius præcepta tranſgredior, id mihi pro clementia tua condona.

Vi.e etenim iniquitatis, quæ mihi hæret in interioribus medullis, me ſæpe uel nolentē abducit à præſcripto legis tuæ. miſerere itaq; mei.

VIAM VERITATIS ELEGI. IVDICIA TVA NON SVM OBLITVS.

VIam iniquitatis intra ſe ſentiebat Propheta, quēadmodum & D. Paulus de ſeipſo fatetur. ſentio
Rom. 7. *(inquit) aliam legem repugnantem legi Dei in membris meis, & captiuantem me in lege peccati. ſed precatus hanc à ſe procul amoueri, aliam ſibi uiam delegit, nempè ueritatis, ſeu (ut D. Hieronymus uertit) fides uiam: quæ eſt ſanctiſsima lex, & doctrina Chriſti, per quam non modò mores, ſed fidem etiam adipiſcimur. Fides enim eſt ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Humanæ itaq; corruptelæ conſcius Vates, ſentit de ſua ſalute omnino ſibi eſſe deſperandum, niſi ad uiam fidei, & ueritatis (quæ ingredientem non fallit) tanquàm ad ſacram anchoram confugiat: extra quam non niſi error, deſperatio, & mors eſt. Ideo cæteris omnibus uijs relictis, hanc unam ſibi ingrediendā adoptat, & per eam perpetuò ſibi incedēdū arbitratur.*

ET IVDICIA TVA NON SVM OBLITVS.

D. *Hieronymus uertit. Et iudicia tua proponebā mihi. Verbum ſiquidem hebraicum* שוה *rem rei*

com-

parare, & potiorem ſibi ſequendam proponere ſignificat. Diuina itaque iudicia, quæ in ſua lege declarat Deus, Propheta conferebat cum alijs legibus, et diſciplinis, eaq́ꝫ cæteris omnibus ut pote longè præſtantiora anteponebat. Interpres autem ideo uertit. Iudicia tua non ſum oblitus. quòd ea Vates ſibi proponens, conſtituerit ſibi perpetuò eſſe ſeruanda. Quæ non mediocris eſt fælicitatis pars. Nam (ut Philo etiam teſtatur) ut ex præcipuis, bonis in corpore eſt ſanitas: ut in nauigatione proſperitas: ita in animo non obliuiſcendorum memoria. Vt enim qui corporis ſanitatem habet, ualet; qui ſecũdis uentis utitur, proſperè nauigat: ita qui uiam ueritatis, ideſt uerbum Dei non obliuiſcitur: felix, & beatus uiuit. Is autem minimè obliuiſcitur, qui iſtud ſibi in omni uita ſequendum proponit. Philo.

ADHAESI TESTIMONIIS TVIS DOMINE.
NOLI ME CONFVNDERE.

S*Ignificat, ſe in uerbo Dei, et in lege, ac diſciplina ipſius, quam teſtimonia appellat Dei, omnem ſpem ſuam, ſuamq́ꝫ fiduciam collocaſſe, tanquam in opulento omnium bonorum theſauro: cui mente, et animo ita ſit alligatus, ut nulla inde ratione diuelli queat. propterea ait. Adhæſi teſtimonijs tuis. Quo uerum apparet, quod Chriſtus ait. Vbi eſt theſaurus tuis, ibi eſt*

& cor tuum. Quæ enim cariſſi. nobis, et pretioſa ſunt, ea nobis manēt altamente recondita, Ita quoque Dauid cum charius, pretioſiuſq́; nihil haberet diuina lege, in omnibus rebus ſuis aduerſis recordatione illius ſuſtentabatur. Videamus & nos quanti facere diuinam doctrinam, quam charam, quam pretioſam habere debeamus: quippe quæ ſit immortalitatis radix.

NOLI ME CONFVNDERE.

PLurima, maximáq́; bona pollicitus eſt Deus diuinæ ſuæ legis amatoribus, quorũ ſpe ducti ita, illius ſtudio ſunt addicti, ut multa ſæpe perferre mala cogãtur, dum ſanctiſſimas leges omnibus omnium hominum inſtitutis, legibus, & diſciplinis præferendas iudicant. Propterea cum Dauid multa mala in diuinæ legis gratiam perferret; orat ne, ſi multa ob legem patiatur, fraudetur aliquando ſpe, et expectatione bonorum ſibi promiſſorum. Noli (inquit) me confundere. Neq; tamen ita loquitur, qui Deo parum fidat, quin potius firmitudinem, & conſtantiam Dei in promiſſis oſtendit, quod de ea nihil omnino dubitandum eſſe doceat; cum ea ſit Dei uoluntas, ut uiam ueritatis diligentem: et in ſe confidentem pudefieri nullo unquàm tempore patiatur.

Viam

VIAM MANDATORVM TVORVM CVCVRRI, CVM DILATASTI COR MEVM.

VErùm illud Philonis dictum. Præceptiones hominum tardæ, at diuinæ celerrimæ. Quanto enim labore, & ſudore homo hominem docet? Quantulum item illud eſt, quod ab altero quis edocetur? quando quæ ſupra humanum captum ſunt, percipiet quiſq̃, aut percepta perficiet? Verùm ubi diuinus ille ſpiritus unicus cæleſtium diſciplinarum magiſter mentem afflauerit, mirum quàm celeriter diuina percipiantur, ac ſine labore perficiantur. Propheta toties poſtulat ſe diuinitus de diuinis rebus erudiri, ut diuinæ perceptionis ui, uiam mandatorum Dei currat. Nam niſi diuinitus erudiatur, ſentit, ſe ne pedem quidem mouere poſſe, nedum currere. Viam (inquit) mandatorum tuorum curram. Vbi præteritum pro præſenti accipiendũ eſt. Via autem, quam hoc loco uiam mandatorum appellat, eadem eſt, quam ſupra iuſtificationum, & ueritatis uiam appellauit. Hanc ſe liberè percurſurum profitetur, licet principes curſum ſuum retardare conarẽtur. Currere autem eſt liberè, & abſq; ullo impedimẽto in diuinis proficere. Nam & D. Paulus hoc uerbo in hanc ſententiam uſus eſt. Currebatis (inquit) benè. Quis uos impediuit, ut non obediretis ueritati. Idem itaque eſt, uiam mãdatorum tuorum curram, ac ſi di- Gal. 5.

ceret. In ſtudio, & obſeruatione legis tuæ maximos progreſſus faciam: & ueritati in ea mihi reuelatæ promptiſſimè parebo.

CVM DILATASTI COR MEVM.

*QVia (ut ait D. Paulus) non eſt uolentis, neq; currentis, ſed Dei miſerentis: nequaquàm Vates uiribus ſuis tribuit, quod curſurus ſit mandatorum uiã, ſed quicquid id eſt, diuinæ miſericordiæ acceptum refert. Ideo ſubdit. Cum dilataſti cor meum. q. d. ego quidem curram, attamen gratiæ tuæ aſcribam huiuſmodi curſum meum. Quomodo nanq; currere potuiſſem, niſi tu prius cor meum dilataſſes? Dolores, timores, & id generis paſſiones cor hominis ita contrahũt, arctant, conſtringuntq́;, ut & cætera membra langueſcere neceſſe ſit, & ad currendum minus apta reddantur. Verum ſi ab huiuſmodi paſſionibus uacuum, ac liberum fuerit, fideq́;, ſpe, & charitate dilatatum, hominem tunc alacrem, & ad currendum, quàm maximè paratum reddit, & expeditum. Curram itaque (ait) ſed tunc potiſſimùm, cum tu cor meũ dilataueris, illudq́; fide, & ſpe uerbi tui repleueris, & in tui charitate con*epilog.*firmaueris. Sic itaq; fiet, ut qui primùm per anguſtã afflictionum, & malorum portam ingreſſus fuerit, & uiam ueritatis ſibi percurrendam delegerit: in domino tandem dilatetur, & maioribus accumuletur*

bo-

bonis, donec & ipſum Deum fuerit conſecutus. Amen.

He. ה

LITTERA ה una eſt ex ſacris notis, quib. magnum, & ſacrum illud Dei nomen, Tetragrãmaton, ſcribitur. Qua quorum inſigniuntur nomina, intelligimus, eos diuinitatis eſſe participes exẽplo Abrahæ, & Sarrhæ, qui cum primùm ille Abram, hæc Sarrà uocarentur, poſt diuino oraculo Abraham, & Sarrha uocati ſunt. Hæc autem littera ideo litteram Daleth ſequitur, quòd eos, qui ueritatis, & fidei uiam ſibi delegerint, & per eam ſibi incedẽdum ſtatuerint, magnis licet tribulationibus propoſitis, ipſa diuinitas ſequetur: immo Deum ipſum conſequentur, qui in ueritatis, & fidei ſemitis ambulantibus quaſi brauium propoſitus eſt; quemadmodum ipſi Abrahamo dictum eſt. Noli timere. Ego ero merces tua magna nimis. Vates igitur ueritatis uiam ingreſſus, uerbi Dei ſtudio contendit ad ipſum uſq; Deum peruenire. Hunc itaque ſibi ducem, & doctorem adoptat, atq; in hunc modum ſupplex precatur.

Gen. 17

Gen. 14.

LEGEM PONE MIHI DOMINE VIAM IVSTIFICATIONVM TVARVM, ET EXQVIRAM EAM SEMPER.

PRæcedenti octonario quid pro uia accipiendum

ſit, docuimus, nempè notitiæ, & præceptiones quædam, quibus in alicuius diſciplinæ cognitionem uenimus, Quas cum ſolus Deus tradere, & docere poſſit, ab eo ſe illas doceri poſcit Vates. Quod non ſemel ſupra quoque fecit. Quòd autem hic petit, non ſenſu, ſed uerbis differt ab eo, quod ſupra orauit. Viam (ait) iuſtificationum tuarum inſtrue me. Ibi ſiquidem utitur uerbo בנה quod intelligentia ædificare: hic uerò uerbo ירה quod diſciplina illuſtrando docere ſignificat. Ibi nomen, quod interpres uertit. Viam iuſtificationum, eſt פקודי Hic uerò habetur חוקי. Quæ quidem nomina licet diuerſam habeant ſignificationem apud hebræos in ſpecie: alterum enim depoſita, alterum uerò ſcripta ſignificat: quia tamen idem ſunt in genere, interpres eodem ea uocabulo uertit, nempè iuſtificationum. Nã ſcripturas ſpiritu Dei allatas, & eiuſdem digito ſcriptas, iuſtificationes Dei hic appellauit Propheta, ꝙ diuinarum ſcripturarum fide, et obſeruatione ipſe Deus nos ipſos coràm ſe, & hominibus iuſtos efficiat. Quòd autem interpres unicum uerbum hebraicum uerterit, pro Legem pone mihi domine: cum potius uertere potuiſſet, Doce me domine uiam iuſtificationum tuarum: id fortè ea factum eſt cauſa, ut uim hebraici uerbi magis exprimeret, quandoquidem ſignificat cum maxima energia, & efficacia docere, & traditam doctrinam in diſcipulorum

animos altiſſimè defigere. Verbum enim ירה iaculari, per translationem autem docere ſignificat, quod docentis uerba ex ore quaſi ex arcu ſagittæ in auditorum animos torqueantur, infiganturq́. Quod olim cum Chriſti diſcipulis factum nouimus, quippe in quos Summus Pater igneas illas linguas iaculatus fuit: quibus factum eſt, ut ipſi ex rudibus perititiſſimi, ex infantibus eloquentiſſimi, atque ex imbecillibus fortiſſimi euaſerint, ut nullo metu perterriti magnalia Dei loquerentur: quia ipſi quoque tanta ſpiritus uehementia cœleſtem doctrinam docebant, ut non docere, ſed iaculari ſagittas in auditorum animos uiderentur. Orat itaque Vates. Legem pone mihi domine uiam iuſtificationum tuarum q.d. Doctrinam tuam ſanctiſſimam ò domine in cordis, & animi mei penetralibus figito, ut nulla unquàm ui inde extrahi poſſit.

ET EXQVIRAM EAM SEMPER.

D. Hieronymus uertit. Et cuſtodiam eam per veſtigium. Sed quia qui cuſtodit Dei doctrinam, eam etiam exquirit, ideo interpres ſenſum potius, quàm uerbum intuitus, more ſuo tranſtulit, exquiram. Vocem præterea hebraicam עקב ueſtigium, ſeu calcaneum ſonans, pro ſemper, interpretatus eſt: quod calcaneũ ſit extrema pars corporis, & pro fine, & extre-

mitate temporis ponitur, quod porrò idem eſt, uſque in finem, quod ſemper. Diuina etenim, & cœleſtis doctrina infinitus eſt Dei theſaurus, qui exhauriri nulla ratione poſſit. Iccirco Vates ait. Cuſtodiam, ſeu exquiram eam ſemper. Nemo enim quãtumlibet in ſtudio, & obſeruatione illius conſumatiſſimus ſit, de perfecta adeptione illius gloriari poteſt. Propterea qui illam exquirit, illamq́ue cuſtodit, ſentit ſupereſſe ſemper, quod magis, magisq́ue exquirat. Quod inſuper ait. Cuſtodiã eam ſemper, declarat non hoc, uel illo tantùm tempore diuinam legem exquirendam, & obſeruandam eſſe, ſed perpetuò, ac ſine ulla intermiſſione.

DA MIHI INTELLECTUM: ET CUSTODIAM ILLAM IN TOTO CORDE MEO.

QVod interpres uertit. Da mihi intellectum, hebraicè eſt הבינני *quod à uerbo* בנה *quod ædificare ſignificat, uenit. In cõiugatione enim Piel per trãſlationem pro intelligere, in cõiugatione uerò Iphil pro intelligentem facere accipitur. Huiuſmodi autem tranſlatio ideo fit, quod quemadmodũ ædificans quæq́ue ſuo loco aptè diſponit, & lapidem lapidi apponens ædificium adauget: ita qui uitam, actiones, & cogitationes ſuas nouit, aptè diſponit, & in his, quæ intelligit, opere proficit ſemper. Orans itaque Vates. Da mihi intellectum. petit, ſe non ſolùm doceri à Deo diuinam*

nam legem, cæleſtemq́; doctrinam, ſed eiuſdem ita ſe fieri capacem, & intelligentem, ut quo ordine, quáue ratiõe, quæq́; tradita ſint, & cõſtituta, rectè percipiat, & quæ perceperit, & intellexerit perficiat: ut fidem ſuam adaugeat, ſpem magis, ac magis confirmet, & charitatem, per eiuſdem diuinæ Legis expletione dilatet. quod eſt omnis homo.

ET SCRVTABOR LEGEM TVAM.

Seu (ut uertit D. Hieronymus, & hebraicum uerbum ſonat) Et ſeruabo legem tuam. Diuinam. n. doctrinã hanc ſcrutando, & inquirendo potiſſimùm ſeruamus, & ſeruando ſcrutamur, & inquirimus. ſed prius nobis orandus Deus, ut illius intelligentes nos faciat, ne quod ipſi minus intelligimus, quærentes, & ſcrutantes illud fruſtra quæramus. Ideo prius orat. Da mihi intellectum. poſt ſubdit. Et ſcrutabor legem tuam.

ET CVSTODIAM ILLAM IN TOTO CORDE MEO.

IN intellectu, & corde ſimul cæleſtis hæc doctrina ſeruanda eſt: in intellectu, ut illi fides adhibeatur: in corde, ut diligatur, & opere compleatur. His autem uerbis repetit eandem ſententiam, qua ſupra. ſcrutabor, inquit, legem tuam. Toto autem corde ſe ſeruaturum dicit. Cum enim cor ſit totius uitæ fons, & animæ ſedes, & Vates profiteatur, ſe toto corde diuinam Legem ſeruaturum, ſignificat, ſe totius, uitæ actiones ad il-

illius regulam accommodaturum. Idem nanque eſt, cuſtodiam in toto corde, quod in omnibus uitæ actionibus exequar.

DEDVC ME IN SEMITAM MANDATORVM TVORVM, QVIA IPSAM VOLVI.

SVperius perſæpe meminit uiam iuſtificationum & uiam mandatorum. Nunc uerò deduci ſe in ſemitam mandatorum poſtulat. Habet itaque ſanctiſſima Dei lex uiam, habet & ſemitam. Inter uiam autem, & ſemitam non paruum eſt diſcrimen, ait Caſſiodorus. Viam enim dicimus, quam generaliter commeantium licentia peruagatur. Semita uerò, quæ anguſto calle dirigitur, nec uulgò nota eſt, ſed in ea occultis itineribus ambulatur, iuxta illud. Rara per occultos ducebat ſemita calles. Quapropter eam dicimus uiam, quæ ſimplicium multitudini patet. Semitam autem legis intelligentiam debemus accipere: quæ & paucis nota, & ſui difficultate probatur anguſta. Hæc ille. Semitæ itaque mandatorum ſunt myſteria legis recondita, quæ paucis nota ſunt, ad quæ non, niſi ducente Deo, ingredi audet Vates. Iccirco ait. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum: Qui enim ſine Dei ductu anguſtos hos calles ingredi tentauerit, is à ueritate facilè aberrabit. Hoc idem eſt, quod pſal. 51. poſtulauit:

Occulta, & abſcondita ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Nos item pro ſemita reconditos legis ſenſus accipere debemus, per quos ſe deduci Vates orat, ut ipſius plenitudinem aſſequatur. Legis vias ambulat, qui neque occidit, neque mœchatur. Per illius autem ſemitas deducitur, qui ne iraſcitur quidem fratri ſuo, ſed clementer ignoſcit, ſi quid in ſe peccauerit. Qui mulierem ad concupiſcendum non intuetur, ſed illius pudicitiæ potius conſulit. Legis uias ingreditur, qui diuinæ huius diſciplinæ præcepta adimplet. Per calles uerò deducitur, qui conſilia, & monita eiuſdem ſcrutatur. Vates itaque cum cupiat aſſequi vtrunque, orat. Deduc me &c. Niſi enim Deus ſeſe nobis propitium, ac bene fauentem præſtiterit, nequaquàm legis ſemitas, ſed uias potius noſtras peſſimas ſcilicet ingrediemur, & corruemus in eis. ſemita quæ ſint

QVIA IPSAM VOLVI.

NOn iactat nudum meritum ſuæ voluntatis, ſed magis donum Dei. Quandoquidem & ipſum velle bonum ab ipſo diuinæ liberalitatis fonte in ſe deriuari optimè intelligebat. Quoniam qui dedit bonum velle, ipſum quoque perficere dare conſtituit. Cum itaque Dauid præſtantiſſimum id munus conſecutus eſſet à Deo, vt bonum vellet, & le-

legem tantopere amaret: huic proximum ſe conſequi deſiderat, quaſi pro mercede prioris, ut ſcilicet deducatur in ſemitam mandatorum Dei. Non certè quòd ſolis uiribus id promeritus ſit, ſed quia Deus uelle bonum pro ſua liberalitate ideo ſibi conceſſit, ut eiuſdẽ dono bonum ſectetur. Hoc itaque ſibi dari poſtulat, quòd hoc ipſum peroptauerit: Quia, ait, ipſam uolui. Voluit quidem, quia liberæ erat uoluntatis, non tamẽ niſi Dei munere uoluit. Voluntas enim noſtra ab ipſo Deo in primis præparatur, ut quod bonum ſit, uelit, & amplectatur. Id quod ſequẽti uerſiculo fatetur ſubdens.

INCLINA COR MEVM IN TESTIMONIA TVA. ET NON IN AVARITIAM.

Dixerat ſuperiùs ſe diuinam Legem, & ſanctiſſimam eius doctrinam delegiſſe, uoluiſſe, & toto illi pectore adhæſiſſe. Nunc uerò contraria penè loqui uidetur, qui petat ad ipſa Dei teſtimonia, Dei munere inclinari, quaſi ſe ad eam minus propenſum ſentiat, qui tamen ita propenſus erat, ut illis ſe adhæſiſſe, ſuperius dixerit. ſed abſit, ut ſpiritus ſanctus, qui unus eſt, & ſui ſemper ſimillimus, aliquando ſecum diſſideat. Summo quidem amore, & deſiderio diuinæ Legis tenebatur. Hunc tamen amorem, & deſiderium ſuum ardentius quotidie fieri poſtulat, quippe quòd

ſentiat, quàm dulce ſit amore, & deſiderio diuinæ Legis tabeſcere. Ita uerò ſe erga illam quotidie magis affici poſtulat, ut nullius alterius rei deſiderio tãgatur, ſed omnem amorem ſuum in eam trãsferat. Ideo ait. Inclina cor meum. i. iſtud adhuc erga tuã ſanctiſſimã legem magis propenſum fac domine. Vel ideo orat. Inclina cor meum. quòd legem illam peccati in membris ſuis ſentiat repugnantem legi mentis ſuæ. Hæc ut bonum uellet, ut ſectaretur, præſtabat. Illa uerò vt in alia omnia iret, ut terrena ſectaretur, ſolicitabat, impellebatq́. Vt igitur lex ipſa carnis legi ſpiritus ſubijciatur, ingemiſcens precatur. Q. d. inclina, ſubige in obſequium tuæ legis cor meum, quod contumax, inflexibile, & ſuperbum eſt, & diuinæ Legis. i. uoluntatis tuæ iugum detrectat, & alia omnia concupiſcit.

ET NON IN AVARITIAM.

VT D. Paulo datus fuit ſtimulus carnis angelus Sathanæ, qui ipſum colaphizaret, de quo ter ſe dixit rogaſſe, ut à ſe diſcederet: ita Dauidi fortè datus fuerat auaritiæ ſtimulus, à quo ſe 2 cor. 12 *liberari petit. Auaritia ſiquidem cum ſit idolorum ſeruitus, ea non modo à ſtudio diuinæ legis animũ reuocat, ſed à uero, ſinceroq́ Dei cultu omnem penitus mentem, omneſq́ cogitationes auertit. Icirco ne*

Ma-

Mamonæ,ſed Deo Opt.max.ſeruiat, precatus eſt, ut ſibi detur inſpicere cæleſtium bonorum theſauros in diuina lege reconditos: quorum amore, ac deſiderio ita teneatur, ut præ illis nihili faciat terrenas opes. Quid enim poteſt illo eſſe opulentius, qui diuinam illam promiſsionem fideli pectore retineat, quam lex habet? Ea eſt. Non te deſeram, neque derelinquã. Iccirco nos hor
Heb.13 *tatur D.Paulus, ut præſentibus cõtenti ſimus. promiſſionemq́ illam nobis reuocat in memoriam. Scriptum*
Auari- *eſt, inquit, Non te deſeram, neque derelinquam. Tres*
tiæ ſpe- *autem auaritiæ ſpecies numerat Ariſt. Turpem quæ-*
cies *ſtum, tenacitatem, & illiberalitatem. Turpis quæſtus eſt, quo undecũq; ſtudent diteſcere, & pluris lucrum, quàm pudorem faciunt. Tenacitas autem eſt, qua in re honeſta ſumptui, & impenſæ parcunt. Illiberalitas uerò eſt, qua impendunt quidem, ſed minutatim tamen, & malè, & plus iacturæ facientes nullo habito tẽporis delectu. Eſt autem auaritiæ, plurimi facere pecunias, nec id probum putare, quod quæſtuoſum non ſit. Vita mercenaria, & uilis, & ſordida eſt. Hæc ille. Cum itaque auaritia uenenis malis imbuta ſit, non fruſtra petit Vates, ut ab ipſius ſtudio ad ſtudium diuinæ legis tota mente conuertatur. Eam autem* בצע *appellant Hebræi, quod calumniari, opprimere, uim inferre, & corrodere ſignificat: ut ipſo quoq; uocabulo declarent, nihil auaritiæ morbo reperiri peſtilentius poſſe.*

ſe. Quam D. Paulus omnium malorum radicem. & Democritus totius improbitatis metropolim, & malorum omnium arcem appellauit.

AVERTE OCVLOS MEOS NE VIDEANT VANITATEM. IN VIA TVA VIVIFICA ME.

QVoniam (ut ait D. Auguſtinus) cupiditas, & auaritia eatenus unum malum ſunt, ut nec auaritia ſine cupiditate, nec cupiditas ſine auaritia inueniri poſſit: Propterea cum ſupra Dauid deprecatus fuiſſet auaritiæ peſtem, ab omni ſubinde mala cupiditate ſe liberari precatur. Auerte, inquit, oculos &c. Nouerat enim quod & alius ait: Vitijs noſtris per oculos patere in noſtras animas uiam: qui etiam feneſtræ dicuntur, per quas mors ingreditur. Vt igitur oculi à rerum uanitate auertantur, petit. Quandoquidem Hie. 9. abducere animum à conſuetudine oculorum homini eſt difficillimum, ac penè impoſſibile. Terrena nanque creatura cum quandam pulchri, ac boni ſpeciem habeat, facilè in ſui amorem incautos allicit, & fucatæ meretricis more ad ſe eos pertrahit. Cuius fallaciã declinant hi, qui ſuos oculos in illam non defigunt: ſed ab eius, aſpectu ad Deum conuertunt: quippe qui ſciant, quæcunque ſub ſole ſunt, uanitatem uanitatum, ac mendacium eſſe. Ab omni itaque terrenarum rerum cupiditate animum abducere, & omnia uanitatem

tem

ſtræ carnis ſapientia parum firma ſit, ſemperq́ trepidet: de firmitudine etiam, & ueritate uerbi Dei ambigit. Propterea Vates non ſimpliciter orat, ut Deus verbum ſuum ſtatuat: firmum, ſtabileq́ eſſe faciat, quando illud firmiſsimum in ſe ſit: ſed ut tale fiat ſibi ſeruo ſuo, ideſt ut ipſe nihil omnino de æternitate, ueritate, & firmitudine eius uereatur, ſed in ea potius ceu murus æneus firmus, ſtabilisq́ perſeueret. Propterea ait: Statue eloquium tuum ſeruo tuo.

IN TIMORE TVO.

PRofectò illa animi ſecuritas, quæ ex firmitudine uerbi Dei concipitur, nequaquàm facit hominem temerarium, ſed fidentem potius, quippe quæ cū ſancto Dei timore coniuncta ſit, qui quidem timor ſecuritatem gignit, quod non ab infidelitate, ſed à fide proficiſcatur. Qui enim timet, cautè agit, & prudenter: qui prudenter, & cautè agit, ſecurus item eſt. Cum itaque hæc ſecuritas cùm Dei timore coniuncta ſit, poſtquàm dixit. Statue ſeruo tuo eloquiū tuum. ſubdit mox in timore tuo. Timore ſiquidem ſui ſancto, & permanenti confirmat Deus ueritatem uerbi ſui in cordibus fidelium, quaſi trabali clauo. Non ideo petit hanc de uerbo Dei ſecuritatem, & firmitudinem, ut ocioſus ſtertat, & uentri indulgeat: ſed ut quotidie magis ad ipſum Dei cultum excitetur. Cui ſanè cultui

præſtando timor iſte ſanctus conducit, ut ipſe Vates aliàs teſtatur. Initium, inquit, ſapiẽtiæ timor domini.

AMPVTA OPPROBRIVM MEVM, QVOD SVSPICATVS SVM. QVIA IVDICIA TVA IVCVNDA.

NOmen חרפ quod interpres uertit Opprobriũ, rem omnino nephariam, & illicitam ſignificat, ut habetur, Gen. 34. Non poſſumus (dicunt filij Iacob) dare ſororem noſtram homini incircunciſo, quod חרפ .i. illicitum, & nepharium ſit apud nos. Cum igitur oret. Aufer à me opprobrium, petit non modò ſe diuinitus in uerbo Dei confirmari, ſed omnem rem turpẽ: ac probro dignam à ſe penitus eſſe amotã. i. ne turpitudinis quicq̃ perpetret, ne & ipſe & doctrina illius ab omnibus reprobetur, & abijciatur tanquam à reprobato doctore profecta. Orat itaq; Aufer oppobrium. Quod nõ erat petiturus aliquando, niſi humanæ naturæ procliuitatem ad turpia quæq; eſſet expertus. Conſcius itaq; humani animi corruptelæ, Aufer, inquit, opprobriũ, quod ſuſpicatus ſum, Vel (ut D. Hieronymus uertit) quod maximè reueritus ſum. Quis enim ſibi tantum ſumat de uiribus ſuis, cui non ſit à turpitudine metuendum? De qua ſic Cicero ſentit, quòd ſi in unum locum collecta fuerint omnia mala, ea tamen cum turpitudinis malo non ſunt comparanda.

QVIA IVDICIA TVA IVCVNDA.

DIuus Hieronymus uertit. Quia iudicia tua bona. Turpitudini bonum opponit Propheta, quod unũ pulchrum, atq; iucundum eſt. Pulchra autem, & iucunda omnia Dei iudicia eſſe teſtatur. Hac itaq; potiſſimum ratione precatus eſt, omnem turpitudinem à ſe amoueri, quæ cõtraria ſit bono, quod ipſe ſectatur. Hæc ſunt eloquia Dei, quæ tantopere profitetur. Id.n. maximo ſibi, diuinæq; legi probro uerteretur, cuius cũ maximè ſtudioſus eſſet, turpitudini nihilominus operam daret. Iccirco, Amputa, ait, ſiue Aufer, ſiue trãſire fac, & procul abeſſe iubeas à me opprobrium, quod legi tuæ ſanctiſſimæ repugnat. Quæ ſola mihi bonum pulchrum, honeſtumq; eſt.

ECCE CONCVPIVI MANDATA TVA IN AEQVITATE TVA VIVIFICA ME.

VIr ſanctus in omni uita nihil neque antiquius, neque charius habuit uerbo Dei, & ſtudio diuinæ Legis: Id quod cum admiratione, & aſſeueratiõe quadam declarat. Ecce, inquit, concupiui, mandata tua, q.d. Diuinam tuã legem, ſtudiumq; ipſius tantũ amaui, quantum amare quicquam humanus animus poteſt. Auro, argento, diuitijs, ac delitijs omnibus ſtudium legis tuæ antetuli. Illa ſiquidem bona fluxa,

ac fragilia ſunt: at quæ ex lege tua promanant, ea æterna habentur. Ad admirationem itaq; diuina hæc, cœleſtisq; doctrina deſiderari debet.

IN AEQVITATE TVA VIVIFICA ME.

VIr cœleſtis oderat mortalem hanc uitam, quæ ſic cum peccato coniuncta eſt, ut ſine eo traduci uix poßit: adeò ut peccati uita meritò appelletur. Itaque eam peroſus, alia ſe uita uiuificari poſtulat, nempè uita iuſtitiæ, ut ſcilicet legi peccati mortuus, legi iuſtitiæ uiuat: ut in terris illius uitæ imaginem inter mortales repræſentet, quam ſit in cœlo perpetuò uicturus. Itaq; precatur. In iuſtitia tua uiuifica me. Idem autē eſt uiuificari, quod iuſtificari, at non quauis iuſtitia, humana ſcilicet, & legali, ſed iuſtitia Dei. Hac.n. ſola coràm ipſo iuſtificamur, ut illa coràm hominibus. Iuſtificat autem nos Deus, quando pro ſua clementia mentem noſtram à peccatis auertit, & ſpiritum ſuum ſanctum nos ſanctificantem impertitur, ut uerè iuſti coràm ipſo ſimus. Qua quidem iuſtitia qui donatur, epilog. *uerè efficitur diuinitatis particeps: Hic diuinam Legem toto animi affectu exquirit, & cupidisſimè amplectitur: Hic ab omni turpitudine cauet: Hic legis ſtudio ita inhæret, ut nullis neq; diuitijs, neq; delitijs quàmuis regijs ab illius amore, & amplexibus diuelli poßit. Hic deniq; ab ipſo Deo uita ſpiritus, & felicitatis perpetuæ donatur.*

Vau ו.

LITTERA hæc eſt dictio copulatiua, & uncinũ, ſeu anſulã qua duo ſimul cõnectuntur, ſignificat. Quæ etiã cum tertia ſit ex ſacris illis notis, quibus magnum Dei nomẽ יהוה. ſcribitur ea Spiritui Sancto tertiæ in diuinis perſonæ tribuitur. Ille enim eſt uinculũ, quo pater cum filio naturæ, & ſubſtantiæ unitate coniunguntur, & unum ſunt. Poſt litteram ה itaq; ponitur in alphabeto, ut hac ratione declaretur eos, qui diuinæ naturæ ſtudio, & obſeruatione legis participes fiunt, opera, & uirtute Spiritus Sancti fieri, cuius uirtute cum Patre, & Filio unum efficiuntur, nõ unitate ſubſtantiæ, ſed participatione uirtutis. Qua de re hoc octonario agit, ab ipſa particula incipiens.

ET VENIAT SVPER ME MISERICORDIA TVA DOMINE, SALVTARE TVVM SECVNDVM ELOQVIVM TVVM.

ETſi propheta ubicunq; de diuina lege, & doctrina mentionem facit, ipſum ſimul Dei filium com pectat ur (de ipſo nanq; ſcripſit Moſes, & locuti ſunt ſancti dei homines) de eo tamen in ſpecie loquitur, cum uel Dei miſericordiam, uel ſalutare Dei nominat. Nulla enim ratione præterire Meſſiam potuit, quin de eo in omnibus ſuis pſalmis caneret. quandoquidem in mandatis habebat, ut de

 illo

illo potiſsimum caneret, Dixit, ait, uir cui conſtitutũ eſt de Chriſto Dei Iacob egregius pſaltes Iſrael. &c. De hoc itaque hic canit Vates.

ET VENIAT SVPER ME MISERICORDIA TVA DOMINE.

VOx hebrea חסד quam interpres ubiq; ferè miſericordiam uertit: propriè pietatem, probitatem, & beneficentiam ſignificat. Dei itaq; miſericordia eſt ipſius benignitas, qua ad ſua nobis impertiēda mu nera mouetur. Quod quia filio aſcribitur, meritò Dei miſericordia appellatur, utpote per quem Dei pietàtem, & beneficentiam experimur. Per illum enim pec catorum condonationem, & munerum exhibitionem à Deo accipimus. Hunc itaq; precatur, ut ſibi ueniat, idq́; ſe magnopere optare ſignificat, cum à coniunctio ne, &, incipiat. Huiuſmodi nanq; ex prorupto exordiũ feruentiſsimum animi ſui erga Dei filium deſideriũ ſignificat. Nam Chriſti aduentum uehementiſsimè ex optabant patres, ut ſalutem per eum ſibi promiſſam non ſpe tantùm, ſed & reipſa conſequerentur. Non ocioſum uerò eſt illud pronomen, mihi. Veniat mihi, inquit, miſericordia tua. Non.n ſimpliciter cupit, ut ueniat Meſsias, ſed ut ſibi ueniat, i. ut illius aduentus ſibi ſit ſalutaris, qualis eſt omnibus recipientibus eum: nō aũt pnicioſus, qualis futurus omnino eſt quicunq; illũ nō ſuſceperit, & pro rege ueritus nō fuerit. Iccirco ſubdit.

ET SALVTARE TVVM SECVNDVM ELOQVIVM TVVM.

תשועה *quamcunq; ſalutem à quacunq; pernitie, & interitu ſignificat. Sed per excellentiam pro ſalute à peccato, & morte, quam per filium ſuum mundo præſtiturus erat Deus, accipitur. A qua et ipſe filius ſeruatoris nomē accepit, iuxta illud Iacob. Gen. 49. Salutare tuū expectabo domine. Quod itaq; ſuperius dixerat. In iuſtitia tua uiuifica me. quō id fieri poſſit, hic declarat, nēpè aduētu filij Dei, qui peccatorum remiſſionē, ſalutem, & iuſtificationem ſibi afferret per ſpiritum ſanctificantem, & iuſtificantem.*

SECVNDVM ELOQVIVM TVVM.

DVplicici modo ad nos uenit filius Dei, altero quidem in carne, altero in uerbo ſuo. Aduentū quidē illius in carne uehementiſſimè optat Vates. ſed cū ſuo tēpore uenturus non eſſet, ut interim ſecundū eloquiū ſuū ad ſe ueniat, precatur. ſi quidē de hoc ſuo in uerbo Aduētu, ipſe quoq; Dei filius teſtatus ē. ſi quis, inquit, ſermonem meū ſeruauerit, pater meus diliget eū, et ad eū ueniemus, & māſionē apud Deū faciemus. Ad nos itaq; uenit ſecundū uerbū ſuū, quando illius doctrinæ ſtudioſi, & amantes ita ſumus, ut per eā in cognitionē authoris eius ueniamus, & ſalutē per ipſum nobis oblatā percipiamus. Vel ideo precatur, ut ſecundū eloquiū

ad ſe Dei miſericordia ueniat, ne ſua ipſius merita, ſed potius gratuita Dei promiſſa iactare uideatur. Nā cum promiſerit Deus miſericordiā, & ſalutem ꝑ filium ſuum nobis ſeſe pſtiturum, fidenter hac ipſum promisſione obſtringere, et noſtro quaſi iure promiſſam repetere poſſumus. fidelis. n. Deus qui repromiſit, nec poteſt ſeipſum negare.

ET RESPONDEBO EXPROBRANTIBVS MIHI VERBVM, QVIA SPERAVI IN SERMONIBVS TVIS.

IMpij riſu, & ignominia dignam arbitrabantur eam promisſionem de ſalute, quam Chriſtus erat al laturus, & doctrinæ illius ſtudium eſſe penitus cōtem nendum. Hanc enim moleſtisſimum, & grauisſimum onus appellabant; ut uidere eſt apud Hier. et uerbum
Hie. 23. *uti uanum Prophetis exprobrabant. Ecce, ait idē Hie. Ipſi dicunt ad me, ubi eſt uerbum domini? Veniat &c.*
Hier. 17 *Hæc autem cum deriſione, & probro effutiebant, diui naq; promiſſa maturius, q̄ diuino conſilio cōſtitutum eſſet, flagitabant. Hoc idem exprobrabat Iobo patientisſimo uxor illius. Adhuc, inquit, permanes in tua ſimplicitate? Benedic Deo, & morere. Simplicitatem. n. appellauit fidem illius, quæ inani prorſus promisſione niti uidebatur. Saul itaque, & populi maiores uerbum Dei tanquàm probrum Dauidi obijciebant, tunc præſertim cum circunſeptum illum malorum, & calami-*

ta

tatum acie uidebant, dicebantq́; & ipſi, Vbi eſt uerbum? Veniat nunc. Cōfidit in Deo, liberet eum nunc, ſi uult. ſed nunquid eſt conturbatus, & à ſpe ſua deiectus Dauid? Abſit: ſiquidem & Hieremias de ſe ipſo ait: Non ſum turbatus te paſtorem ſequens. Ita Vates, Reſpōdebo, inquit, impauidus, atque infractus exprobrantibus mihi uerbum Dei, contemnentibus & pro nihilo ducentibus. Reſpondebo (inquam).

QVIA SPERAVI IN SERMONIBVS TVIS.

QVo magis uerbum Dei ab impijs contemni & ludibrio haberi animaduertimus, eo magnificentius illud nobis prædicandum, & extollendum eſt. In eo firmius eſt conſiſtendum, & illud crebrò inculcandum, & impiorum auribus occinendum. Speraui in ſermonibus tuis. Verbum enim Dei, & fides, quæ ex illo concipitur, nulla ratione melius defenditur, quā conſtanti eiuſdem uerbi confeßione. Hæc eſt enim uerbi Dei uictoria, quæ uincit mundum. Hac una ratione dominus uicit Sathanam ſibi uerbū obiicientem nempè uerbo, quāto igitur acrius uerbum Dei impugnatur, illudq́; nobis uel à Sathana, uel ab illius ſatellitibus, & miniſtris probrò uertitur, tanto illi tenacius eſt inhærendum, illudq́; mordicus magis eſt retinendum. Niſi enim uerißimum illud, & firmisſimum eſſet, tam impro

bo ſtudio non impugnaretur à patre mendacij, nempè Diabolo, Exprobrantibus itaque nobis uerbum, & fidem .i. ueritatem diuinarum promiſſionum ipſummet uerbum, ipſam fidem, ac ſpem earundem opponemus. Quæ cum firma, ſtabili, æternáq; re innitantur, nempè uerbo Dei, nullatenus frangi, aut deturbari, poterũt. Hinc autem perſpici poteſt cuiuſnam naturæ, & ingenij ſit fides, quæ quo magis oppugnatur, eo ualidior, ac robuſtior redditur. At non de quauis fide ita ſentiendum, & prædicandum eſt: ſed de ea tantùm, quæ ſit filia uerbi Dei, & charitate formata.

ET NE AVFERAS DE ORE MEO VERBVM VERITATIS VSQVE QVAQVE. QVIA IN IVDICIIS TVIS SVPERSPERAVI.

CVm Dauid inauguratus regno eſſet à Samuele, prophetiæ quoque munus accepit. propterea
1.re.16 *ſcriptum eſt, quòd ab eo die, et deinceps ſpiritus domini directus eſt in illo, cum itaq; Propheta eſſet, docere uerbum Dei legitimè poterat, quod ſe facere ſecundo octonario teſtatus eſt. In labijs meis (inquit) pronuntiaui omnia iudicia oris tui. Quæ quidẽ iudicia oris Dei hic appellat uerbum ueritatis. Quòd ipſa eſt diuina lex, & ſanctisſi. ipſius doctrina. Atq; ideo uerbum ueritatis appellatur, quòd nihil omnino fuci, nihil falſi habeat: quòd ſui ſtudioſum non fallat, aut in errorem trahat: ſed in omnem potius ueritatem inducat. Qua nihil*

hil deſiderabilius, aut diuinius cogitari aut reperiri poteſt. Precatur itaq; ne hoc ueritatis uerbum auferatur ab ore ſuo. Non enim eſt obſcura ſignificatio diuinæ uoluntatis alienatæ. cum uerbum ueritatis auferatur. Quod ſanè malum, ceu omnium maximum per Amos interminatus eſt dominus. Vbiq; (inquit) proijcietur ſilentium, & Mittam famem non panis, & ſitim non aquæ, ſed audiendi uerbi Dei. Aufert autem Deus uerbum ueritatis ab ore prophetarum ſuorum, cum ipſi principum & tyrannorum metu perterriti illud palàm docere non audent: & ſpiritus mendax interim populum decipit, ea, quæ carni arridēt, & aures demulcent proponens, quid autem miſerius accidere cuiq̃ poteſt, q̃ ueritatem Dei reticere, & mendacij uerbũ pro ueritate obtrudere auditoribus? Quid boni nobis reliquũ eſt, amiſſa ueritate quæ Platonis et teſtimonio cum Deo, & cũ hominib. dux eſt bonorũ omniũ? Quòd item precatur, Ne auferas de ore meo uerbum ueritatis: ſentit, et confitetur ueritatem non niſi a Deo eſſe, qui pro ſua uoluntate uel largitur; uel adimit illam hominibus pro ipſorum ſiue meritis, ſiue demeritis. Eam autem ab ore prophetarum quandoq; aufert ad tẽpus, cũ iuſtis de cauſis eos ſilere facit, & ipſi aliquando poſſunt ſilere à bonis, ſed nõ uſquequaq; .i. nõ sẽper. Væ mihi (inquit D. Paulus) ſi non euangelizauero. Itaq; & ſi eſt tempus, non tamen perpetuò ſibi uer--

Amos.

uerbum auferri pati uult Vates. Id.n.eſſet ipſam uitã & felicitatem omnem ab eo ablatam eſſe. Non aũt ſat cuiq́ uerbi miniſtro, q̃ diuina eloquia memoria teneat uel in corde abſcõderit, atq; opere ẽt præſtiterit, niſi eadem ore confeſſus fuerit, & ad aliorũ ſalutẽ ea in aſpectũ, lucemq́ protulerit: alioquin hoc eſſet talẽtum in terram fodere.

QVIA IN IVDICIIS TVIS SVPERSPERAVI.

AGnoſce ingenium charitatis in Dauide. Cum expertus ipſe didiciſſet, quantum bonorum ſit homini repoſitũ in lege domini, cum ſatis felix, ſatisq́ beatus ſibi eſſe uideretur theſauro illo in diuina lege recõdito, precatur ut ſibi perpetuò liceat cœleſtis huius doctrinæ diuitias aperire hominib. quippe. quos æque, ac ſeipſum beatos effici cupiat. Hac quoq; p̃catione Apoſtoli uſi ſunt. Da, inquiũt, domine ſeruis tuis loqui uerbũ tuũ cũ fiducia. In diuinis aũt iudicijs ſe ſuperſperaſſe dicens, oſtẽdit humana quæq́ præſidia uana prorſus eſſe, quibus ſiquis innitatur, uelut arundini confractæ inhæret. Verbũ autẽ Dei ipſa eſt ueritas, quæ rerũ omniũ ualidiſſima eſt. Qua qui innitetur, nõ cõfundetur.

ET CVSTODIAM LEGEM TVAM SEMPER, IN SECVLVM, ET IN SECVLVM SECVLI.

CVm & uitæ honeſtas, & morum probitas ſuã habeant linguam, ſuamq́ eloquentiam, teſtatur

Va-

Vates ſe legem perpetuò ſeruaturum. Et cuſtodiam legem &c. Nam cùm auditores (ait Gregorius) prædicantium uitam ſuſpiciunt, uim prædicationis neceſſariò admirantur. Cum uerò concionator aliter uiuit, q̄ doceat: illius etiam doctrina contemnitur, & à Deo ipſo grauiter redarguitur. Peccatori enim dixit Deus. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Ac propterea ueritatis uerbum ab illius ore aufertur. Magnopere itaque curandum, ut non minor beneuiuendi, quàm rectè docendi ratio habeatur. Quod ſe quoq; facturum Vates teſtatur. & cuſtodiam (inquit) legem tuam ſemper. Nō utiq; in templo tantùm, aut concionando, aut docendo, ſed ubiq;, ſed ſemper & domeſticus, & forenſis, & diurnus, & nocturnus ero diuinarum legū obſeruator.

IN SECVLVM, ET IN SECVLVM SECVLI

עולם .i. ſeculū interdū ſignificat tempus lōgū, nouumq́; tempus uitæ alicuius, aliquando iubilei ſpacium, aliquando uerò ſeculum illud perpetuum, & ſempiternū. Significat autem uox huiuſmodi abſconditum, ſeu arcanum, q̧ utrunq; tempus, & ſpacium huius ſcilicet, & futuræ vitæ nobis abſconditum, & à ſenſibus noſtris remotum eſt. Quis enim mortalium cognouit ſeculū illud ſempiternum? quippe nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderūt, quæ præpa-

rauit Deus diligẽtibus ſe. De præſenti uero mortalis huius uitæ ſeculo quis præſcriptos illi terminos nouit? Cum itaq; ſeculum utrunq; nos lateat, Deo uerò pateat, עולם appellatur. In quibus ambobus ſe Dei legem ſeruaturum profitetur, in hoc quidem ſeculo ex parte, in futuro autem plenè, atq; perfectè. Quia tunc penitus omni depoſita infirmitate, et exuta mortalitate erit Deus omnia in omnibus. Illud uerò ideo ſeculum ſeculorum appellatur, quòd nullis temporũ terminis, nullis confinijs contineatur, ſed ſuccedentibus ſibi ſeculis in perpetuitatem continuabitur. In illo itaq; ſeculo hæc una erit omnium exercitatio, nempè ſtudium, & obſeruatio diuinæ legis perpetua.

ET AMBVLABAM IN LATITVDINE, QVIA MANDATA TVA EXQVISIVI.

D. Hieronymus quatuor ſequẽtes uerſiculos per futurum ſimiliter uertit, quemadmodum & editio hebraica habet. i. Ambulabo in latitudine. Ambulare in latitudine eſt liberè, & abſq; ullo inimicorum metu uitam traducere, quippe quia ſub accuratiſſima Dei prouidentia ſecurus uel in medijs miſerijs, & calamitatibus uiuat, & in lege Dei tãquam in ſuo agello ſeſe continenter exerceat, ex quo præſentis, et futuræ uitæ fructus ſit ſine dubitatione aliqua percepturus Ait itaq; Dum ſeſe in ſtudio diuinæ legis exercet, in

latitu-

latitudine ambulare, & quaſi per apertos, latosq́; campos ſpaciari, & ſumma animi libertate uti. Quibus quidem uerbis per antitheſim ſignificat, illos nūq̃ ſecuros, ſed ſemper meticuloſos eſſe, & in anguſtijs uerſari, quicunq; Dei Legem ignorant, & nullam in uerbo ſibi ſpem repoſitam habent. Hi pauperrimi omnino ſunt, & præſentis, & futuræ uitæ bona ſibi deeſſe ſentiunt: ideo in anguſtiſſ. & difficillimo uitæ calle incedunt. Vates commemorans bona, quæ ex uerbo percipiat, illud in primis recenſet, quòd fide ſpe, & charitate dilatatus maxima cum libertate cum Deo, et cum hominibus ſit uicturus: quamuis interim undique oppugnetur. Superius orauerat. Et ueniat ſuper me miſericordia tua domine, ſalutare tuum ſecundum eloquium tuum. Nunc uerò factus uoti compos, oſtendit ſe ex animi anguſtijs in longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, et profundum diuinæ charitatis ingreſſum eſſe, & in eo dilatatum. Ambulaui (inquit) in latitudine.

QVIA MANDATA TVA EXQVISIVI.

ANimi libertas nulla re alia melius, q̃ ſtudio, et exercitatione diuinæ legis cōparatur. In ea.n. meditātes quaſi ex locis morbidis in latisſi. prata egredi, et euagari uidemur, iuxta illud pſal. Dominus paſcit me, Nihil mihi deerit, In loco paſcuæ ibi me collocauit.

Dum

Dum itaque Vates diuina oracula meditando, & orando inquireret, ex ſe ipſo quaſi ex teterrimo carcere exire uidetur in libertatem filiorum Dei. Icc irco ait. Ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui, non certè curioſitate quadam, quæ me altiora ſunt, inquirendo, ſed quæ ad ſalutem meam pertinent, percunctando. Hoc enim ſignificat uerbum דרש *quod eſt, ea, quæ ſalutaria ſunt, ſolicitè indagare.*

ET LOQVEBAR DE TESTIMONIIS TVIS IN CONSPECTV REGVM, ET NON CONFVNDEBAR.

HOc etiam per futurum uertitur. Et loquar de teſtimonijs tuis. Illud eſt veræ libertatis indiciũ, diuinam Legem, diuinamq́; doctrinam coràm populis, principibus, regibus, & quicunque in ſublimitate ſunt cōſtituti, profiteri, nec eam erubeſcere, quamuis mundi ſapientibus ſtultitia uideatur. Quicunque .n. ob illam inuulgandam ſibi timet, aut eam publicè fateri non audet, adhuc ſeruus eſt: & quæ ſit illius vis, quæ dignitas, ignorat, nec in latitudine, ſed in anguſtijs, & angulis ambulat. At qui libero ore non coràm tãtum plebecula, ſed coràm regibus, & mundi ſapientibus, qui plerunque aduerſus dominum, & aduerſus doctrinam eius conſpirant, docere audet, arguendo, & increpando, quæ increpatione digna uidentur, hic uerè eſt liber, & in latitudine ambulat. Quemadmodum

de

de ſe quoq; D. Paulus teſtatur. Græcis, inquit, & barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum, ita q̈ in me promptum eſt & uobis qui Romæ eſtis, euangelizare. Non enim erubeſco Euangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti. Quod cum probè intelligeret Vates, libentiſsimo, promptiſsimoq́ animò in conſpectu regum de cœleſti, & diuina Lege loquebatur. Nam cum omnium interſit audire uerbum Dei, regum præcipuè intereſt. Cũ enim Reges, & principes (ut ait ſapiens) miniſtri regni Dei ſint, & Eccleſiæ ipſius nutritii, eos quoq; diuina lege, diuinisq́ præceptionibus imbutos eſſe oportet. Iccirco Propheta aliàs eos admonens pſal. 2. & nunc Reges, ait, intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Apprehendite diſciplinã, ne quando iraſcatur dominus, & pereatis de uia iuſta. Fieri enim non poteſt, ut Rex nulla cœleſti diſciplina præditus cum laude regnare poſſit. Propterea Plato affirmat Reges Philoſophos eſſe debere, alioquin nullam unquàm fore requiem malorum. Cum itaq; doctrina hæc cœleſtis ad reges uel in primis pertineat, nõ debet illius miniſtros pudere, eum coram regibus. uerba facienda ſunt, in quo quidem obeundo munere regibus, & principibus maiores ſunt. Ecce (ait dominus ad Hieremiam) dedi uerba mea in ore tuo. Ecce conſtitui Hier. 1. *te ſuper gena, & ſuper reges, ut euellas, ut deſtruas, ædifices, & plantes. Munus itaq; ſuum obiens Dauid*

coràm Saule, & populi principibus de teſtimonijs domini intrepidè loquebatur. Iccirco ait.

ET NON CONFVNDEBAR.

CVm Saul Rex, & reliqui populi principes libentiſsimè, & auidiſsimè audire deberent uerbũ Dei ex ore Prophetæ, & ipſum omnibus charitatis officijs proſequi, uerbum tamen, & miniſtrum illius ludibrio habebant, & odio acerbiſsimo proſequebantur. Aſtiterunt, inquit, Reges terræ, & principes cõuenerunt in unum aduerſus dominum, & aduerſus Chriſtum eius .i. aduerſus diuinam doctrinam, & doctorem illius. ſic enim interpretatur hunc locum Chaldæus paraphraſtes. Non tamen deſerebat ipſe munus ſuum. Iccircò ait. & non confundebar. q.d. Tametſi alijs inſanire uidear, qui tantoperè uerbum Dei & legem illius efferã, & quadam illud improbitate inculcem: tamen cũ uis illius mihi cognita ſit, quippe quæ homines ex tenebris ad lucem, de morte ad uitam, de poteſtate Sathanæ ad Deum perducantur: cupio, ac totis uiribus nitor, ut non modò populi, ſed ipſi quoq; Reges intelligãt omnia bona poſita eſſe homini in ſanctiſsima Dei lege. Ideo non confundor. Fretus itaq; Dauid Dei, & conſciẽtiæ ſuæ teſtimonio obtrectatores non audit, ſed cum Hieremia dicere uidetur. Tu ſcis domine, quod egreſſum eſt de labijs meis, rectum fuit in conſpectu tuo. Nõ ſis mi-

Hier. 17

hi

hi tu formidini ſpes mea in die afflictionis. Confundã
tur qui me perſequũtur, & non confundar ego &c. Sic
& Apoſtoli nullis neque minis, neque ſupplicijs à prædicando euangelio ſalutis deterreri potuerunt. Ecce
(ait dominus Ezechieli) dedi faciem tuam ualentiorem cunctis faciebus eorum. Et Eſaias. Poſui faciem Ezec. 3.
meam ut petram duriſſimam: quippe quæ nullis obtre Eſa. 50.
ctationibus, nullis minis, nulla deniq; intentata morte
reſiliret, commoueretur, & cederet: ſed quæ aduerſan
ti cuiq; reſiſteret, & peruinceret, & confundi omnino
neſciret.

ET MEDITABAR IN MANDATIS TVIS, QVAE DILEXI.

ET meditabor, legit D. Hieronymus iuxta ueritatem hebraicam, in mandatis tuis. Profectò non is ſolum dicitur in latitudine ambulare, qui libero ore audet loqui de lege domini coràm Regibus, & principibus; Sed is potiſſimùm, qui omni tempore de ea meditari, ac philoſophari poteſt: mente, & animo ſe liberum eſſe prædicare poteſt. Quod ſe facturum perpetuò teſtatur Dauid. Et meditabor, ait, in mandatis tuis, quæ dilexi. Meditari autem ſignificat, animum in re aliqua occupatũ tenere, & in ea ſumma cũ uoluptate oblectari. Qđ nõ ſine ſummo amore rei illius fieri põt. Non.n. diuinã legem meditari tanta animi voluptate

potuiſſet Vates, niſi illam uehementiſſimè adamaſſet. Animus enim ab ijs, quæ grauia, moleſtaq́ ſunt, abhorret: quæ uerò iucunda ſunt, ſtudioſè ſectatur. Cum uerò nihil iucundius ſit diuina Lege, ut primum illi animus adhæſit, & illius ſuauitatem deguſtauit, ita libenter in ea commoratur, ut ab illius aſſiduo ſtudio nunq̃ poſſit auelli. Iccirco ait. Et meditabor in mãdatis tuis, quæ dilexi. Tandiu enim ſibi quis perſeuerantiam in ſtudio diuinæ legis polliceri poteſt, quandiu illius amore ſe teneri ſenſerit. Amor.n.ut author eſt, ita rurſus rerũ omniũ eſt cõſeruator

ET LEVABO MANVS MEAS AD MANDATA TVA, QVAE DILEXI: ET EXERCEBOR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS.

Diuina lex totum hominem requirit, internum ſcilicet, & externum. Non enim ſatis eſt, ut quis, quæ legis ſunt, omni depoſito metu, libero ore confiteatur, & in ea uacua perturbationibus mente uerſetur: ſed re etiam præſtanda ſunt, quæ lex præcipit. Nõ oportet in ea ocioſum eſſe, ſed per dilectionẽ operari. Quod ſe facturum Propheta pollicetur. Et leuabo (inquit) manus meas ad mãdata tua, quæ dilexi. Leuamus autem manus ad mandata legis, quando (ut D. Paulus hortatur) remiſſas manus, & genua infidelitate, & ocio ſoluta erigimus ad opera legis præſtãda, & ad greſſus rectos faciendos. Tunc itaq; manus ad mãdata legis

gis leuamus, cum ea, quæ lex præcipit, re ipſa præſtamus. Vel ſignificare uoluit, ita ſe promptum, ac paratum eſſe ad opera legis præſtanda, ut ad omnia alia futurus ſit ocioſus, quòd ſentiat, nullum eſſe omnino bonũ opus, præter obſeruationem mandatorum Dei. Quod & D. Bernardus confeſſus eſt.

ET EXERCEBOR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS.

HAc uerſiculi parte complectitur uniuerſas & animi, & corporis in diuinis rebus exercitationes, ſed in hac præcipuè diſciplina legis, in qua non modò mens, & animus iugi meditatione, ſed & corpus operibus exercetur. Id enim ſignificat uerbum hebraicum, quod interpres uerbo, exerceor, ubiq; ferè mutauit. Hæc autem ideo ſibi pollicetur, qui ſciat ſe diuino inſtinctu, afflatuq́; prius poſtulaſſe. Et ueniat ſuper me miſericordia tua, & ſalutare tuum. &c. Nam quòd ipſe Spiritus pro nobis poſtulat gemitibus inenarrabilibus, nos idem certos exauditionis facit. Diuino itaq; Spiritu certior factus dixit. Cuſtodiam legem tuam. Leuabo manus meas. Ope igitur & uirtute Dei fretus, omnia audet ſibi pollicere, in quo omnia poſſumus, ſine quo ne cogitare quidem boni quicquã poſſumus. cui ſit omnis laus omnisq; gloria in omnes ſeculorum ætates. Amen. Epilog.

Zain ז

LITTERA zain arma ſignificat. Quos .n. Deus afflat Spiritu ſuo, eos ẽt impenetrabili, ac inſuperabili armatura munit, qua non modò ſe ab hoſtibus ſuis tueantur: ſed eos etiam oppugnent, atque expugnent, ſunt enim חוים ideſt. ſcuto muniti, in quod (ut eſt in fabulis) qui oculorum aciem figerent, ſtupidi ac penè ſaxei fiebant. Cuiusmodi autem ſit hæc armatura, D. Paulus docet. De cætero, inquit, Fratres, confortamini in domino, et in potẽtia uirtutis eius. Induite uos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli. Quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, et poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. propterea accipite armaturã Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos ueſtros in ueritate, et induite loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem euangelij pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela ignea nequiſſimi extinguere, et galeam ſpem ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt uerbum Dei. His itaq; armis ſeſe muniri uult pſaltes hoc octonario & in primis galeam ideſt ſpem ſalutis aſſumens inquit.

Eph. 1. Theſ. 6.

MEMOR ESTO VERBI TVI SERVO TVO, IN QVO MIHI SPEM DEDISTI.

CVm omnia nuda, et aperta ſint diuinis oculis, nulla in ipſum Deum cadere poteſt obliuio, quæ eſt memoriæ defectus, & quædam iactura ſenſus. Diuina tamen ſcriptura Deo aſcribit obliuionem, et reminiſcentiam, quòd nobiſcum more obliuiſcentis, & reminiſcentis agat. Tunc autem obliuiſci uidetur, cum contrà id quod, pijs pollicitus eſt, accidere permittit: ut ſcilicet ab impijs, omnibus iniurijs afficiantur, à quibus ſe illos tueri pollicitus eſt. Reminiſci autem uidetur, cũ demum promiſſis manẽs, pijs opem ſuam præſtat et impiorũ ſuperbium retundit. Sed ſi doctrinam Moſis Aegyptij in hoc ſequi malumus, hos affectus, qui Deo tribuuntur, nobis ipſi attribuemus: ut idem ſit, Deum obliuiſci, & reminiſci noſtri, quod nos obliuiſci, & reminiſci Dei. ſecundũ itaq; priorem ſenſum cũ dicit Dauid. Memor eſto uerbi tui ſeruo tuo. petit effectũ diuinarũ promiſſionũ, quas ſibi ꝑ uerbũ Deus fecerat. quarum quidem uidebatur Deus obliuiſci, quòd ſe ab impijs penſſundari pateretur, neque ex eorum manibus ſeſe eripiet. Non autem loquitur de aliqua promiſſione ſibi ſigillatim facta, ſed de his, quæ in ſcripturis ſanctis omnibus diuinæ legis ſtudioſis facta ſunt: quas tamen ad ſe pertinere intelligebat, utpotè qui vnus eſſet è populo, cui ſe

perpetuò affuturum pollicitus ſit Deus. Quo fit, ut dicere nõ uereatur. Memor eſto uerbi tui ſeruo tuo &c. At ſi Rabbi Moſis Ægyptij interpretationem ſequi placeat: idem erit, Memor eſto domine &c. quod memorem fac domine ſeruum tuum uerbi tui. Niſi enim uerbum ſuum Deus menti noſtræ impreſſerit, & altè defixerit, illud nobis facilè excidit, & illius obliuiſcimur. Omnem lapidem mouet diabolus, ut illud è corde eripiat: ne (ut ait Dominus) credentes ſalui fiant. Orandus itaq; eſt Deus, eius nos perpetuò memores eſſe faciat. Seruum autem Dei ſe appellat, ut ſe quidem apud homines hoc nomine cohoneſtet, at non, ut apud Deum ſe inaniter extollat: quippe qui ſe ab eo ſeruatum eſſe fateatur, cuius ſeſe ſeruum eſſe pronuntiat. ab ipſo itaq; Deo uirtute uerbi ipſius ſe ſeruatum dicit. Propterea ait.

IN QVO MIHI SPEM DEDISTI.

Diuus Paulus fatetur nos per cõſolationem ſcripturarum ſpem habère ad Deum. Spes.n. quæ uerè ex Deo eſt, quæ non confundit, ſed ſanctificat, non aliunde ad nos proficiſci, aut animo concipi poteſt, q̃ ex ipſo uerbo Dei. At ſpes, quæ ex humanis ratiocinationibus proficiſcitur, inanis omnino eſt: quippe quã non donat Deus, ſed quam ſibi fingit homo. quæ uerò ex ſtudio, & obſeruatione diuinæ legis trahitur, eam Deus

in nobis ingenerat. propterea ait. Tu ſpem dediſti, uel ſperare feciſti. Quaſi diceret. Nemo unq̃ tanta ſibi de uerbo tuo polliceri poſſet, niſi eã tu ſpem ingenerares, & gratuitò donares. Reliquũ eſt igitur, ut illos ſine ſpe aliqua, q̃ uera ſpes ſit, uiuere confirmemus, qui ſine ſtudio, & exercitatione uerbi Dei uiuũt, uel potius uiuere uidentur.

HAEC ME CONSOLATA SVNT IN HVMILITATE MEA. QVIA ELOQVIVM TVVM VIVIFICAVIT ME.

VErbum hebraicum ענך inter alia ſignificata illud ẽt habet, vt ſignificet, aliquã affligere, depauperare, & ualde humiliare. Nomẽ itaq; ענה paupertatem, afflictionem, & humilitatẽ, ſeu animi manſuetudinẽ ſonat. Hoc aũt nomine declarat ſe ob afflictiones, & calamitates, quas patiebatur, non proteruum, ſed humilẽ potius, ac manſuetum factũ fuiſſe. Loquitur aũt de humiliatione, ſeu afflictione, & paupertate, quã cũ corpore ob Saulis perſecutionem, tũ animo, ob cognitionẽ, & ſenſum imbecillitatis ſuæ patiebatur. Hæc etenim patiens ſeſe coràm Deo deÿciebat, ac de ſe humiliter ſentiebat: nec tamen propterea cadebat animo, aut ſpẽ abÿciebat: ſed uerbi Dei recordatiõe, & ſtudio ſeſe erigebat, ſubſtentabatq́;. Hæc, ait, me cõſolata ſunt in humilitate mea. Ex tot aũt incõmodis, quib. undiq; premebatur, hoc maximum capiebat cõmodum, ꝙ ad ipſum Dei uerbũ tanq̃ ad aſyllum, & omniũ calamitatum

tum ſuarum tutiſſimum portum confugiebat,& ex illius ſtudio præſidium,& ſolatium ſibi cōparabat. Quē admodū.n.truculenti canes,& ad oēm uocem conſternabiles una tantum ſolita,notaq́; ſibi uoce demulcentur: ſic efferatæ animi paſſiones facilè cōponuntur, & permulcentur,ſi ſolitæ uerbi Dei commētationes, quibus aſſuetus eſt animus,adhibitæ fuerint. Hoc uno earū ſolatio ſeſe recreabat in malis ſuis Dauid.ijsdē ipſe quoq; Dei filius cruci ſuffitus acerbiſſimos dolores ſuos conſolari uidebatur. Hoc unū ſiquidē uerbo Dei relictū eſt,ut ſolida,ueraq́; gaudia in medijs etiā anguſtijs,& doloribus afferat. In quam ſententiā D. ēt Clemens ait. Si aſſidui ſint ad audiendum uerbum Dei, non ſolum uitæ æternæ ex ſalubri cōmonitione capient lucra,uerum quæcunq; illæ ſint triſtitiæ, uel mœrores, qui ex præſentis uitæ neceſſitatibus, & tēporum cladibus ueniunt,abijciūtur omnia, prædicatione ueritatis & uitæ æternæ doctrina.

QVIA ELOQVIVM TVVM VIVIFICAVIT ME.

VIuificam in ſe uirtutem habet Dei uerbum. In ipſo(ait D. Ioannes)uita erat. Quæcunq;.n.uiuūt, per illud,& in illo uiuunt,iuxta illud. Non in ſolo pane uiuit homo,ſed in omni uerbo,quod procedit ex ore Dei. Propterea qui ſine illo uiuunt,nomen quidem habent,ꝙ uiuant, at re uera coram Deō mortui ſunt.

Hæc

Hæc etenim uita, quam cum brutis animantibus com munem uiuimus, uitæ nomen non meretur, cui quotidie, in horas, & ſingula momēta mors immineat. Sub mortis autem nomen erumnæ, ac dolores ueniunt, quibus continenter uexamur. Ea uerò uerè eſt uita, quæ nobis à patre, filio, ac ſpiritū ſancto uenit, & cum angelis cōmunis eſt. Huius nos uitæ primordia experimur, cum per corporis afflictiones, & peccati aculeos perrūpentes quaſi per mortem ad Dei uerbum accedentes uiuificamur, exhilaramur, & ex præſenti conſolatione firma fit in animo immortalis & ſempiternæ uitæ expectatio. Venit hora (ait Dominus) & nunc eſt, quādo mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint uiuent. Viuificat aūt uerbū Dei cum afflicti, mœrentisq́ animus ex diſperatione humanarū rerum in ſpem cæleſtium bonorum erigitur, & in diuina erga ſe uoluntate conquieſcit. Fit. n. ut animus penè mortuus uiuere incipiat. Ideo dicit. Eloquium tuū uiuificauit me.

SVPERBI INIQVE AGEBANT VSQVEQVAQVE A LEGE AVTEM TVA NON DECLINAVI.

.i. ſuperbi. ſic. n. propriè hebraicè appellantur, qui ſua ſapientia, potentia, et uirtute freti, elatiq́ cæteros contemptui habent: ut Phariſæus ille apud Lucam ſeipſe, ſuaq́ efferebat, iactabatq́: cæteros uerò aſpernabatur. Superbiam enim, quæ eſt ſui ipſius amor, aliorum contemptus, & deriſus ſequitur

tur. Superbus, & arrogans (ait Salomon) irriſor nomẽ eius. Iccirco quod hoc loco interpres uertit. iniquè agebant. D. Hieronymus interpretatur. deridebant me id.n. ſignificat uerbum ליצ .i. irriſit: quod tamen quia non ſimpliciter, ſed malitioſè, callideq́ faciebant; illius hoſtes interpres uertit. iniquẽ agebãt. ſiquidẽ Rab. Dauid Chimeſi aſſerit uerbũ illud ſignificare, callidè, et aſtutè aliquid in aliquè machinari. Ea etenim aſtutia, & malo animi propoſito cum ſuperbia, et arrogantia coniuncto ſuperbi deridebant Dauidem, ut hac ratione ipſum cum ſuo ſtudio in omnium contemptionẽ & deriſionem adducerent. Horum itaq; improbitatẽ, impium, diabolicumq́ ingenium, ac mores his uerbis graphicè deſcripſit, cum dixit. Superbi iniquè agebant uſquequaq;.i. nihil omnino intentatum, nihil inexploratum relinquebant, quo me, meumq́ ſtudium traducerent, ut undiq; male audirem. Quando quidem hoc eſt impiorum ingeniũ, ut cum deriſione pios maledictis, & calumnijs onerent.

A LEGE AVTEM TVA NON DECLINAVI.

Licet populi primates, qui cæteris ſapiẽtia, dignitate, & authoritate pſſe uidebãtur, multa cõmẽti fuiſſẽt, ut Dauidẽ, & ſtudiorũ ipſius ſocios à ſtudio legis auerterent: ipſe tamẽ ne latũ quidẽ unguẽ ab ea declinaſſe ſe dicit. Declinamus aũt à lege Dei, cũ ſpe terrenorũ

bonorum allecti, uel imminentium malorum metu perterriti, ad ſtudia diuinæ legi contraria animum conuertimus. Id quod omni ratione obtinere Diabolus nititur. Ideo rectè monet Salomon, Fili accedens ad diſciplinam domini, præpara animam tuam ad tentationem. Vates in ſtudio ſuo conſtantisſimo animo perſtitit, neq; tanti alicuius ſiue ſapientiam, ſiue dignitatē, ſiue authoritatē fecit, ut cum à diuinæ Legis curſu retardari, nedum impediri poſſet. Id enim ſi factum fuiſſet; ipſe uiſus fuiſſet efferre hominem ſupra id quod dicitur Deus. quando homines magis, quàm Deum timuiſſet. Propterea & ſi maioribus noſtris plurimū ſit tribuendum, ſi quid tamē contra legem Dei, ac bonos mores præcipiant, nullatenus audiēdi ſunt, nullatenus timendi: ſed illud obijciendum. Iudicate uos, ſi oportet magis obedire Deo, q̃ hominibus.

Eccl. 2.

Act. 5.

MEMOR FVI IVDICIORVM TVORVM A SECVLO DOMINE, ET CONSOLATVS SVM.

SVperius declarauimus, cur diuinam Legem, & doctrinam iudicia appellet Pſaltes, nempè quòd per illam Dei ſententia tum in pios, tum in impios declaretur: pios quidem iuſtificans, impios uerò cōdemnans: quòd hi legem Dei contempſerint, illi uerò uehementer adamarint, & ſummo ſtudio ſectati fuerint. Propterea ait. Memor fui iudiciorum &c. quaſi diceret.

Et ſi impij in id toto pectore incubuerint, ut ex animo, & ex memoria mea delerent eloquia tua domine: id tamen efficere non potuerunt. Nam eorum ego memoriam ſumma ſemper cum charitate retinui. Ea tã altè radices egerunt in penetralibus cordis mei, ut nulla ui inde diuelli unquam poſſint. Diuina autem iudicia, & ſanctiſſima Dei oracula ab initio ſeculorũ edita, ideo ſe meminiſſe dicit, ꝙ huiuſmodi reminiſcẽtia piorum animos in ipſius doctrinæ ueritate maximè cõfirmet contra impiorum deriſiones, & detractiones. Non.n. diuina eloquia recenter nata, aut ab hominibus nuper inuenta ſunt, ſed à ſeculo extiterunt. Cum itaq; à principio ea fuerint, & ad hæc uſq; tempora ꝑdurarint, nulli dubium eſſe poteſt, ea diuina eſſe. Quã do & Plato quod melius, id & antiquius, atque quod diuinius eſt, inferiore prius eſſe teſtatur in Epinomide. Cõſiderata itaq; antiquitate diuini Verbi in eo ſe ſe magis cõfirmabat. In hoc itaq; uerbi Dei, diuinæq́; legis authoritas plurimum commendatur, quòd ab ipſo rerum principio extiterit, & patribus tradita ad nos uſq; de manu (quod aiunt) in manum peruenerit. Vel Iudicia intelligit ea, quibus Deus uerbi, ac præceptorum ſuorum deriſores damnauit, amatores uerò, & illorum obſeruatores tutatus eſt. Dauidi fortaſſe ueniebat in mentem, quid ab ipſo mundi initio Adamo acciderit; qui in fraudem, ac propterea in erumnas,

et

et in mortem tractus fuit, neglecto uerbo, ac mandato Dei. Quid rurſus euenerit Noe, quem ſuæ ætatis homines deridebant, quòd uerbo Dei arcam illam conſtrueret. Qui ſolus cum ſua familia à diluuio ſeruatus eſt, & contemptores aquis obruti perierunt. Reminiſcebatur fortaſſe, quàm feliciter cum illis actum eſſet, qui uerbum Dei cum patientia mordicus retinuerunt, & ſpe ſua nunq̃ fruſtrati ſunt, Nempè Abraham, Iſaac, Iacob, ac pijſſimi quiq; nulla alia ratione ſeſe in grauiſſimis ſuis tentationibus ſuſtentarunt, q̃ uerbo Dei. Hæc ſunt fortaſſe Iudicia, quæ Dauid in memoriam ſuam reuocabat, ut fide Dei, & piorum patientia perſpecta, & cognita firmiùs uerbo Dei niteretur.

ET CONSOLATVS SVM.

VErbum נחם *animi commutationẽ ſignificat, quãdo potiſſimum ex triſti, & turbulento hilaris, & iucũdus fit. ſic.n. aliquo modo cõmutari uidetur. Cum igitur Dauidis animus turbaretur, grauiterq́ angeretur, quòd ſuperbi uerbum Dei irriderent, memor tamen quòd ab initio ſeculorum illud extiterit, nec lux tanta, ex qua ſumma pax, ſummaq́ tranquillitas ad pios ſemp profecta eſt, à nebulonibus ullis obſcurari potuerit, nedũ tolli: ſeſe maximè cõſolabatur, et animũ ſuum à mœrore ad hilaritatem reuocabat, ſperabatq́*

idem

idem uerbum Dei id ſibi præſtaturum, quod in omni ætate pijs quibusq; præſtitiſſet.

DEFECTIO TENVIT ME PRO PECCATORIBVS DERELINQVENTIBVS LEGEM TVAM.

QVamuis ſuperbi Dei legem & ſtudioſos illius aſpernantur, non tamen pij rurſus illos deriderēt, aut aſpernantur, ſed illorum potius cæcitatem, & amētiam deplorant, & miſerantur. ut enim impiorum, ſuperborumq́; eſt, miſeros ludibrio habere, & contemnere: ſic contrà, piorum eſt, aliorum miſerijs grauiter cōmoueri. Quod in Dauide animaduertimus, qui ſpretus, & modis omnibus contemptus nō inuehebatur in ſui contemptores, ſed potius grauiſſimo animi dolore premebatur, quòd ſuperbi hi tam temere, tantoq́; ſuo malo legem domini, & ſanctiſſimam eius doctrinam contemnerent. Tantum enim crimen nequaquàm inultum fore, ſed grauiſſimis pœnis multandum intelligebat, ac propterea dolore propè incredibili conficiebatur, ac ſi deficere ſe ſentiret. eſt autem defectio Zelus, & ardor ille, quem ex aliorum pernicie contrahimus.
psal. 68. *De quo aliàs ait. Zelus domus tuæ comedit me. Quo*
2. cor. 2. *& D. Paulus ardens dicebat. Quis ſcandalizatur, & ego non uror. Et quoniam quæ aduruntur, ad nihilum penè redigi uidentur: ideo Zelum hunc, quod hebraicè eſt,* זלעפה *defectionem interpres eſt interpretatus:*

ut

ut ſignificaret Vatis animum ita zelo æſtuantem fuiſſe ob diuinæ legis contẽptum, ut penè contabuerit. Nũquid & dominus hac de cauſa præuidens Hieruſalem deſolationem non fleuit? quòd ſcilicet tempus uiſitationis ſuæ non agnouerit, et oblatam uerbo euangelij ſalutem contempſerit? Nihil enim pernicioſius populo cuiquàm poteſt accidere, quàm ſi aures, atq; animũ ab audiẽdo uerbo Dei auertat, illudq́ cõtemnat.

PRO PECCATORIBVS DERELINQVENTIBVS LEGEM TVAM.

Vates non ſimpliciter peccatores appellat, qui diuinam, ac cœleſtem doctrinam abijciunt: quando quidem generali hoc Peccatorum uocabulo uniuerſi concludimur, qui uel in matris utero peccatores ſumus: ſed impios eos præcipuè nominat hebraico nomine רשעים, *quod rebelles, proteruos, ac contumaces in Dei maieſtatem ſignificat. Quod certè nomen complectitur, quicunq; ſtudio diuinæ legis poſthabito & contempto alia ſtudia ſectantur, quibus in Dei cognitionem perduci nullo pacto poſſunt: qua qui carent, hi ſine Deo eſſe iudicantur, ac propterea impiorũ nomen iure obtinent. Impietas enim (ut ipſe quoq; doctiſſimus Plutarchus ait) nihil aliud eſt, quàm prauum iudicium de Deo, quo nihil beatum, nihil diuinum, aut immortale putat eſſe, quod animum in quandam apa-*

thiam, ideſt affectionis ergà diuinam prouidentiam vacationem temeraria quadam cognitione, & numinis diffidentia redigere uidetur. Quicunque igitur nullo diuinæ Legis amore, ac deſiderio tenentur, & illam, ceu fructu immortalitatis carentem, deſerunt; hi impij omnino ſunt, & athei, quod græci dicunt, appellandi ſunt: ac propterea, ceu diuinæ læſæ maieſtatis rei & nephario ſcelere obſtricti, pœnis ſempiternis multandi.

CANTABILES MIHI ERANT IVSTIFICATIONES TVAE IN LOCO PEREGRINATIONIS MEAE.

SPernant, contemnant impij diuinum Verbum: illud ſuo magno malo auerſentur, quod in eo nihil reperiant, quod carni arrideat: illud moleſtiſſimam ſarcinam arbitrentur, illud ceu inconcinnam cantilenã audire recuſent: peregrinum, barbarũ, ac neſcio quid rude ſonans, omni ſuauitate uacuum illud appellent: pij homines de eo longè aliter ſentiunt: illud harmonicum, & omni ſuauitate diuinæ ſapientiæ refertum ſentiunt: eo tanquàm ſuauiſſimo, ac dulciſſimo cantico ad demulcendas animorum paſſiones utuntur. Iccirco ait. Cantica (ita enim uertit D. Hieronymus) mihi fuere iuſtificationes tuæ. Cantica autem diuina eloquia, & ſanctiſſimam Dei legem appellat, ꝙ admirabili, & diuina quadam arte ab ipſo Dei ſpiritu ſint confecta, & diuinam ſapientiam ex omnibus partibus

bus oſtendant, ſui ſtudioſos mirificè oblectent, & eorũ animos mira, & ineffabili quadã dulcedine compleãt. Non autem ſimpliciter dicit diuina eloquia eſſe cantica, ſed, mihi, addit. Verbum enim Dei alijs odor eſt uitæ ad uitam, alijs odor mortis ad mortem: nempè ad uitam his, qui per illud ſalui fiunt, ad mortem uerò illis, qui pereunt. Propterea cum ſuperius oraſſet. Et ueniat ſuper me miſericordia tua domine, ſalutare tuũ ſecũdum eloquium tuum: iure etiam dicere poterat. Cantica mihi fuere iuſtificationes tuæ: ea ſcilicet, quæ tu digito tuo per Moſen, Ioſue, & reliquos ſanctos tuos ſcripſiſti, mihi gratiſſima; & iucundisſima ſunt. 2.co.2

IN LOCO PEREGRINATIONIS MEAE,

LOcum peregrinationis ſuæ uel domum, vel patriam ſuam appellat. ſapientes enim quocunq; in loco ſunt, in uia, aut potius in diuerticulo ſe eſſe ſentiunt, & terrarum orbem uniuerſum unam eſſe urbem arbitrantur, in qua quaſi peregrini in hoſpitio commorantur. Vel exilij locum domum peregrinationis ſuæ uocat. Exul enim, atque inops alienas regiones peragrare cogebatur. ſed ut ſit, Vati familiare eſt, ut ſe peregrinum ſemper appellet, quemadmodũ & maiores ipſius ſeſe appellare cõſueuerant. Nõ .n. hic habebant ciuitatem permanentẽ, ſed futurã inquirebant. Quoniã uerò peregrinatio hæc moleſtiarũ,

& erumnarum pleniſſima eſt, ideo Vates, ut peregrinationis ſuæ labores, atque incommoda ſolaretur, legem domini ſuauiſſimis quibuſdam modulis cantillabat, & huiuſmodi cantilenis mœrentem animum recreabat. Nam reuera huius uitæ ſtatus nequaq̃ ferendus eſt, niſi ueræ Philoſophiæ ſtudio ſuſtentetur. Quòd ſi dura, & intolerabilis eſt mortalis huius uitæ ratio: mirabilis, & iucunda ea omnino uoluptas eſt, quæ ex uerbi Dei meditatione percipitur, quæ ſanè omnem ex animo moleſtiam eluit, & expellit.

MEMOR FVI NOCTE NOMINIS TVI DOMINE, ET CVSTODIVI LEGEM TVAM.

NOmen Dei יהוה Exiſtens ſignificat. Hoc autẽ ſolo nomine diuina illa natura ita ſubſiſtit; & eſt, ut illa nulli omnino præterquàm diuinis perſonis communicetur. Propterea à Rab. nomen ſeparatum appellatur, quò diuinam naturam contemplari tantùm nobis licet, iuxta illud: Ego ſum qui ſum, & non eſt alter præter me. Huius itaq; nominis ille dicitur memor, qui diuinam naturam hoc ſeſe nomine patribus declarantem fixam habet in animo, ut in illa, ac per illam omnia eſſe, moueri, & uiuere, eamq́; ubiq; præſentem, omnia intuentem, moderantem non dubitet affirmare. Hoc uerò ita perſuaſum habet Vates, ut nocte etiam, quando corporis ſenſus ſomno conſopiuntur, no

mi-

minis tamen Dei, diuinæq́ prouidentiæ reminiſcitur. Fit.n.(ait ille) ut cogitatiões, ſermonesq́ noſtri diurni aliquid in ſomno pariant. Qui itaq; optimè ſentit de Deo, is nocte etiam, & in ſomnis iucunda illius recordatione oblectatur. Significat etiam diuinæ legis meditationem longè ſibi gratiorem eſſe, quàm ſomnum, & quietem corporis. Nam ut ſomno corporis uires recreantur, ita animi ſenſus recordatione, & meditatione diuinæ legis recreantur, & in ea molliter conquieſcunt. Diurnæ igitur, nocturnæq́ cogitationes Dauid ex diuina lege fluebant. Ea erat ſomnus, quies, & animi ſui delitium. Cice. de ſom. Scipionis.

ET CVSTODIAM LEGEM TVAM.

QVi ſecum cogitat, qualis, ac quantus ſit huius legis, huiusq́ doctrinæ autor: facilè etiã intelliget, quanti ea facienda ſit. In humanis diſciplinis cõparãdis non quis, ſed quæ quiſq; doceat, cõſiderandũ eſt. In diuinis aũt non quæ, ſed quis ea doceat, animaduertẽdũ eſt. Cũ uerò ſapiẽtisſimũ Deum legis huius auctorẽ fuiſſe intelligimus, ſimul ſentiẽdum eſt, eã nobis ſãctiſſimè eſſe colendã. propterea Vates ait. Memor fui nocte nominis tui domine. Nã cũ tu ſapiẽtisſimus, immo ſapiẽtia ipſisſima ſis, tuã quoq; legẽ uerã eſſe ſapientiæ intellexi, ac propterea ſummo ſtudio obſeruandam & in illius obſeruatione ſitam eſſe felicitatem ſenſi. Vt

igitur aurum igne exploratur, ita nos Dei memoriã nec ne cõſeruemus, ipſa legis obſeruatiõe exploramur.

HAEC FACTA EST MIHI, QVIA IVSTIFICATIONES TVAS EXQVISIVI.

MVlta, eaq́; præclariſſima ſibi contigiſſe munera commemorauit hoc octonario; ſpem ſcilicet, ac in tantis ſuis erumnis conſolationem, & in ipſa lege conſtantiam. Item pro aliorum pernicie, et interitu zelum ardentisſimum, & ſummam in diuina lege delectationem. Quæ omnia in ſe collata diuinitus fuiſſe confitetur. Non enim ait. Hæc mihi meo ſtudio comparaui, neq; manus meæ hæc mihi fecerunt, ſed ab ipſo Deo facta ſunt mihi, non certè ocioſo, aut ſtertenti, ſed grauiter in ſtudio legis laboranti. Vel ideo dicit. Hæc mihi facta eſt, quod idem eſt, ac ſi diceret. Diuinæ huius legis amore ſic flagro, ut hanc meam, et proprie meam appellem: Nullius enim alterius rei deſiderio teneor, hanc mihi adoptaui, & in meam delegi. Habeant alij opes, honores, gloriam. Ego unico hoc bono diues ſatis, ac beatus ſum. Hic eſt agellus meus, in quo meam omnem operam conſumo. In hoc abſconditus eſt theſaurus meus.

QVIA IVSTIFICATIONES TVAS EXQVISIVI.

ET exquirendo ſeruaui. ſua quidem munera Deus

nobis gratis impertit: ſtudio tamen, & obſeruatione uerbi ſui quaſi mediis ad ea nobis impertienda uti ſolet. Legi itaq; omnia acceptum refert. Hæc facta eſt mihi, uel hoc mihi factum eſt, quia iuſtificationes tuas exquiſiui. i. quia legis tuæ ſanctiſsimæ ſtudioſus fui. In ea omnẽ ſpem collocaui, & animi ſolatium eſſe duxi, nec ab ea ulla malorum colluuie deterreri potui, memor iudiciorũ tuorũ, quæ à ſeculo ſunt, quinimmo maximo animi angore afficiebar, quòd eã ab impiis derideri uidere coactus fuerim: quam ueluti dulcisſima cantica libentisſimè audire debuiſſent Sed quantuncunq; parui faciant, & contemnant, illa ego cuſtodiã ſemper, & obſeruabo. Epilog.

Cheth. ח

TERROREM, ſeu pauorem ſignificat hæc littera. Nam qui diuinam Legem ſectantur, & illius ſtudioſi maximè ſunt, etſi diuino præſidio firmati ſint ut tuti uideantur ab hoſtium ſuorũ inſultibus: cum tamen ſuæ imbecillitatis ſibi conſcii ſint, quantum in ipſis eſt, pauent ſemper, & cum Iob omnia ſua opera uerentur. Iob. 9. Itaq; inter ſpem, & metum conſtituti cautè incedunt. ſpes. n. quæ nullo cum timore coniuncta eſt, facilè in arrogantiam euadit: ſicuti & timor omni ſpe uacuus, in deſperationẽ uergit. At coniuncti, inuicẽq; permixti, prudentẽ, cautũ, ac tẽperatũ hominẽ faciũt.

Poſtquàm igitur Pſaltes abſoluit litteram Zain, arma ſonantem, litteram Cheth ſubdit, quæ timorē quaſi pro ſcuto ſuggerit, quo contra hoſtium inſultus protegimur.

PORTIO MEA DOMINE DIXI CVSTODIRE LEGEM TVAM.

HEbraica æditio habet, & D. Hieronymus legit. Pars mea domine dixi, ut cuſtodiam uerbū tuū. ſed interpres ſuo more pro Verbo tuo, Legem tuā uertit, & alterum pro altero ubiq; ferè uſurpat: ut in prefatione docuimus. Maximè autem confidentis, ſecuriq; animi uerba ſunt iſta, quibus Deum portionem, ſeu partem ſuam appellat. Vir. n. pius et ſi ſemper ſua paueat opera, non ipſe tamen pauidus eſt. Propterea confidēter Deum ſibi in hæreditatē, & portionē adoptat. Dixi (inquit Vates). i. confidenter & palàm coràm omnibus conſtantiſſimo, firmiſſimoq; animo pròfeſſus ſum, ipſum dominum eſſe portionem meā. Quòd
Pſal. 15. & aliàs non ſemel dixit. Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Tu es, qui reſtitues hæreditatem
Pſal. 72. meam mihi. Et aliàs. Pars mea Deus in æternū. Sed non ſibi uendicat Pſaltes, qđ Leuiticæ tribus propriū eſt: de qua ſcriptum eſt, Deus pars eorum. Et rurſus. Ego dominus portio eorū. cum ipſe ex tribu Iudæ eſſet oriundus. Sed cum hæc diceret, nequaq̄ primitias, aut decimas, quæ ad Sacerdotes & Leuitas tantū pertinebant:

bant: ſed Dei uerbum, & legẽ excolẽdã ſpectabat. Hæc enim eſt piorum omnium portio, qua una ſatis contenti ſunt, & felices. Portionem ſuam dicit eſſe Deum, qui cum profugus incerta ſede uagari cogeretur, nec ullum terræ angulum haberet, in quo tutò poſſet conquieſcere, hoc uno ſatis contentus erat, ꝙ dominus ſua pars eſſet. Nã illud ſequebatur, ut qui nihil haberet, omnia poſſideret. Beatus (ait alias) cuius dominus Deus eius eſt. Pars igitur Dauidis erat quicquid ubiq; ſiue in cœlis, ſiue in terris bonorum eſt, quando ipſius portio Deus erat, in quo omnia, & per quem omnia. Ampliſſimam itaq;, & luculentiſſimã partẽ partes alias oẽs cõplectẽtem, nẽpè cœlum, & terrã, & quicquid terræ, cœliq́ ambitu continetur, ſibi delegerat: quia Deum ſibi elegerat in hæreditatem, & partem. Quæ ſanè uerba licet eiuſmodi ſint, ut humanas mentes, humanumq́ captum ſuperent, ea tamen pro ſe piorum quiſq; uſurpare, ac profiteri põt: quãdo ipſe Deus pars, ſiue hæreditas noſtra eſſe non dedignatur. Deligant alij ſibi honores, diuitias, & mundi gloriã, nihil demum inuenturi ſunt in manibus ſuis. At qui Deũ ſibi adoptauit, is bonorum omnium theſaurum ſe ſibi delegiſſe gloriari meritò põt. Hæc autẽ uox, Pars mea dominus, omnium quidẽ eſt, ſed eorum in primis, qui diuinis præſunt, & ſacris ſunt initiati. At qua ratione hæc pars, ſeu hæreditas ſit excolenda, declarat.

VT CVSTODIAM VERBVM TVVM:

TVnc itaq; Deũ nobis adoptamus, cum legẽ, & doctrinã ipſius totis uiribus excolẽdã ſuſcipimus: eſt.n.uerbũ Dei ager ille, in quo abſconditus eſt ingens ille euangelicus theſaurus. Hic nobis aſſiduò ſtudio, & labore eſt excolẽdus, ut ueræ felicitatis theſauros inde effodiamus. Beati ſunt.n.(ait dominus) qui audiunt uerbũ Dei, & cuſtodiunt illud in corde bono, et perfecto retinentes, & cũ patientia fructũ afferentes. Non igitur tenuẽ hæreditatẽ, ſed ditiſſimã, et luculẽtiſſimã adit, qui ad diuinæ legis ſtudiũ animũ cõfert, & in eo totis uiribus incũbit. Siquidẽ pars ipſius nõ ſunt terræ primitiæ, non decimæ, ſed ipſe Deus opt. Max. ipſius eſt merces. Hæc eſt hæreditas filiorum Abrahæ, quam olim pollicitus illi fuit Deus. Ego ſum, inquit, merces tua magna nimis. Itaq; pio cuiq; dicendum eſt. Pars mea dominus: ut cuſtodiam uerbum eius.

DEPRECATVS SVM FACIEM TVAM IN TOTO CORDE MEO. MISERERE MEI SECVNDVM ELOQVIVM TVVM.

NE uideretur ſuis fretus uiribus dixiſſe, cuſtodiã uerbũ tuũ, ſtatim ſubdit. Deprecatus sũ faciem tuã in toto corde meo. Qua quidem precatione petit, ſibi ſuffici uires, quibus hæreditatem ſibi traditã tenere,
Facies Dei quæ *& pro meritis excolere poſſit. Facies aũt Dei, quã ſe*

pre-

precatum dicit, eſt ipſa beatisſimi numinis præſentia, gratia, & fauor ipſius nobis aſſiſtens, quē ſibi perpetuò adeſſe precatur, quādo nihil innoxij ſit in homine, ſi ab eo deſeratur. Magnam certè, et uiribus noſtris imparem prouinciam capesſimus, quoties obſeruationem diuinæ legis ſine Dei gratia, et ope profitemur, propterea aſſiduis precibus nobis orandus eſt Deus, ut nullo unq̃ tēpore ſua nos gratia deſtituat, ut quod ipſe nobis præcepit, præſtare posſimus. Ideo dicit, ſe toto corde precatū fuiſſe, qui ſuis prorſus diffiſus uiribus, omnē ſpē ſuā in Dei benignitate collocarat. Non.n. toto corde alterius opem implorat, niſi qui nullā in ſe ſpem poſitā habet.

MISERERE MEI SECVNDVM ELOQVIVM TVVM.

SVperius octonario quarto, ubi dixit. Et de lege tua miſerere mei. diximus, quòd uerbū hebræum, quod interpres ubiq; ferè uertit, Miſerere, gratis donare ſignificat, alterius miſeria cōmoueri, et ſolicitū eſſe. Precatur itaq;, ut Deus ſui miſereatur. Se miſerrimū, et omni humana ſpe deſtitutum ſētit, petitq́, ſeſe diuina ope ſuſtentari: idq́, non ſuis certè meritis, alioqui nō eſſet gratis condonare, & miſereri: ſed (ait) ſecūdum eloquium tuū. Quod ſanè eloquiū uice meritorum omnium allegat. Quandoquidem pollicitus eſt Deus, ſeſe promisſis, quæ ipſa ſunt eloquia, māſurū. Pſaltes itaq; poſtulat, ut Deus ſui miſereatur iuxta ſua erga oēs di

uinæ

uinæ legis ſtudioſos promiſſa. Nam idem eſt ſecũdum eloquiũ tuũ, quod ſecundũ promisſiões tuas. Hic autẽ precandi modus eſt, Deum Deo obijcere, ut quæ petimus, ab eo impetremus, qui negare ſe ipſe non poteſt.

COGITAVI VIAS MEAS ET CONVERTI PEDES MEOS IN TESTIMONIA TVA.

VIas ſuas cogitare eſt, ſeipſum, ſuaq́; ad ſui cognitionem reuocare. Quod in tres partes à D. Bernardo diuiditur. Si conſideres, ait, Quid, Quis, Qualis ſis. Quid in natura, quis in perſona, qualis in uita. Hæc qui ſecum diligenter reputat, uias ſuas cogitat. Vias item ſuas reputat, qui quantum ſibi ſit uirium, conſiderat. In omnibus enim negotijs priusq̃ aggrediare adhibẽda conſideratio eſt. ſic enim et euangelicus ille rex ſedens ſe cum ipſe cogitat, an millibus ei posſit occurrere, qui contra ſe uiginti millibus uenit. Vates itaq; ſecum reputans, quid in natura, quis in perſona, & qualis in uita eſſet, perſpecta uirium ſuarum imbecillitate, ſeq́; ſeruandæ legi omnino imparem ſentiens, quippe qui ſe natura filium iræ, perſona peccatorem, uita mortalem agnoſcat, conuertit pedes ſuos ad diuina teſtimonia, ideſt ſummo ardore amoris fidei, & ſpei ſeſe ad ſtudium diuinarum ſcripturarum contulit, vt in eis uitam inueniat, & gratiam, qua quæ ſibi iniuncta ſunt, perficere posſit.

Co-

cognouit nãq; uias ſuas, cogitationes, ſtudia, & actiones ſuas peccato infectas, ac damnandas omnino eſſe, nihilq́; ſibi præter ſempiternum exitium reliquum eſſe: diuina uero oracula uitæ, atq; ſempiternæ ſalutis fontem eſſe. Ad hæc itaq; quaſi anhelans, ſitiq́; confectus, cæteris omnibus relictis, ſeſe totum conuertit, ut in his ſe recreet, ſpem alat, fidem magis ac magis roboret, & charitatem augeat. quandoquidem diuina oracula harum uirtutum propria ſunt alimenta.

CONVERTI PEDES MEOS IN TESTIMONIA TVA.

SAlomon, Cor hominis (ait) eſt diſponere uiam ſuã, ſed domini eſt dirigere greſſus ſuos. Et rurſus. A Domino diriguntur greſſus uiri: Quis autẽ hominũ intelligere poterit uiam ſuam? Itaq; non tantùm opus ſuum, ſed etiam Dei munus iactat, qui niſi prius ſeſe ad nos conuerterit, nos ad illum conuerti nõ poſſumus. Quod cum probè ſentiret Vates, ſuperius orauit. Vtinam dirigantur uiæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Et rurſus. Dirige in conſpectu tuo uiã meã. Et iterum. Direxit greſſus meos. Cum itaq; cogitaſſet uias .i. ſtudia, & actiones ſuas, ſenſit ſe circumlatrari peccato. Fortaſſe enim hac non adhibita diligenti cõſideratione, uel potius non reuelante Deo faciem ſuam, ipſe ſibi prius placebat, ac de ſe optimè exiſtima-

Pro. 16.
pſal. 5.
pſal. 39

ma-

negligentiam, neque per deliberandi moram neglexit pedes ſuos ad teſtimonia domini conuertere, ſed celerrimè ſeſe ad illorum ſtudium contulit. Feſtinaui (inquit) ſeu paratus, promptusq́; fui, nullo negotio præpediri, aut perturbari potui, quominus diuina oracula, et teſtimonia cuſtodirem, & obſeruarem. Non contuli cum carne, & ſanguine, ſed ſtatim acquieui Deo me à ſtudijs meis ad ſua teſtimonia uocanti. Ne tardes (inquit Salomon) conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim uenit ira domini. Propterea hic idem Vates ait. Hodie ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra. Quæ enim ſua natura optima ſunt, ea prompto, paratoq́; animo amplecti debemus, nulla interiecta mora, cum præſertim nullum temporis ſpatium ab obſeruatione diuinæ legis uacuum nobis relinquatur. Tu, ait, mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Non eſt itaque differendum illorum ſtudium, nec ullo unquàm tempore intermittendum. Ecc. 5

FVNES PECCATORVM CIRCVMPLEXI SVNT ME, ET LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

QVod interpres, & D. Hieronymus uertit. Funes, Paraphraſtes chaldæus, et ex Rab. nõnulli, cateruæ, ſeu cætus interp̃tãtur, atq; ita uertũt. Cateruæ impiorũ de-

depredatæ ſunt me. uel, cœtus impiorum congregati ſunt aduerſum me. Sunt etiam qui dolores interpretantur. Variam autem interpretationem fecit uox hebraica חבל *quæ accipitur pro cœtu, congregatione, & caterua: item pro fune, qui ex multis filis complicatur, ſicuti cœtus ex multis perſonis congregatur. Accipitur etiam pro gubernatoribus nauium præſertim, et pro doloribus, quibus homines quaſi funibus implicantur. Siue itaq; cœtus impiorum, ſeu gubernatores impios uox hebraica ſignificet, intelligimus Vatem queri, quòd contra ſe impii plurima, maximaq́ mala machinati fuiſſent. Id quod exprimit uerbo* עזר *quod uel depredari, uel multiplicare ſignificat: cuius ſignificatum declarare uolens interpres iuxta interpretationē Rab. Solom. multiplicati ſunt, uertit. Cætum itaq; impiorum, ſeu gubernatores, & præfectos Reip. impios Saulem, & omnes eius aſſentatores appellat, qui contra ſe quotidie omnis generis mala ingeminabāt, multiplicabantq́, & afflictionem afflicto continenter addebant. Hac autem ſententia tum potentiam, tum improbitatem hoſtium ſuorum graphicè deſcribit, ut ab ijs ſibi nonnihil eſſe uerendum cenſeat, quando nō uulgares homines, ſed impiorum præpotentium cateruæ contra ſe conſtipatæ, multiplicatæq́ fuerint, & propterea diuinæ ſe gratiæ indigere declarat: ut intentatam ſibi pernitiē, & mortē poſſit effugere, iuxta illud quod ſu-*

ſuperius orauit. Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo, miſerere mei ſecundum eloquium tuum. Id quod etiam ſe obtinuiſſe hoc uerſiculo declarat, quã do diuina ope adiutus non modo prõptum ſe exibuerit ad diuina colenda oracula, ſed etiam impiorum cateruis ſibi uim inferentibus, ab eorum ſtudio diuelli non potuerit. Quamuis enim quaſi impacto uncino impij ipſum ad ſua ipſorum ſtudia pertrahere niterentur: ſui tamẽ corporis dilacerationem, ipſe æquius erat paſſurus, quã ut quis à diuinæ legis ſtudio ſe abſtraheret.

LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

NVlla quidem tanta eſt rerum, uel diſciplinarum humanarum iucunditas, quæ ſenſu imminentiũ malorum non tollatur, aut penitus non obruatur. Nã et Plutarchus ait. Facilius quis ſui uultus imaginẽ in aquæ fundo turbatæ, & innundantis uiſurum ſe confidat, q̃ in conuulſione, & dilaceratione corporis adeſſe blandã uoluptatis memoriã credat. At longè aliter ſe habẽt, qui cœleſtis diſcplinæ ſuauitatẽ aliquãdo deguſtarunt. Blandam, & iucundam illius memoriã nulli labores, nulli dolores, nullæ membrorum diuulſiones, nullæ calamitates, nulla denique mors obliterare poteſt. Id quod martyrum omnium exemplo ſatis comprobatum eſt, & hoc loco ſuo exemplo teſtatur Vates. Legem (inquit) tuam non ſum

oblitus, eſt ſi neq; malis omnibus circunueniar.

MEDIA NOCTE SVRGEBAM AD CONFITENDVM TIBI SVPER IVDICIA IVSTIFICATIONIS TVAE.

QVanto, quàmq; ardenti uerbi Dei amore flagraret, quamq; illius ſtudio eſſet addictus, hoc uerſiculo magis declarat, quando non ſolum interdiu, cum mens grauiſſimis negociis, periculis, ſuiq; inſectatione premeretur, ſed noctu etiam, cum ſomni, & quietis tempus appeteret, & relaxationi animi uacandum eſſet, ſurgebat tamen, ut menti quietem ſtudio diuinæ legis conciliaret. Nam cum mens rectè habet, & tranquillitate perfruitur: rectius quoque corpus habet, & mollius, placidiusq; conquieſcit. Tempore igitur, quo caro tentationum ignibus æſtuat, & homines carnales luxui & uoluptati dant operam, uir Sanctus aliis æſtuabat ignibus, aliis pũgebatur aculeis, nempè amore diuinæ legis. Hac una ſe oblectabat. In hanc omnes ſuas curas, dolores deponebat. Huius fortaſſe exemplo ex hoc loco deſumpto factum putarim, ut ſanctiſſimus ille mos in Eccleſiã Chriſti ſit inuectus, ut qui ſe corpore, & Spiritu Deo cõſecrarũt, antelucanis horis ſurgentes Pſalmos, et hunc præcipuè, quem præ manibus habemus, canant. Quod ſuperandis carnis titillationibus, & animi puritati maximè conducit, dum Deo gratias agunt, diuinaq; eloquia mente ſobria,

&

et ab omnibus curis aliena meditantur. Metaphoricè etiam hunc uerſiculum cũ D. Auguſt. interpretari poſſumus, mediam noctem accipiendo pro ipſo malorum profundo, in quo cum Vates perſæpe uerſaretur, non abiiciebat ſpem, non deſpondebat animum; ſed ſe ipſe potius in ſpem erigebat, & uerbo Dei animum ſuum roborabat, Deo gratias agebat, quòd licet malo rum acie circumſeptus eſſet, illud unum ſibi integrũ, & illæſum ſeruaretur; ipſum ſcilicet ſtudium uerbi. Hoc inſtar munitisſimæ arcis habebat, in quàm ſe ſe recipiens, ab omnibus periculis tutum ſe omnino eſſe iudicabat. Hoc autem propriè eſt confiteri domino ſuper iudicia iuſtitiæ, .i. ingẽtes, et ſempiternas Deo habere, & agere gratias, quòd ſua nobis teſtimonia, ſua oracula, legem, doctrinamq; tradiderit, et illius nos ſtudioſos effecerit, quamuis id impii aſpernentur, & probro nobis uertant, ac propterea multis nos incommodis afficiant. Hac autem re Deo gratias agebat, quòd nihil neq; præſtantius, neq; diuinius hoc unò munere conſequi potuimus.

confiteri deo quid ſit.

PARTICEPS EGO SVM OMNIVM TIMENTIVM TE, ET CVSTODIENTIVM MANDATA TVA.

VAtes licet exul, inopsq; uagari incerta ſede cõgeretur, exiliũ tamẽ æquiſſ. animo ferebat ꝙ ter-

ribile eſt iis, quibus quaſi circumſcriptus eſt habitandi locus, non iis, qui totum orbem terrarum unam eſſe urbem ſentiunt; tametſi Vates in ſuo ubi pedē poneret, nō habebat: Dominum tamen terrarum, ac cælorū ſibi in poſſeßionem cū delegiſſet, ſatis ſibi felix, ac beatus uidebatur; neq; Sauli potentiam, neq; illius aſſentatoribus ſui regis gratiam inuidebat, à quorū moribus et ſtudiis erat alienus, neq; pili faciebat, quòd ab eorū conſuetudine procul arcebatur, quando quicunq; erāt boni, qui certè multis partibus pauciores improbis sūt eorū cōſuetudine frui ſibi licebat. Horū, ait, ſe eſſe participē, qui Deū eundē colerent, & uenerarentur, quē ipſe coloret, et ueneraretur. Horū ſibi beneuolētiā nō opibus, nō dignitate, ſed pietatatis ſtudio conciliarat. Ab impiorū cōmunione ſecluſus, horū licet humili, obſcuroq́; loco nati eßēt, licet nulla dignitate, nullaq́; rerū copia florerēt: tamē quòd Deū amarent, quòd illius legis ſtudioſi eſſēt, familiaritate utebatur; Cū his ſuas horas libentiſſ. ponebat; Ab his ea unica ratiōe ſe amari lætabatur, quòd eodē Spiritu, eadem fide, eadēq́; charitate, ſanctisſimis amicitiæ legibus, eundē patrem amarent, eandem hæreditatē nempe cœleſtem expectarent, et eisdē interim ſe ſe ſacramētis ſuſtētarēt. Hæc uerè eſt illa Sāctorum communio, quam in regulis fidei confitemur, in qua qui eſt, uerè beatus, ac felix eſt. quandoquidem diuinitatis, ac bonorum omnium

cœleſtium particeps efficitur. Habemus autem hoc octonario ipſum Dei populum bipartitum, nempè in cateruas impiorum, Deum minimè timentium, & legē illius aſpernentium; necnon in cœtum, ſeu participationē timētium Deum, et illius mādata cuſtodiētium. Qui omnes cōmixti, nomine populi Dei cēſentur. Verum non omnes bonorum illius participes ſunt: ſed hi tantū, qui reuerentia, & amore illū proſequūtur, diuinæq́; illius legis ſtudioſi ſunt. Nō.n. ſat eſt, ipſum Deū fide colore, niſi & amore uerbi ipſius teneamur; propterea Vates participes ſuos uocat Deū timētes, et mādata eius cuſtodientes: quādoquidē in his, qui uerè pii ſūt utrūq; reqritur, Dei timor, et diuinæ legis obſeruatio.

MISERICORDIA TVA DOMINE PLENA EST TERRA, IVSTIFICATIONES TVAS DOCE ME.

QVia in Iudæa tātum ſui cultū conſtituerat Deus certoq́; in loco, certiſq́; ritibus ſeſe coli, ac celebrari p̄ceperat: ſuperſtitioſi, atq; impij quicunq; ab eo loco exterminati detinebantur, eos diuini cultus eſſe expertes arbitrabantur. Ignorabant.n. quòd quēadmodum ſcelerati oēs (ut ait Cicero) et impij, quos leges exilio affici uolunt, exules ſunt, tametſi locū nō mutēt; Ita Deū colētes, et ſi locū mutēt, non tamē cœlum, aut animū mutāt, ſed totū terrarū orbē Dei quoddā phanū et tēplum ſibi eſſe ſciunt. Propterea ubi ſunt, participes

Dei eſſe poſſunt. Miſericordia tua(ait)plena eſt terra,& in omni loco incenſum offerri poteſt nomini tuo. Non itaque Palæſtina ſola plena eſt miſericordia domini,neq; in Iudæa tantùm benignitatem ſuam declarat,ſed ea omnem terram complet. Non itaq; uel ſi ad extrema terræ ablegemur, à diuina nos benignitatę excluſos eſſe ſentiendum eſt. Ab ea enim neq; Ionas in profundo maris,& in uentre Ceti,neq; Daniel in lacu Leonum,neque Chriſtus in cruce fuit excluſus. Verbum etenim Dei nobis eſt inſtar Iudaicæ terræ lacte, & melle manātis,Dum in eo tota cogitatione ſumus, diuinæ ſumus benignitatis participes. Nulla itaque de re alia magis ſollicitos nos eſſe oportet,quàm ut uerbi Dei alumni ſimus:quod ut nullo concluditur, & alligatur loco,ita omnia loca occupat.

IVSTIFICATIONES TVAS DOCE ME.

SApientiſsimus ille Græcorum Solon affirmabat nobis,quandiu uiuimus,diſcendum eſſe. Propterea hic,& ſupra Vates repetit hanc ſententiam,Doce me. Quod ſi in humanis diſciplinis ſemper reſtat, quod diſcendū ſit,id multò magis in diuinis, in quibus ſi quis diſcipuli perſonam aſſumpſit, ea nunquam eſt deponē da,ſed ſemper cum Vate orandum, Doce me iuſtificationes tuas. Vel addidit iuſtificationes tuas &c. ut præcedenti clauſulæ reſpondeat, Miſericordia domi

ni

*ni plena eſt terra, ut ſit ſenſus. Licet quotidie ſaltus, & ſolitudines peragrem, & procul à dulciſſimo patrio ſolo detinear: æquiſſimo tamen animo fugam, exiliū, atque inopiam meam feram: quando à miſericordia tua, quæ uniuerſum terrarum orbem complexa eſt, diuelli nō poſſim. Hanc, ut mihi ſemper præſtò adeſſe ſentiam, effice domine, ut ſenſu, & intelligentia uerbi tui animum meum mœrentem, & afflictum recrees, & ſuſtentes. Fit enim, ut is dolore impeditus minus ea poſſit perſpicere in uerbo tuo, quæ ad ſuiipſius tranquillitatem in illo, repoſuiſti. Petit igitur, ne unquàm tanta malorum ui opprimatur, ut uerbi guſtum, & ſuaui*tatem amittat, qua omnes ſuas miſerias deliniebat, quodq́; unum in malis ſibi ſolatium relinquebatur, quo uno homines Dei amicos, & diuinitatis participes effici ſentiebat.* Epilog.

Teth. ט

LITTERA Teth per litterarum tranſpoſitionem interpretantur hebræi, טה nempè quod declinare, & aliò diuertere ſignificat. iuxta illud Prou. 4. Ne declines à dextris, uel à ſiniſtris, &, Auerte pedē tuum à malo. Rectè igitur, poſt litterā Cheth, quæ pauorē ſignificat, locata eſt littera Teth, quæ declinare, aut diuertere ſonat, ut diuinam hanc diſciplinam adeuntem admoneat., ab ipſius diuinæ Legis præſcripto

nunquàm diſcedendum, neq; uel à dextris, uel à ſiniſtris declinandum iuxta Moſis præceptum, Deut. 5. Cuſtodite, ait, & facite, quæ præcepit dominus uobis, non declinabitis neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram: ſed per omnem uiam, quam præcepit dominus, ambulabitis, ut bene ſit uobis, & protelentur dies ueſtri in terra poſſeſſionis ueſtræ. De quibus quidem bonis agitur hoc octonario.

BONITATEM FECISTI CUM SERUO TUO DOMINE SECUNDUM VERBUM TUUM.

Deu. 28. *OMnia bona pollicitus eſt Deus per Moſen, ut ſupra dictum eſt, his ſcilicet, qui ad normam diuinæ legis incederent, & ab ea neq; à dextris, neq; à ſiniſtris declinarent. Cum itaq; rectà inceſſiſſet Dauid, ac nuſquàm declinaſſet, reddit ſuũ teſtimoniũ Deo, ꝙ pro ſua ueritate fecerit ſecum bonitatè ſuam ſecundum eloquium ſuum. Bonitatem autem ſuã erga Dauidem declarauit Deus, cum non modò ex ore, & faucibus inimicorum crebrò eripuerit, & illũ in uita ſeruauerit, ſed multis, ijsq́; præclariſſimis cũ muneribus cumulauerit, adeo ut ipſum ſui populi regem cõſtituerit, reiecto Saule quamuis potentiſſimo & Dauidi inimiciſſimo, plurimis maximisq́; uictorijs ornauerit, et innumerabilibus eũ beneficijs auxerit. Quod quantũcunq; eſt, bonitatis uocabulo expreſſit. Diuinæ etenim bonitati acceptũ refert, quicquid ſecũ actũ fuit in om*

ni uita, ut cum Iob sāctiſs. dicere uideatur. Sicut domino placuit, ita factū eſt; ſit nomen domini benedictum. Qđ ſi ad priuatum aliquod in ſe collatum beneficium referēda hæc ſunt, illud in primis ponendum, ꝙ non modo ſpiritu Dei ſancto donatus ſit; ſed ꝙ in Meſſiæ patrē ſit aſcitus; ex quo ſecundū carnē ille ducturus eſſet originē, iuxta promiſſum illud, De fructu uentris tui ponā ſup ſedem tuā. Qua de re Deo gratias agit. Bonitatem (inquit) feciſti cum ſeruo tuo domine ſecundū eloquium tuum. Bonitatē uero ſecum factā dicit ſecundum eloquium Dei: ſi quidē Verbum menſura eſt, qua ſua nobis metitur Deus. Quæcunq; aliæ menſuræ anguſtæ, & nullo modo diuinorum munerum capaces ſunt. Verbum autē Dei cum latiſſimum, & profundiſſimum ſit, diuinorum munerum magnitudinē ſolum capit. Igitur ſecundum uerbum bonitatē ſuā nobiſcū facit: ſecundum uero alias menſuras iram, & indignationem cum hoſtibus ſuis facit. Quicquid.n. cum ſeruis ſuis agit Deus, id agit ſecundum bonitatem ſuā.

BONITATEM, ET DISCIPLINAM, ET SCIENTIAM DOCE ME QVIA MANDATIS TVIS CREDIDI.

QVod noſter interpres uertit, Bonitatem, & diſciplinā, alij tam ex hebræis, q̄ ex latinis interꝑtati ſunt, bonum guſtum, alij bonum ſermonē, alij bonum cōſiliū, alij uero, bonā diſciplinā. Hāc autē uerſionum uarietatē fecit uox hebraica טעם *quæ ut in grammatica*

ac-

accẽtũ ſignificat, qui uerborum anima appellatur: ita ſi ad intellectum eam referas, conſilium, & ratiocinationem: ſi ad uerba, eorum elegantiam: ſi ad mores, præſtantiam: ſi ad ſcientiam, illius excellentiam ſignificat. Cum itaq; oret bonum טעם *conſilij, & eruditionis excellentiam, uerborum, et morum elegantiam, ac in rebus omnibus guſtum, & ſenſum perfectum petit, idq; nulla alia de cauſa, niſi ut quàm bonus, quàmq; ſuauis ſit dominus, quamq; bona, et ſuauis illius doctrina, guſtare, & experiri poſſit. Niſi enim hunc guſtum nacti fuerimus, illius bonitatem ſentire, et guſtare non poſſumus. Propterea poſtquàm hunc guſtum petijt, mox ſcientiam petit; & ſcientiam (ait) doce me. Niſi enim bonus rerum diuinarum guſtus præceſſerit, & animi palatum peccati amaritudine infectum expurgauerit, ueram Dei cognitionem non aſſequemur. Fide itaq; prius diuina nobis bonitas eſt experiẽda, mox uerò ediſcenda. Hinc fit, ut humana ſapientia turgidi diuinæ ſapientiæ capaces non ſint: quòd prius ſcire, & intelligere, quàm credere, & experiri diuinam bonitatem uelint. At contra Vates facit. ſcientiam, ait, doce me.*

QVIA MANDATIS TVIS CREDIDI.

CVm fidei, quæ rerum non apparẽtium eſt, propria merces ſit rerum creditarum ſcientia, & uiſio: Vates

Vates exigens mercedem fidei, immo operationis Dei Bonum guſtum, ait, & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi: quaſi diceret. Cùm nondum ſanctiſſimam legem, & doctrinam deguſtaſſem, neq; illam ulla ex parte callerem, eam tamen fide, ſpe, & charitate complexus ſum. Reliquum eſt, ut bonum illius guſtum non erroneum, quem ſuperſtitioſi, & impij habent, ſed ab omni prorſus malo, & errore alienum concedas, ac eiuſdem ſcientiam me doceas. Verum quid eſt, quod ſuperius dixit. In uia teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs, & legem domini delitium ſuum toties appellauit: nunc uerò quaſi illius ſit ignarus, bonum ſibi dari guſtum illius poſtulat? Sciendum, quòd non ideo id petit, quaſi omni ſit illius guſtu uacuus, & diuinæ legis cognitione careat, ſed potius oſtendit eius ingenij eſſe diuinam legem, ut ſi quis illam, uel primis tantũ labris deguſtauerit, mox pleniorem hauſtum ſibi dari uehementiſſimè expetat. iuxta illud. Qui me edunt, adhuc eſurient: & qui bibunt, adhuc ſitiunt. Hoc idem ſuperius declarauit, cum dixit. Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Ita cum diuinam hãc doctrinam deguſtaſſet, & intimis cordis medullis hauſiſſet, illam largius deguſtare deſiderat. Eccl. 24.

PRIVSQVAM HVMILIARER EGO DELIQVI.
PROPTEREA ELOQVIVM TVVM CVSTODIVI.

D. Hieronymus uertit, priuſquàm audirem, ignorans fui, uel ignoraui, ſed utraq; uerſio ſecundum hebraicam ueritatem retineri poteſt. Verbum ſiquidē Hebraicum & humiliarē, ſeu affligere, & audire, ſeu reſpondere ſignificat. Verbum itē שגג per ignorātiam errare, & delinquere deſignat. Propterea, quod interpres uertit, Priuſquam humiliarer, ſubintelligendum eſt, audiendo, & uerbo deliqui addēdum eſt, ignorans, aut per ignorantiā deliqui. Et erit ſenſus: Antequàm aurem meam ad uerbum tuum audiendum inclinaſſem, rerum diuinarum omnino ignarus fui, et à ueritate longè aberrabam. Qua quidem ſententia ſignificare uoluit, qua ratione fidem, & ſcientiam rerum diuinarum ſit conſecutus, nempè auditu uerbi Dei. Nam
Rom. 10 *fides ex auditu (ait D. Paulus) auditus autē p̄ uerbum Dei. & aliàs ait: Quomodo audient ſine prædicante? Quāuis igitur animus ab huiuſmodi auditu abhorreat, ſubijciēdus, et demittēdus eſt tamē in obſequiū fidei, et in auditū uerbi Dei. Niſi.n. uerbi auditio nobis utilis, et neceſſaria eſſet, eā neq; Moſes, neq; Prophetæ reliqui tātopere urgerēt. Qui.n. uerbū Dei nō audiūt, & ſi plurimū ſapere uideātur, ſtulti nihilominus ſūt, & ignorantes, et grauiter per ignorantiā delinquunt.*

Quod

Quod non tam facilè contingit his, qui uerbum retinent. Quandoquidem ad uerbi Dei prædicationem Spiritus ſanctus audientium cordibus illabitur, quo non modò aduerſus inimicorum uim roborantur, et in uirtutũ curſu confirmantur, ſed ita etiam illuſtrãtur ut quæ agenda, quæue fugienda ſint, optimè uideant.

PROPTEREA ELOQVIVM TVVM CVSTODIVI.

NOuerat Vates, reipſa expertus, inde malorum omnium corruptelã oriri, quòd ubiq; uerbum Dei negligeretur. Propterea illud ſibi charius, & acceptius eſſe cœpit, & ſumma diligentia obſeruandum. Nam qui illud audiunt, & ſimul cuſtodiunt, beati ſunt, & appellantur.

BONVS ES TV, ET IN BONITATE TVA DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

DIuina eloquia, ex diuinæ bonitatis promptuario profluxerũt. Cũ.n. Deus bonus ſit, immo ipſiſſimũ bonum, ſeſe per uerbum ſuum creaturis ſuis, & in primis homini communicat. Verbo enim domini cœli firmati ſunt, & terra, & omnis uirtus eorum. Verè itaq; nobiscum ſuam facit bonitatem, quando nobis aperit ſenſum, ut intelligamus et obſeruemus uerbum ſuum. Bonus es tu. Nemo bonus, ait dominus, niſi ipſe Deus. Caue (dicebat Pimander) ne quando dixeris

aliud

aliud quicquam bonum. Peſsimus enim hic error foret. Neque etiam dixeris Deum aliud quiddam, præter ſolum bonum. In eandem quippe impietatem incideres. Deus autem bonum eſt non ſecundum honorationem, ſed ipſa ſui natura. Vna enim Dei natura eſt ipſum ſcilicet bonum. Bonus itaq; eſt Deus natura, at non facilis, neq; ſeuerus. Vt enim illud eſt bonitatis defectus, ita hoc illius eſt exceſſus. Sic itaque eſt bonus, ut nihil nō boni ab eo emanet, et nihil mali ab eo ſit. Bene omnia agit, operatur, & diſponit, cum itaq; ipſum ſit bonum, non niſi bona eſſe poteſt illius doctrina. Hāc itaque illationem faciens ſubdit. Et in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas. Quorū quidē uerborū is uidetur eſſe ſenſus. cum natura tua bonus ſis Deus, tua quoq; bonitate inuitatus, tua nobis eloquia, atq; oracula tradidiſti. Te itaq; oro, & obteſtor, ut tandem mihi bonitatem tuam præſtās me legem tuam doceas. In bonitate autem ſua illos docet Deus, quos docendo, & erudiendo bonos facit, & ſuæ bonitatis participes. Iccirco D. Hieronymus huic ſenſui alludēs uertit. Benefícus doce me. Hac etenim in re ſuam in nos declarat bonitatem Deus, cum nos leges ſuas ſanctisſimas docet, atq; illarum obſeruantiſsimos facit.

Mul-

MULTIPLICATA EST SUPER ME INIQUITAS SUPERBORUM. EGO AUTEM IN TOTO CORDE MEO SCRUTABOR MANDATA TUA.

D. Hieronymus uertit, Applicabant mihi mendacium ſuperbi. Verbum namq; טפל aliquid componere, ſimul connectere, & agglutinare ſignificat, iuxta illud, Va qui additis iniquitatem iniquitati, & mẽdacium mendacio agglutinatis. Quòd cum idem ſit, quod iniquitatem multiplicare, interpres ideo uertit. Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborũ. Quæ autem fuerit hæc ſuperborum iniquitas in Dauidem et hebraica editio, & D. Hieronymi uerſio ſatis declarat, nempè mendacium, & calumniam, quæ mira arte in illum componebãt. Sic Rab. Dauid, & Rab. Abrã exponunt. Connectunt autem, & agglutinant mendacium mendacio impij contra pios, quando ut unum cõponant, multa ſimul aggregent mendacia, neceſſe eſt, quæ tamen miro artificio ueritatis ſpecie adornant, ut facilius in hominũ mentes irrepãt. Hoc aũt ſuperborũ ac uerbũ Dei irridẽtiũ eſt, ut ſua mẽdacia pro ueritate obtrudãt, et uerbi Dei ueritati ſuis fallacijs fucũ faciãt. Nullis tamẽ ſimulachris ſibi imponi patitur Vates, ſed manibus, pedibusq; uerbi ueritatẽ retinens ait.

IN TOTO CORDE MEO SERVABO MANDATA TUA.

QValis eſſe debeat pij diſcipuli animus, quàmq; erga

pientiæ, ſicut lac albedinem, præſeferunt: at uirtutem, & ueritatem illius abnegant, quandoquidem reuera impij ſint, & ſtulti cor coagulatum & obduratum habentes. Eorum præterea coagulatũ eſſe cor dicit, quod & ſi aliàs impij opinionibus inter ſe disſideant, hac tamen in re inter ipſos conuenit, ut pietatis ſtudium, pietatiſq; ſtudioſos odio proſequantur; atq; ita conuenit inter ipſos, itaq; coniunguntur, ut coagulati lactis ſpeciem præſeferant: ita ſectæ illæ inter ſe opinionibus diſpartitæ conſpirant, & impetum faciunt in pietatis amantisſimos, ut uidere eſt in hiſtorijs ſeruatoris, & B. Stephani protomartyris.

EGO AVTEM LEGEM TVAM MEDITATVS SVM.

IMpij, ſuperbi, uerbi Dei contemptores tota animi, & mentis cogitatione diuitiis comparandis ſtudent ut uoluptatibus magis difluant: ideo diuinæ legi percipiendæ minus idonei ſunt. Dauid autem diuitiis, & uoluptatibus ſpretis, totas animi cogitationes ad diuinæ legis ſtudium appulerat. Hoc autem illud eſt, quod dicit. Ego uerò legem tuam meditatus ſum: Etenim ita ex animo adamauerat, ut ab ea neque exẽplo, neque dignitate, aut authoritate, ſed neq; minis, aut ui cuiuſquam abduci ſeſe pateretur: atq; pro huiuſmodi animi ſui propenſione in diuinam legem asſiduas gratias agebat Deo, à cuius bonitate id muneris ad ſe pro

VT DISCAM IVSTIFICATIONES TVAS.

Diuinæ huius Philoſophiæ ſtudium in hoc præſtantiſſimum declaratur; quòd in afflictionibus, & calamitatibus magis ingraueſcat. Afflictionibus .n. pij homines quaſi uentis, & procellis agitati in diuinæ Philoſophiæ portum compelluntur, in quò ſumma animi tranquillitate conquieſcunt, quoq; maior malorum imminentium tempeſtas ingruit, in eo libentius commorantur. In afflictionibus autem Dei iuſtificationes didicimus, cum per illas ab hominibus quaſi reprobi iudicati, iuſtitiam, quæ nos Deo cõmendat ſecuri didicimus, & illa ſatis contenti ſumus, dicentes, Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam iuſtificationes tuas.

BONVM MIHI LEX ORIS TVI SVPER MILLIA AVRI, ET ARGENTI.

SVperiùs uir ſanctiſſ. Deum ipſum bonũ appellauit. Nunc idipſum legẽ quoq; Dei eſſe affirmat, quãdo quidẽ lex nihil aliud nobis eſt, quã ipſe Deus ſed quẽ admodũ Deus non omnibus ſummũ bonũ eſt, ita diuina lex tametſi bonã eſt, nihilominus nõ bonũ eſt omnibus; Nã ſe ſpernẽtibus ipſum malũ eſt: at diligentibus bonũ eſt, omnia complectens bona propterea ait: Bonũ mihi lex oris tui. Lex aũt oris Dei eſt quicquid Dei Filius, Moyſes, Prophetæ, Apoſtoli uri Apoſtolici, et oẽs

ſancti Dei homines ipſius ſpiritu afflati locuti ſunt, & nobis ipſius nomine tradidere. Qui ut dictis, & ſcriptis ſuis ueritatem concilient, ita ſerè omnes loquutur. Os domini locutum eſt. ſiue, Ait dominus. ſiue Factũ eſt uerbum domini ad me. et id genus alia. Nõ enim à ſemetipſis aut oculorum ſuorum uiſiones, ſeu propriæ, & humanæ ſapientiæ ratiocinationes, & conſilia locuti ſunt: ſed quæ ſibi diuinitus reuelata, ac tradita fuerunt à Deo, ea nobis commendarunt. Quæ propterea lex, & doctrina ab ore Dei profecta meritò appellantur. Quæ quidem doctrina eò eſt cæteris diſciplinis præſtantior, quò Deus præſtantior eſt hominibus, cui ſi omne aurum comparatur, exigua harena reputabitur. Iccirco meritò ait. Bonum mihi lex oris tui. ſint alijs alia bona hoc certe bonum mihi ſat eſt pro omnibus bonis, nempè lex oris tui. Habet autem emphaſim maximam, quòd legem à Dei, non autem hominis ore profectam appellat: ut illius integritatem, ſanctitatẽ, & excellentiam hoc pacto nobis commendet.

SVPER MILLIA AVRI, ET ARGENTI

OMnes quidem, & illi præſertim, qui diſciplinis humanis incumbunt, auaritiam ſectantur, & diligunt munera: quando quæſtus gratia ad eas ſe contulere. Quod Sathanæ telum eſt accerrimum, quo eos aggreditur, & proſternere conatur, qui ſeſe diuinæ legis

dio addicunt. Hoc ille telo uel Chriſtum auſus fuit ag gredi regna omnia, & gloriam eorum oſtentans, omniaq́ pollicitus, ſi cadens eum adorare uoluiſſet. Scit ille doli fabricator auaritiam eſſe idolorum cultum, & quicunque illi ſe dicant, multis laqueis implicari, quibus in interitum demergantur. Propterea qui Sathanæ ingenium, & auaritiæ morbum norunt, ij ex animo Deum precātur. Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non auaritiam. Mox uerò diuinam legem ita ſectatur, ut argento & auro præferendam exiſtimet. Bonum (inquit) mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti. Hæc.n.ex uilisſima terra trahuntur: illa uerò ex ore altisſimi prodijt. Hæc corruptibilia: illa æterna bona confert. Hæc homines miſeros: illa uerò beatos facit. Quod cum ita ſit, quid eſt in tota rerum uniuerſitate, quod nos ab illius ſtudio abſtrahere posſit? Summum etenim bonum in illa nobis propoſitum eſt. Itaq; perſæpe aduerſis rebus nos pulſat Deus, maiorum exēplo, & authoritate tentari nos permittit, ut huius ſanctisſimæ legis ſtudio nos penitus dedamus, & ex ea omne animi gaudium eliciamus. Amen.

Iod. י

LITTERA Iod prima in magno, & ineffabili nomine Dei Tetragrāmatō ipſam ſimplicisſimā diuinitatem ſignificat, eamq́ antiquisſimi Rab. ſub il

la in hunc modũ declarabant, ut hac figura in ipſa diuinitate tres perſonas innuerent. Hac aũt littera ideo diuinitas ſimplicisſima declaratur, ꝙ illa pũctum ſit, quod in partes diuidi non poteſt, à quo lineæ oẽs incipiunt, & in quod oẽs rurſus ducuntur, ac terminãtur. Omnes ſecat, & nullam omnino ſectionem admittit. Hæc itaq; littera meritò ipſum Deũ ſignificat, à quo, in quo, & per quem ſunt, & trahuntur omnia. Proptere a denarius numerus per illam inſinuatur, qui eſt (ut ait Philo) totius perfectionis cõpages. quo uniuerſam legem ſuam abſoluit Deus. Continet enim hic numerus omnia numerandi genera, par, impar. Propterea Græci uocant illum decada, ꝙ omnem in ſe numerum recipiat, quippe qui ex uno, duobus, tribus, et quattuor ſit compactus. Hæc autem littera Iod laudem ſonat. Per hanc enim declarat diuinæ legis ſtudioſos conſecuturos eſſe rerum omnium perfectionem, & eandẽ ab ipſo Deo, & diuinitatis ipſius ſeſe fore participes.

MANVS TVAE FECERVNT ME, ET PLASMAVERVNT ME. DA MIHI INTELLECTVM, VT DISCAM MANDATA TVA.

DEi manus pro Dei filio accipitur, ait D. Eucherius, eo ꝙ per ipsũ facta ſint omnia, ſicut eſt apud
Eſa. 66. *Eſaiam. Omnia hæc manus mea fecit. Aliàs uerò per manum Dei poteſtas eius intelligitur. iuxta illud Hieremiæ. Sicut lutum in manu figuli, ſic uos in manu mea*

domus Iſrael.Hoc aūt loco manus Dei pro ſingulari illa potentia,& uirtute Dei accipitur,quæ ab ipſo immediatè proficiſcitur,quaq́ ea nobis præſtat, quæ præſtantisſima ſunt: qua quidem uſus eſt in ipſa hominis creatione,& in omnium hominum cōditione utitur, quos non uerbo tātum,ut cæteras creaturas, ſed quaſi excellentius aliquid præſtaturus manibus ſuis condit. Faciamus(inquit)hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.Hoc eſt autem,quod Iob, & Dauid de ſe ipſi teſtantur. Manus(aiunt)tuæ fecerunt me,et plaſmauerunt me. In homine ſiquidem condēdo ſingulari,& excellentiori uti potentia uidetur Deus. Cætera.n.ſolis,& elementorum ui concipi,& oriri uidētur. Homo uerò proprijs Dei manib. formatur. Quo factū eſt,ut & ipſi mundi ſapientes Hominem mundi miraculum,& animal adorandum,& honorandū appellauerint. Ne igitur opus in ſuum opificem ingrato animo ſit,hūc ipſum opificē ſuum agnoſcit,& ueneratur, illiq́ tùm naturalia,tùm gratuita munera accepta refert. Manus,inquit,tuæ fecerunt me,& plaſmauerūt me. Sed D. Hieronymus uertit. Manus tuæ fecerunt me,& firmauerunt me. Id.n.ſignificare uidetur uerbū hebræum, quod cum erigere etiam ſignificet,ad ipſam hominis conditionem, & plaſmationem rectam,& ad cœlum tendentem referri poteſt:ut interpres quoq; noſter uertit, plaſmauit me. Inter enim alia munera,

quæ tributa ſunt homini, illud etiam numeratur, quòd recta corporis habitudine ſit formatus, cum animantia cætera ad terram prona, & uētri obedientia formata ſint. Solam (ait Philo) in terris cœleſtem plantam fecit hominem: cœterarum in terra defixit capita. cætera.n. plantæ humi caput defixum habent: at illud homini ſublime datū eſt, ut alimenta cœlitus incorruptibilia quærat, nō aūt terrena corruptioni obnoxia. Quapropter inſenſatisſimā (ut ita dicā) corporis noſtri partem, & longè à ratione ſecretam, pedes ſcilicet, quaſi radices ad terrā applicuit, mentē uerò, mentisq́; ſatellites ſenſus longè à terra iuſſit habitare, & ad ætheris, cœliq́; nunquàm interituros alligauit ambitus. Atq; in hanc ſententiam, idem Philo ait. Solus homo eximium ornatū ſortitus eſt. Cæterorum.n. animaliū ora deorſum flexit: quapropter ad terram prona ſunt. Hominem contrà erexit, ut cœlum ſpectet, cum cœleſtis ſit, non terreſtris planta. Cum itaq; Deum excellentis ſuæ cōditionis authorem agnoſcat, huic ſe totum deberi, ſibiq́; non terrena, ſed cœleſtia eſſe ſectanda exiſtimans iure in hunc modum precatur.

DA MIHI INTELLECTVM, VT DISCAM MANDATA TVA.

HIc finis eſt, ad quem Deus hominem condidit, nēpè (ut D. Auguſtinus ait) ut ſummū bonū intelligeret, intelligēdo amaret, amando poſſideret, poſſidēdo fru-

frueretur. Intelligi aũt, nec liquidius nec proprius põt Deus, quàm ex ſuæ ipſius legis ſtudio, et obſeruatione. Itaq; precatur, Da mihi intellectũ, ut diſcã mãdata tua. Tametſi.n. mẽs, qua familia, ciuitas, ciuiliaq; officia rectè inſtituantur, adminiſtranturq;, munus Dei uel maximũ ſit, quandoquidẽ recta huiuſmodi adminiſtratio ſine Dei cognitione eſſe non poſſit: pro hac tamen ſibi tribuenda hoc loco non poſtulat. At eã ſibi dari mentẽ precatur, qua diuina oracula percipi poſſint, & eorum cognitionem optimè calleat. De hac agit, & ſolicitus eſt. Hæc.n. non omnibus cõmunis eſt. Sermonem (inquit Trimegiſtus) ſingulis hominibus Deus impertiuit, mentem uerò nequaquã: quoniã uoluit eã ò filij in medium tanquàm certamen, premiumq; animarum proponere. Huiuſmodi itaq; mens aſſiduis precibus, & diuinæ legis ſtudio, & obſeruatione petenda eſt. Natura humana (teſte Iamblico) nec rationẽ, nec orationem de Dijs ſuſcipere poteſt ſine Dijs, ne dum diuina opera facere ſine illis poteſt. Eſt enim uſque adeo hebes, & imbecillis, ut nullum nullius ætatis ſuæ remedium habeat, niſi quandam diuini luminis portionem deſuper accendentem, ſine qua nihil à nobis diuinum fiat, ſuſcipiat. Hoc autem lumen petens Propheta, utitur uerbo בִּנֵנִי ſibi admodum familiari, quod non modò intelligere, ſed in rebus intellectis proficere ſignificat. Non enim ſat eſt diuina

uina intellexiſſe, niſi intelligenda quoq; tu diligas, & diligendo poſsideas, & poßidendo fruaris. Hanc itaq; intelligentiam, quæ hæc omnia ſecum ferat, poſtulat. Vt diſcam (inquit) mandata tua. Diſcit autem diuina mandata, qui animam ſimul, & corpus, et ipſum totum hominem ad diuinam legem, & doctrinam capeſcendam appulit, ut eam non intelligat tantùm, ſed etiam perficiat.

QVI TIMENT TE, VIDEBVNT ME, ET LAETABVNTVR. QVIA IN VERBA TVA SVPER SPERAVI.

PRædicit, quòd ſua huiuſmodi perſeuerãtia in ſtudio, & obſeruatione diuinæ legis futura ſit exemplo omnibus omniũ ætatum hominibus, ut ex eius contemplatione mirificam conſolationem percipiant, & ſuo exemplo ſeſe in eodem ſtudio, & obſeruatione confirment. Quaſi dicere uideatur. In me domine communis omnium piorum cauſa uertitur. Qualem te mihi præſtiteris, ueritate promiſſorum tuorum præcipuè nitentem, talem te quoque erga ſe futurum ſperant, ſi meas ſupplicis tui preces auerſatus fueris, ſe quoque deſtitutum iri arbitrabuntur. Expectant igitur iuſta donec retribuas mihi, ſi me exaudieris, & ij qui te expectant, non confundẽtur. Qui timẽt te, uidebũt me. &c. Verùm qui te oderunt, aut omnem uim diuinam

uinam tollunt. Qui prouidentiam tuam negant, nec propterea te timent, non uidebunt me, aut ſi uiderint contemnent. Qui, quoniam pietatis iter ignorant, tuã in me benignitatem ac liberalitatẽ nõ agnoſcent. Quibus ob ſtudium præcipuè pietatis, & diuinæ legis grauis ſum etiam ad uidendum. At qui timent te, qui uera pietate colunt, me libentiſſimo animo, placidisq́; oculis intuebuntur, & præſentem, & abſentem miro quodam amore amplexabuntur, quando illis nihil charius, nihil acceptius eſſe poteſt, quàm pij Dei cultores, & amici. Hæc uerò non de externo oculorum intuitu, aut de corporali tantùm præſentia ſunt intelligenda (per pauci ſiquidem & tantiſper illum uiderunt) ſed de animi ſui præſtãtia, mẽtis illuſtratione, fidei, ac ſpei firmitudine, ac charitatis magnitudine, ſingulariq́; diuinæ legis prudẽtia, & intelligẽtia sũt accipiẽda. Quæ cũ in eo sũma eſſet, quicũq; in omni ætate futuri ſunt, qui ea admirabuntur, amabunt, ſibiq́; imitanda proponẽt uerè pios, et Dei cultores ſe eſſe declarabũt. Quæ pietate .n. & Dei cognitione illos multum profeciſſe arbitrandum eſt, quibus Dauidis, aliorumq́; ſanctorum ſtudium diuinæ legis arriſerit, illudq́; ſibi faciliter ſectãdum eſſe propoſuerint. Nã ex hiſtoria, et ex lectione pſalmorũ præcipuè ea cognoſcere licebit, et ex cognitione ſummæ charitatis uis exardeſcit. Quo fiet, ut quandam Dauidis imaginem ſtudeant in

om-

omnibus ſuis actionibus repræſentare. Itaq; non paruos in pietate progreſſus feciſſe ſe ſentiant, quibuſcũq; pſalmorum lectio ualdè placuerit, & eorum ſtudio, & meditatione animum ſuum oblectauerint. Quandoquidem hoc eſt ipſum Dauidem uerè uidere, et lætari.

QVIA IN VERBA TVA SVPERSPERAVI.

E*Xempla Dauidis, nec non ſanctorum omnium uitam, eo nobis conſilio proponere debemus, ut ipſorum fidem, & pietatem æmulemur. Iccirco uidebunt (ait) me, ideſt, uitam meam omnem, & illius ducendæ rationem conſiderabunt, & in ſcriptis meis tanquàm in tabellà uirtutes mihi diuinitus conceſſas intuebuntur, ut eandem ipſi in ſua uocatione, & uita æmulentur. Si quidem et D. Paulus ad Hebræos ſcribens, Mementote (inquit) præpoſitorum ueſtrorum, qui uobis locuti ſunt uerbum Dei, quorum intuentes exitum cõuerſationis imitamini fidem. Hoc ipſum facturos omnes pios prædicit, qui ſuam ipſius conuerſationem, & fidẽ intuentes, animaduertenteſq́; quàm ſtabili, quãq́; inconcuſſa fide, ſpe, et charitate, in pietate, in diuino cultu, in ſtudio deniquè uerbi Dei perſtiterit, diſcent & ipſi eadem fide, & conſtantia in pietate, & ſtudio diuinæ legis perſeuerare, omnẽq́; ſpem, & fiduciã ſuã in Deo collocare, quãdo et eũdẽ percepturi ſint fructũ*

quem

quem hi perceperunt, quos imitantur: nam & eodem ipſi fundamento nituntur, ſcilicet uerbo Dei.

COGNOVI DOMINE QVIA AEQVITAS IVDICIA TVA, ET IN VERITATE TVA HVMILIASTI ME.

SVperiori uerſiculo ingenuè confeſſus eſt, ſe omnem ſuam fiduciam in uerbo Dei locatam habere. Nũc eiuſdem uerbi maximam ſe habere intelligentiam, & cognitionem fatetur. Cognoui (inquit) domine, quia æquitas iudicia tua. Iudicia Dei legem, & doctrinam, & eloquia ipſius appellat, quibus Deus ſuam nobis mentem, & ſententiam declarat, ſecundum quas aut damnat, aut iuſtificat. Hæc, inquàm, æquitatem ipſam, ſeu iuſtitiam eſſe cognoſcimus, quando non per legem quidem, neque per huiuſmodi doctrinam, ipſam iuſtitiam, & opera legis diſcimus, ſed fide, quæ eſt ex auditu, eam percipimus, & conſequimur, ut non tantùm uideamur hominibus per opera iuſti, ſed reuera per fidem & charitatem iuſti ſimus coram Deo. Hoc cognouiſſe, hoc didiciſſe, eſt in cognitione diuinæ legis profeciſſe. Qui enim uel nihil, uel parum cognitionis de diuina lege eſt conſecutus, hanc ipſam eſſe iuſtitiam non intelligit, quia per aſſiduum illius ſtudium id expertus non eſt, quod uir ſanctus ſe expertum fuiſſe declarat. Cognoui (inquit)

quia

quia &c. De cognitione .n. practica intelligit, quæ cum experientia coniuncta eſt. Hanc autem quomodo ſit aſſecutus, declarat.

ET IN VERITATE TVA HVMILIASTI ME.

NVlla alia re explorari melius diuinæ legis cognitio poteſt, quàm afflictionibus. Quemadmodum enim igne aurum, ſic diuina doctrina rebus aduerſis probatur, quando malis nequaquam cedit, ſed quaſi aurum ex igne magis eluceſcit, quicunq; ea ſit imbutus. Illud autem argumentum cœleſtis, & ueræ doctrinæ eſt, quando illius cauſa humiliamur, & affligimur, quando à mundo malè audimus, & peſſimè habemur. Qui cùm ſit caro, & ſanguis, non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus: cum ſit mēdax, non placet ei ueritas, ſed eam auerſatur, & ueritatis magiſtros inſectatur. Etſi itaque diuinæ legis cognitio ipſam ſecum afferat felicitatem, et beatitudinem apud Deum; illam tamē afflictio & perſecutio ſemper ſequitur. Qui .n. addit ſcientiam, addit & dolorem apud homines, apud quos ipſa ueritas odium parit. Verbum igitur ueritatis uerbum crucis eſt: nam illius amantes humiliantur, dum eos erudire conantur, qui uiam ueritatis ignorant; quemadmodum & Dauid ſe humiliatum, & afflictum in hac inuulganda ueritate fatetur. In ueritate (inquit) tua humiliaſti me. In ueritate .n. il-

illum affligi dicimus, qui pro tuenda ueritate multis afficitur incommodis. Qui autem eam ob rem patitur, is omnino beatus eſt. Patitur uerò in mendacio, & iniquitate, qui propter admiſſa ſcelera meritas luit pœnas. Porrò uox אמונה *quæ Veritatem ſonat, pro Fide etiam accipitur, & D. Hieronymus ita interpretatur: In fide autem affligit Deus, quando homines sãctos ſupra eorum uires affligi non permittit, ſed cum tentatione prouentum facit, & eos ab hoſtium poteſtate uindicat, iuxta illud, Sperauit in me, eripiam eum, & glorificabo eum.*

FIAT MISERICORDIA TVA, VT CONSOLETVR ME, SECVNDVM ELOQVIVM TVVM SERVO TVO.

MAgnificè de ſe ſuperius locutus eſt, nempè quòd Dei manibus formatus, & pſalmatus: quòdq; diuina mente donatus fuiſſet, qua diuina eloquia poſſet ediſcere: quòd illa cognouerit: quòd denique in illis ſuperſperauerit, & talem eorum guſtum percepe rit, ut ea ipſiſſimam eſſe iuſtitiam affirmarit. Quid itaque ei petendum ſupererat, niſi ut in præclariſſimis his, diuiniſq; muneribus ita conſeruetur, ſtabiliaturq;, ut ab eis nullis unquam afflictionibus, & malis excludatur. Illud igitur nunc petit, Fiat (inquit) miſericordia tua, ut conſoletur me, חסד *eſt ratio miſericordiæ, ait Rab. Moſes Aegyptius.*

tius. & eſt cum quis alicui tribuit ſecundum condignum, & beneficia confert, ac propterea pro ipſa Dei beneficentia uſurpatur, qua gratis mouetur, ut ſua in nos conferat munera. Hanc itaq; precatur ſibi perpetuò adeſſe, ſibi quietem, & conſolationē præſtare. Nulla enim in re alia magis conquieſcit animus, quàm ſi ſentiat Deum placatum, beneficum, & propitium ſibi adeſſe, ut ſe tueatur, defendat, et ſeruet ab omnibus malis ſibi imminentibus.

SECVNDVM ELOQVIVM TVVM SERVO TVO.

QVamuis Dei miſericordiam, ac beneficentiam hi ſoli experiantur, qui ſeſe in ſeruitutem illi dicarint, & ſe totos in diuinæ legis ſtudio, & obſeruatione occupauerint: non tamen ſecundum illorum merita, ſed ſecundum ſuum eloquium, & gratuitam remiſſionem illis eam impertit. Propterea quāuis multa, eaq; præclara merita haberet, ea tamē nequaq̄ reſpicit, ſed poſt terga relinquens, diuinam tantùm benignitatem ſpectat, & diuinam promiſſionem in conſpectu habet, eiuſq; ſolius reminiſcitur, eamq; loco meritorum omnium Deo offert. Singularem autem ſibi à Deo factam promiſſionem intelligit de Meſſia, qui ex illius lūbis proditurus erat: quam præſtari cupit, ut cum eo omnia pariter bene accipiat. Fiat (ait) miſericordia tua ſuper me, ut conſoletur me ſecundū eloquiū tuū.

VENIANT MIHI MISERATIONES TVAE, ET VIVAM. QVIA LEX TVA MEDITATIO MEA EST.

DIximus ſuperius חסד *Dei beneficentiam ſignificare, qua ſua in nos beneficia confert. De qua dixit. Fiat miſericordia tua, ut conſoletur me. &c. hic uerò diuinas miſerationes precatur; quæ* חסד *appellantur, quæ non propriè ſunt beneficia in ſe collata, ſed pientiſſimi potius, ac tenerrimi animi affectus; quibus ad aliorũ miſerias ſubleuandas cõmouemur. Non ſatis eſt Dauidi, quòd Deus ipsũ donis ſuis cumulet, ſed ut in ipſis donis ipsã Dei miſericordiã experiatur, et diuinæ charitatis affectũ ſentiat, precatur: quippe qui nõ contẽtus ſit cõmuni illa benignitate Dei, cuius uel impijſſimi homines participes ſunt, ſiquidẽ ſolẽ ſuũ oriri facit dominus ſuper bonos, et malos: ſed eã præcipuè benignitatem poſtulat, qua priuatim ſuos cõplectitur, quã aliàs ſibi polliceri uidetur, cum dicit. Abſcõdes me in abſcondito faciei, à cõturbatione hominũ. Alio nanq; modo in impios, et malos: alio in pios, et bonos benignus eſt. In illos ne bono naturæ, quod in ipſis creauit, deſit: in hos, quòd ex intimis uiſceribus eos diligat, quæ ſanè uiſcera ſibi aperiri, & uim amoris erga ſe emergere ſuppliciter petit. Hanc autem precationem ſe audiſſe Deus declarat, cũ in medijs calamitatibus, et miſerijs*

ſuorum ſuam charitatem demonſtrat, & per tribulationum caliginem, eorum pectus irradians ab iræ ad amoris ſenſum traducit, facitq́; ut uim charitatis experiantur, quæ nubibus malorũ obtegebatur: cuius ſenſu, animi eorum non ſecus ac Ioãnes matris utero clauſus, exultant, & reuiuiſcunt. Ideo ſubdit. Et uiuam. Quemadmodum enim is ipſe ſenſus diuinæ iræ miſerabilior eſt qua uis miſeria, & morte: ita ſenſus diuini amoris uita, ac ſumma felicitas eſt. Poſſunt autem hæc referri ad promisſionem de Mesſia, cum quo non miſericordiam, & beneficentiam tantum, ſed miſerationes quoq; Dei ſuſcepturi eramus, ut uerè lætari, & uiuere coràm Deo poſſemus. Qua autẽ ratione Deus ſua nobis pateſaciat uiſcera, ſuumq; adaperiat cor, ut coram illo uiuamus, declarat.

QVIA LEX TVA MEDITATIO MEA EST.

B*Ona ſpe ſuſtentabatur Dauidis animus fore aliquando, ut dulcisſimos hos diuini amoris affectus experiretur, quòd cœleſtis hæc philoſophia ita ſibi placeret, ut in ea totã animi cogitationẽ collocaret, proptea ait. Quia lex tua meditatio, ſeu uoluptas mea eſt, & unicum mentis delitium. Vox.n. hebraica (quod ſæpè iam monuimus) ſignificat ſumma animi uoluptate in re aliqua commorari. Qui igitur ſe totũ tradiderit ſtudio, et contẽplationi legis ex ore Dei prodeunti, hic*

demum diuinas miſerationes experietur. Huiuſmodi ſiquidem ſtudio aperitur iter ad ſacra illa diuinæ mentis penetralia, in quibus amoris faces nobis illuceſcũt.

CONFVNDANTVR SVPERBI, QVIA INIVSTE INIQVITATEM FECERVNT IN ME. EGO AVTEM EXERCEBOR IN MANDATIS TVIS.

SVperius octonario ſeptimo ſuper illud, Superbi iniqua agebant uſquequaq; declarauimus quoſnam propriè ſuperbos appellet, eos ſcilicet, qui ſibi tantũ tribuunt, & de ſua ſapientia, potentia, & iuſtitia ita ſublimè ſentiunt ut non modò cæteros præ ſe contemnãt, ſed ipſum ẽt uerbum Dei contemptui habeant. Itaq; ſecurè uiuunt, ut neq; confundi, neq; pœnitere neſciãt. Contra hos orat Propheta. Confundantur (inquit) ſuperbi. Hi contemptui habeantur, omniq́; dedecore afficiantur, eoq́; loco ſint, quo ipſi uerbum tuũ, & illius ſtudioſos eſſe uolunt: ut ſuis malis cæteri cautiores facti intelligant quanto in honore, quantoq́; in precio uerbũ tuum ſit habendum. Orat inſuper, ui ſuperbi confundantur. i. ſpe, et expectatione ſua fruſtrentur, et eorum conatus contra ſe irriti fiant, ne fortè quod in illum intentant, conſequentes, in ſua impietate confirmentur: & hac ratione ſe maiori ſupplicio dignos conſtituant. Quod ne illis eueniat, ut confundantur, et pudefiant, orat. Quales uerò fuerint eorũ conatus in ipſũ Dauidem declarat.

Quia iniquitatem fecerunt in me. Vnicum eſt uerbũ hebraicum עוות *.i. peruerterunt, uel iniquũ fecerunt me non certè ſi ipſum reſpicias Dauidem, ſed ſi ſuperbos illos ſpectes: qui (ut interpretatur Rab. Abram) uoluerunt illũ peruertere, & à recta uitæ ratione, atq; à ſtudio diuinæ legis auertere. Cuius uoti ut nũquàm compotes fiant, precatur. Iniquitatem inſuper fecerũt in Dauidem, illum ueluti iniquum difamantes, quos tunc pudefacit Deus, cum in caput ſuum illos mentitos fuiſſe declarat illi; pudefient & omni dedecore affi cientur coràm Deo, & hominibus qui cum per ſe diui næ legis ſtudioſi nõ ſint, illius ſtudioſos acerbiſſimo odio perſequũtur, & uti iniquos ꝑ omnium ora traducunt.*

EGO AVTEM EXERCEBOR IN MANDATIS TVIS.

QVemadmodum palma preſſa fit ualentior, & claui crebris ictibus altius figuntur: ita pij quò grauius premũtur ab impijs, ut diuinarum legũ ſtudium deſerant, eò magis in illo confirmantur, exercenturq́;. Tunc nanq; potiſſimum magnus exercendæ pietatis campus ſeſe aperit, dum ſcilicet oppreſſi prolixè orant, meditãtur attentius, ſapientius de diuina lege loquũtur, & in illa ſeſe exercent. Ideo dicit, exercebor in mã datis tuis.

Con-

CONVERTANTUR MIHI TIMENTES TE, ET QUI NOVERUNT TESTIMONIA TUA.

MOrum,& ſtudiorum ſimilitudo eſt amicitiæ conciliatrix. Immo(ait Cic.)ea eſt iucũdiſſima amicitia,quam morum ſimilitudo cõiunxit: nec ullum eſt certius amicitiæ uinculum,quàm conſenſus, & ſocietas conſiliorum, & uoluntatum. Quod ſi in humanis rebus ita eſt,multò iucundior, multòq; beatior eorum erit coniunctio,quorum ſtudia,conſilia, & cogitationes ex diuinæ legis ſtudio fiant communia. Hoc illud eſt,quod aliàs Propheta eum admiratione dicit. Ecce quàm bonum,et quàm iucundum,habitare fratres in unum. Nam maxima felicitatis pars eſt, cum huiuſmodi hominibus amicitia,& conſuetudine conglutinari: quippequi Deum piè,caſtèq; uenerantur,& colunt, & illius teſtimonia tota animorum cogitatione uerſant. Hi ſunt,quos ſibi coniunctos uelit dicens conuertantur mihi. Ex altera quoq; parte oſtendit,quàm uehementer ab eorum conſuetudine abhorreat, qui neque Deũ colant, & illius legem contemnant. Hos non ſibi,ſed contra ſe conuerſos ſentiebat,ac conſilia ineũtes,quibus ſe perderent,& è medio tollerẽt. Quales autẽ eos eſſe uelit, quibuscum uiuat,declarat. Cum iudicio.n.ſunt deligendi amici: nẽpè ſi tales ſint, qui Deũ timeant,et qui ſimul diuinarũ rerũ ſciẽtia,et cognitione præditi ſint. Nam ſi quis Deum colat,ſciẽtia uerò,

& cognitione rerum diuinarum careat, non tutò cum illo conſilia, & ſermones conferri poſſunt. Is autem zelum Dei quidem habet, ſed non ſecundum ſcientiam, & adhuc imperfectus eſt. Si uerò ſcientia, & cognitione rerum diuinarum polleat, at Dei metu careat, illũq́; in cordis ſimplicitate nõ colat, ſcientia illius inflat, isq́; priori illo eſt imperfectior. Propterea neq; cum eo tutò uerſari licet. Ille uerò perfectus dicitur, qui cum tutò omnia communicare poßis, cui ipſum animũ, & animi cogitationes omnes aperire non dubites, qui Deum timeat, & rerum diuinarum, & præſertim ſacrarum litterarum ſcientia ſit imbutus. de his itaq; dicit. Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt teſtimonia tua. Hi enim non theoricam, ſed practicã rerum diuinarum cognitionem habere dicuntur. Quibuscum uerſari ipſa felicitas eſt.

FIAT COR MEVM IMMACVLATVM IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS, VT NON CONFVNDAR.

MVlti ſunt, qui uitiato, et carnis cõcupiſcẽtijs corrupto animo accedũt ad ſtudiũ litterarũ ſanctarũ, & in illis ſcrutandis nõ certè pietatis ſtudio, ſed dãnanda quadã curioſitate occupantur. Hi pudefient, & ex huiuſmodi ſtudio nullũ fructũ, ſed maximũ potius detrimentũ referent. Illud nanq; his accidit, quod lumen ſolis lippis oculis intuẽtibus ſolet accidere. Tãtũ. n. abeſt ut illuſtrentur, ut multò magis excæcẽtur. Ab

Comparatio.

omni

omni itaque ſorde defecatus ſit illius animus oportet, qui in diuinis ſcrutandis cum fructu uerſari uelit. Petit itaq;, quod & aliàs petiuit: Cor mundum crea in me Deus. Vt cum fructu in huiuſmodi ſtudio occupetur. Nam ſi mens peccati tenebris fuerit circunfuſa, diuinæ bonitatis radios intueri non poterit, qui ex ſcripturis ſanctis purgatis mentibus eluceſcunt. Verùm quis poterit aliquando gloriari, ſe caſtum habere cor, quando per ſe nemo ſit innocens? Quòd ſi omnes, quorum cor peccati labe ſit infectũ, confunderentur: quis non confuſus abiret? Propterea animaduertẽdum eſt, Dauidem non abſolutè petere cor immaculatum, ſed addit, in iuſtificationibus tuis. Quamuis .n. deceat cor in omnibus eſſe immaculatum: in iuſtificationibus tamen .i. in ſcrutandis ſcripturis tale in primis eſſe conuenit. Nam ſi illud fuerit terrenorum bonorum concupiſcentia, aut malorum præſentium metu corruptum, ipſas quoq; diuinas leges corrumpet. Precatur itaque cor ſuum ita expurgari, ut cũ fructu uerſari poſſit in Epilog. *ſtudio diuinæ legis, ne fortè cum impijs, & huiuſmodi ſtudium aſpernantibus pari ſupplicio puniatur. Sentit .n. ſe ab ipſo Deo conditum, ut ſummum bonum ſtudio diuinæ legis intelligat, et in diuinis promiſsionibus in lege contentis ſpem omnẽ eſſe locãdã, ut his præſidijs firmatus animus aduerſa omnia facilè ferat, ut piè uiuat, & in æternum non confundatur.*

Caph. כ

HAEC Littera à propria figura curuum ſignificat. Curuus aũt pro humili accipitur. quandoquidem ille uerè humilis eſt, qui peccatorum ſuorum onere preſſus naturæ, & conditionis ſuæ imbecillitatem cõ
Bar. 2. ſiderat, iuxta illud Baruch. Anima, quæ triſtis eſt, ſuper magnitudine mali incedit curua. Propterea aliàs
Pſal. 37. de ſe ipſo ait Vates. Miſer factus ſum, & curuatus uſque in finem. Congruè autem poſt litteram Iod decimam, quæ perfectionem, innuit, Caph humilem, et curuum ſonans locatur. quia quicunq; in ſtudio litterarũ ſanctarum conſumatiſſimi ſunt, de ſe humillimè ſentiunt, ſuam imbecillitatem ſemper cogitant, et ſemper adoptionem filiorum Dei ingemiſcunt. Quod Dauidem facere uidemus hoc octonario cum dicit.

DEFECIT IN SALVTARE TVVM ANIMA MEA, ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI.

CVm & multis calamitatibus, et peccatorum ſuorum ſarcina onuſtus & curuatus incederet, ardẽtiſſimo animi deſiderio ſalutare Dei expetebat, expectabatq;. Quod ſanè deſiderium ſuum non ſemel aliàs
Pſal. 41. declarauit, ſed tunc præcipuè cum dixit. Quẽadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Hic aũt animã ſuã eo deſiderio incensã dicit, ut penè langueat, ac deficiat. Significat autẽ, hoc loquendi tropo, animã ſuã teneri maiori deſide

rio ſalutaris Dei, quã uita, cui illud anteferat. Cũ uerò dicit animã ſuã ſalutare Dei deſideraſſe, declarat ſuum huiuſmodi deſiderium nihil carnalis concupiſcẽtiæ habere cõmixtum, quod unius ſit carnis proprium, non autem animæ. Quod autẽ ſit hoc ſalutare ſupra octonario ſexto, ſuper illud. Et ueniat ſuper me miſericordia tua domine ſalutare tuum ſecũdum eloquium tuum. declarauimus, ipſum ſcilicet Meſſiam eſſe, qui antonomaſticè ſalus, ſiue ſalutare in ſcripturis ſanctis appellatur, quòd ab ipſo, et per ipſũ ad nos quæcunq; ſalus à quacunq; pernicie proficiſcatur. Ideo autem tam ardenter hoc ipſum Dei ſalutare expectabat, quòd ab illo uno tanta peccatorum ſarcina ſe leuandum intelligeret, quippe qui in ſuos humeros grauiſſimum peccati onus eſſet reclinaturus. At interim quandiu prorogabatur Meſſiæ aduentus, quo ſe adminiculo ſuſtentaret, ita declarat.

ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI.

VErbum hebraicum יחל quod interpres hic, & ſuperiore octonario, & ubiq; ferè ſuperſperare uertit, D. Hieronymus expectare interpretatur. i. Verbũ tuum expectaui. Expectat aũt uerbum, qui firma cõſtãtiq; ſpe effectum diuinarum promiſſionum, et ipſarum impletionem expectat, quam quidem ſpei firmitudinẽ et cõſtãtiam exprimẽs interpres ſuperſperaui uertit.

Su-

Supſperat nanq; qui cum Abrahamo in ſpẽ cõtra ſpẽ credit, qui Dei promisſionem contra oẽm contrarium euẽtum certisſimam, ac firmiſsimam retinet. Hoc .n. eſt ſuperſperare, cùm quis tunc ſperat, quando potius deſperandum eſſe uideret, ut Abraham fecit, qui ex Iſaco mortuo ſemen ſibi à Deo ſuſcitandum non dubitauit. Verbum autem, ſeu promiſsionem, quam expectabat Dauid erat Meſsiæ expectatio, qui eſſet ex ſua poſteritate oriundus, & ſui regni, cui iam fuerat inauguratus, confirmatio. Quas quidem promiſsiones manibus pedibusq́; retinuit, quamuis multa acciderent, quæ illas omnino irritas fore oſtenderent.

DEFECERVNT OCVLI MEI IN ELOQVIVM TVVM DICENTES QVANDO CONSOLABERIS ME.

QVoniam oculi (ut ait Cic.) ſunt, quorum tùm intentione, tum remiſsione, tùm coniectu, tum hilaritate motus animorum ſignificamus: Vates uehementiſsimo ſe flagrare amore uerbi Dei ſignificat, quòd in eo ſcrutando ſuos oculos nimia intentione defeciſſe dicit. Quod idem eſt, ac ſi diceret. Sic animi affectus, & mẽtis aciem in ſtudio cœleſtis philoſophiæ fixi, ò Deus, ut aliò me conuertere omnino non poſsim. Verũ etenim illud eſt, ut qui mentis acie pulchritudinẽ diuinæ legis perſpexerit, & illius ſuauitatem deguſtauerit, non poſſit aliquando ab ea diſcedere, & illius amore & deſiderio

rio non tabeſcere. quandoquidem ipſe Deus in illa & uidetur, & ſentitur, quod eſt ipſa felicitas.

QVANDO CONSOLABERIS ME?

MAximum quidem? et incomparabile ſolatium afſert afflictis animis ſtudium diuinæ legis, eorum tamē animi gaudiū longè ab ea perfectione abeſt, quā aſſequentur, cū illud, quod fide, et ſpe uerbo cōcepta expectant, reipſa ſibi præſtabitur. Interea ingemiſcūt, & promiſſorū impletionē ardētiſſimè cupiūt. Ideo cū Dauide dicunt. Quādo conſolaberis me? Superius octonario ſeptimo dixit. Memor fui iudiciorū tuorū, & cōſolatus ſum. Cur uerò qui conſolationē accepit, adhuc cōſolationē deſiderat? Varia, multiplex, & reciproca eſt uitæ huius harmonia, ut lira, & arcus. In rebus humanis nihil eſt ſimplex, nihil ſincerū, ſed ut muſica ſonis acutis, & grauibus conſtat, ita uita mortaliū uarijs rerū euentibus conſtat. Verū quemadmodū muſicis utentes inſtrumentis, id agunt, ne chordæ nimis intētæ, aut nimis remiſſæ ſint, ſed eas ita temperant, quantū ſit ſatis ad dulcē ſonum eliciēdū: ita Deus nobiſcum modò ſeuerè, modò remiſſe agit, atq; noſtros animos ita moderatur, ut ſui deſiderium in nobis eliciat, ut illa demū uox noſtris ex cordibus erūpat, qua magnopere delectatur Deus, ea ſcilicet, Quādo conſolaberis me? Non eſt itaq; mirū, ſi Propheta paulò ante recreatus mox affligatur,

gatur, & afflictus uerbi conſolationem exoptat. Quæ tamen ſi conferatur cum ea, quam ex præſentia Dei habituri ſumus, afflictio potius, quàm conſolatio dicẽda eſt. Ab hac itaq; oculos, atq; animum auertens illam ſpectat, illam ſuſpirat cõſumatam ſcilicet, et perfectam, quando nõ amplius in ſpeculo, et enigmate, ſed reuelata facie liceat nudam ueritatem contemplari.

QVIA FACTVS SVM SICVT VTER IN PRVINA: IVSTIFICATIONES TVAS NON SVM OBLITVS.

Metaphoricè deſcribit afflictionẽ animi ſui, ſuãq; perſeuerantiam in ſtudio uerbi Dei, dum utri ad fumum, ſeu ad pruinam appẽſo ſeſe cõparat. Nam קיטור *eſt uapor, qui è terra inſtar fumi aſcendẽs deſiccat, et uaſtat ut pruina. Afflictiones. i. et perſecutiones nec non mala omnia, quæ in mortali hac uita patimur, fumo, & pruinæ comparat: quæ quamuis exiccent, & uaſtent, non tamen omnino perdunt, aut è loco mouent utrem appenſum, ſed ille magis dureſcit. Ita & Vates erat uerbo Dei addictus, ut quamuis fumo, & pruinæ calamitatum uexetur, à ſuo tamen ſtudio ne dimoueatur, ſed ab eo ueluti ex firmiſsimo paxillo pendens licet huc, atque illuc iactetur, nunquam decidat. D. Hieronymus ita tranſtulit. Cum eſſem ſicut uter in pruina, Iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Ideo autem fumo, & pruinæ*

Va-

Vates ſua mala comparat, quia leuiſſima, & momentanea inſtar fumi, ac pruinæ ſunt, nec admodum altè aſcendunt, ſed citiſſimè euaneſcunt. Et quamuis moleſtiam aliquam pariant, non tamen eò impellũt Dei hominem, ut diuinam legem obliuiſcatur, & deſerat, quin facilius eſt, ut ſuipſius obliuiſcatur, libentiusq́ animam profundat, quàm ut diuinã legem dimittat. Hac quoq; metaphora carnis ſuæ mortificationem declarat, dum ſeſe utri omni humore deſtituto, & à fumo exiccato comparat. Ita.n.mundo, & carnis concupiſcentijs ſe omnino mortuum declarat.

QVOT SVNT DIES SERVI TVI? QVANDO FACIES DE PERSEQVENTIBVS ME IVDICIVM?

Mala, quibus continenter mortalis noſtra hæc uita premitur, inſtar ſtimulorum ſunt, quibus ad immortalis, cæleſtis, beatiſſimæq́ uitæ cupiditatem impellimur: cuius expectatione fit, ut quicquid in terris malorum ingruit, facilè ſuperemus. Propterea pius quiſq; ex hac uita tanquàm ex teterrimo, ac pleniſſimo miſeriarum carcere in libertatem gloriæ filiorum Dei euolare cupit. Et licet mortalis hæc uita æui breuis ſit, huius tamen tædio affecti de ipſius longinquitate cõquerũtur, dicuntq́ cum Dauide. Hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Et rurſus. Quot ſunt dies ſerui tui? Hoc unum certè bonum pij conſequun

tur

tur à malis, quòd afflicti amore, & deſiderio futuræ ui tæ tenentur, ac propterea optimè philoſophari diſcunt: cum philoſophia nihil ſit aliud, quam mortis commen tatio. In hac tota animi cogitatione uerſabatur Dauid, ingemiſcensq́; & uitam, quæ de cœlo eſt, ſuper indui cupiens aiebat. Quot ſunt dies ſerui tui? Quaſi diceret. Quantum mihi temporis ſupereſt, cum duriſsimo ſeruitutis iugo excuſſo, libertatem illã adipiſcar, quæ me in cœlis manet? Quãdo nullo interpellatus pec cato ſibi in ſanctitate, ac iuſtitia ſeruiam? Hac autem ſententia teſtatur noſtram uitam certo dierum nume ro conſtitutam, qui tamen numerus nos penitus latet: at cum expletus fuerit, tunc illam uitam uiuemus, quæ nullo dierum numero, ſed ipſa æternitate concluditur.

QVANDO FACIES DE PERSEQVENTIBVS ME IVDICIVM.

DVo his uerbis petere uidetur, exitum ſcilicet diui narum promiſsionum, et ultionem inimicorum le gem Dei perſequentium. Idq́; nõ propterea petit, quòd diuinæ ueritati diffidat, aut quòd odio inſectetur hoſtes ſuos, ſed potius cupiditate incredibili gloriæ Dei illuſtrandæ, ut appareat Deum, pro pijs ſtare aduerſus impios. Hoſtes aũt ſuos appellat Saulẽ, & ſuperbos illos populi primores, neq; ob id, quòd ſibi priuatim incõmo

dare

dare niterentur, ſed potius quod diuinā legem, non modò reijcerent, ſed ipſam, ipſiusq́ cultorem, et amantem publici pietatis hoſtes inſectarētur. Non ſua itaq;, ſed potius uerbi Dei, cultusq́ ipſius cauſa hos habet pro inimicis, eaq́ de cauſa iudicium Dei extare poſtulat. Quando (inquit) facies de perſequentibus me iudicium? Sciebat Vates illud eſſe conſilium Dei, ut ſuperbum Saulem è regio throno deturbaret, illumq́ omnibus diuinæ legis contemptoribus pro formidabili, tremendoq́ exemplo exponeret: & rurſus intelligebat ſe pietatis, & doctrinæ cœleſtis cultorem in regiam maieſtatem euehendum, futurum exemplo omnibus, quicunq́ ſua ueſtigia ſecuti fuerint, & diuinam legem adamarint, quo diſcant in diuino huiuſmodi ſtudio ita uerſari, ut nulla ui ab eo auellantur, ſed felicem diuinorum promiſſorum euentum patienter expectent. Vt igitur Deus iudicium ſuum in impios exerceat, precatur, ut pietatis amantes abiecto Saule, & Dauide euecto, in ſuo propoſito confirmentur. Verùm quoniam non ſubitò plectitur quis, cum peccauit, ſed Deus patienter expectat, & pro ſua benignitate ad pœnitentiam inuitat, interim uidetur Deus iudicium non facere, quod à diuina iuſtitia uidetur alienum: cum præſertim impij diuina clementia, diuinaq́ patientia abutantur, ac deteriores fiant. Vbi eſt (aiunt) uerbū domini? ueniat nunc. Quòd cùm

ini-

iniquiſſimo animo ferant pij, Dei iudicium efflagitãt in ipſos hoſtes Dei. Quod tunc demum exercet Deus, cùm debitas illis pœnas infligit, ac propterea iuſtum ſe iudicẽ declarat, qui reddat unicuiq; ſecundum opera ſua.

NARRAVERVNT MIHI INIQVI FABVLATIONES, SED NON VT LEX TVA.

D*Iuus Hieronymus ad hebraicam ueritatem uertit. Foderunt mihi ſuperbi foueas, quæ non erant iuxta legem tuam. Sed cum interpres metaphoram, et Vatis ſenſum aperire uoluerit, maluit uertere, Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, q̃, Foderunt mihi foueas.* עותובי *ſiquidem ſi Smol punctetur, Foueas; ſi uerò Iamim, Sermones uafros, captioſos, & ſubdolos ſignificat. qui quidem ſermones rectè profundiſſimæ foueæ, & ad inſidias effoſſæ comparantur: quãdoquidem impij fucata, phalerataq́; ſua doctrina mergunt homines* Pro 22. *in interitum. os impij (inquit Salomon) fouea profunda. Verborum nanq; lenocinio incautos decipiunt, & loquendo foueas facere uidentur, in quas pios, ipſamq́; pietatem detrudant. Quod loquuntur, quod docent, ſpecie quadam ueritatis adumbrant, idq́; malè cautis pro ueritate obtrudunt. vt igitur finitimum eſt uirtuti uitium, religioni ſuperſtitio: ita ueritati mendaciũ. Narrauerunt, ait, iniqui fabulationes. mihi, inquam, ſurdo, minimèq́; eas audienti, ſed potius deridenti, im-*

mo quaſi ſerpentis ſibila declinanti. Superbos autem populi maiores uocat: qui opibus, ſapientia, & potentia cæteros ſuperant. Quamuis n. ſuperbia (ait ſapientiſsimus Philo) ſæpe naſcitur etiam in contemptis, & obſcuris hominibus, ſicut cæteræ per turbationes, & ægritudines: creſcere tamen non poteſt, quia quaſi ignis abſq; fomento deficit, Ad magnates autem demigrat, quibus largæ opes, honoresq́; ſuppetunt: qui inſana opinione inflati non tam uiros, aut heroes, quàm genium quendam ſeſe eſſe exiſtimant: incedunt ſummis pedũ digitis, ceruicem in equi morem erigentes, attollẽtesq́; ſeſe ſupra naturæ modulum: nec aliquem niſi obliquè intuentur, nec aliter audiunt, quàm quaſi non audientes, Famulis pro iumentis utuntur: ingenuis uerò pro mancipijs: cognatis item pro alienis: amicis pro adulatoribus: ciuibus pro exteris: Arbitrantur ſe omnium ditiſsimos, nobiliſsimos, pulcherrimos, fortiſsimos, prudentiſsimos, temperatiſsimos, iuſtiſsimos; alios uero habent pro pauperibus, obſcuris, contemptis, imprudentibus, iniuſtis, inſipientibus, piacularibus, nihiliq́; homũcionibus. Meritò igitur qui huiuſmodi ſunt, ad Dei iudicium relegantur Prophetæ ſentẽtia. Hæc ille. Quæ uolui hoc loco reponere, ut ſuperborum imaginem à ſapientiſsimo uiro peniculo, & puriſsimis coloribus expreſſam liceat intueri, Qui licet principem locum in populo Dei obtinerent, eò tamen amentiæ proceſſerũt,

ut non modò pietatem, quæ huius populi propria erat, depoſuerant, ſed omnem prorſus humanitatem exuerant, & in barbararum gentium mores degenerauerant. Hi fortaſſe Græcorum diſciplinas, lege Dei contempta, ſectabantur, ut uidere eſt etiam libro primo Machabæorum cap. i. Hi cum in morum, & ſtudiorũ ſuorum ſocietatem allicere Dauidem conarentur, ille reſiliebat, & commẽdata diuina lege, eorũ diſciplinas aſpernabatur, eas fabellas, uel potius foueas appellans.

SED NON VT LEX TVA.

ANtitheſim facit diuinæ legis, & humanarum diſciplinarum. Has ille foueas profundas inſidijs paratas, ridiculas fabellas, nihil ueri habentes, ſed ſubdolas, ac deceptrices appellat. Diuinam uerò legem nullo modo poſſet expreſſius deſcribere, quàm à ratione contraria, nempè, quòd non ſit, quòd humanæ diſciplinæ ſunt. Non eſt fouea in interitum abſorbens, ſed mons ad Deum eleuans: non fabula, ſed ipſiſſima ueritas: nõ lenocinijs decipiens, ſed uera docens. Non itaq; fabulationes eorum ut lex tua. Hac autem comparatione docet alias diſciplinas diuinæ legis ueritate aut comprobandas, aut reijciendas eſſe. Quicquid enim non eſt ſecundum legem Dei, id pro fouea, aut ſaltem pro fabula habendum. Non ſine cauſa (ait D. Auguſtinus) tam ſalubri uigilantia canon eccleſiaſticus eſt conſtitutus,

tutus,

tutus, ad quem certi Prophetarum, & Apoſtolorum libri pertineant, quos omnino iudicare non audemus, et ſecundum quos de cæteris litteris uel fidelium, uel infidelium libere iudicemus.

OMNIA MANDATA TVA VERITAS; INIQVI PERSECVTI SVNT ME ADIVVA ME.

SVperiori uerſiculo per confutationem, quid non ſit lex, docuit. Nunc uerò per confirmationem, quid illa ſit, declarat, nempè ueritas ipſa, qua nihil eſt Deo ſimilius. Ideo ſe Chriſtus ueritatem appellauit. Hanc Plato ipſum pulchrum ſtabile eſſe dixit, quo omnia quæcunq; pulchra ſunt, pulchra fiunt, quod animos noſtros maximè mouet, & delectat, & delectando rapit, & diuino amore incendit. Diuinam itaq; legem ipsã ueritatem eſſe, affirmat Vates, quæ nos in ueram Dei cognitionem adducit: ad quam quacunq; alia aggreſſus fueris uia, peruenire, facilè aberrabis, niſi te ad huius doctrinæ ductum applicueris: quandoquidem non tenebris, ſed lumine lumen inquirimus. Doctrina hæc autem lux eſt, & in ea tenebræ non ſunt ullæ, neq; erroris, neque mendacii. Humanæ uerò diſciplinæ ſi ueri quid habent, multò plus falſitatis habent admixtum. At quicquid diuina lex habet, ueritatis plenum eſt: quicquid præcipit, quicquid pollicetur, quicquid deniq; minatur, non impoſtura, non fallacia, aut

fabula eſt, ſed ipſiſſima ueritas, qua nihil pulchrius, nihil firmius, aut ſtabilius eſſe poteſt.

INIQVI PERSECVTI SVNT ME. ADIVVA.

SApientiſſimus ille Mercurius, ſi qui (ait) Dei cognitioni ſe dedicant, nec ipſi uulgo placent, nec uulgus ipſis, inſanire demum putantur, riſumq́ reportāt, interdum etiam odio habentur, contumelijs afficiuntur, uitaq́ priuantur. Improbitatem.n. hinc habitare diximus, terramq́ illius eſſe prouinciam. Quum itaq; Vates longè alia, quàm quæ uulgi ſtudia ſunt, ſectaretur, nempè diuinæ legis, inuiſum ſeſe reddebat omnibus. Nulla ſiquidem ſocietas, nullaq́ concordia eſſe poteſt, ubi nulla ſtudiorum ſit ſimilitudo. Itaq; Iniqui, ait, uel (ut hebraica lectio habet) iniquè perſecuti me. Sed quando non alij, quàm iniqui bonos perſequantur interpres iniqui pro iniquè reddidit. Hac.n. in re iniqui ſuam iniquitatem produnt, quòd bonos nulla alia de cauſa perſequātur, quàm quòd pietatem colant, & ſpretis fabellis ueritatis ſtudioſi ſint, contra quos cum ſe nulla ratione ſtare poſſe certò ſciant, Dei opem implorant, ut in percepta ueritate perſiſtere poſſint. Animi uerò ſui pietatem in hac præcipuè re declarant, quòd ſuis diffiſi uiribus ſuas omnes ſpes, omnemq́ fiduciam in ope Dei collocant. Ideo Vates Adiuua (inquit) me. Nam ſinè illius ope ſi quis ſentiat nihil ſe boni præſta-

re

re poſſe, is maximè ueritatis eſt cultor.

PAVLOMINVS CONSVMAVERVNT ME IN TERRA. EGO AVTEM NON DERELIQVI MANDATA TVA.

GRauiſſimo malorũ põdere premebatur Vates, qui uix animã in corpore retineret: quod utri ad fumũ appenſo ſe cõparans ſignificanter oſtẽdit. Nũc rurſus ſeſe improborũ ui ita exagitatũ dicit, ut parũ abfuerit, quin extremũ ſpiritũ exhalarit. Quod ne fieret diuina uirtute eſt factũ. Paulominus conſumauerunt me in terra. Pii profectò ſi impiis comparentur, tanto illis imbecilliores ſunt, quanto ouiculæ lupis, aut quanto agni leonibus. Quod uerò non diſcerpãtur, & à potẽtioribus dilanientur, diuinæ prouidentiæ eſt attribuendum, quæ illorum improbitatẽ, atq; truculentiam pro ſuo arbitrio excitat, & reprimit, & in piorũ cõmodũ moderatur. Propterea fatetur Dauid ſe quidem plurima mala ab impiis hominibus pertuliſſe, ſed nihilominus ſe abſorbtũ non fuiſſe, quãuis illi auidè ipsũ appeterent. Quòd ſi aliquoties piorũ ſanguine ſuã explere cupiditatem ipſis contingat, in mortali tantũ hac uita, atq; in terrenis rebus permiſſum eſt. In exiliũ quidem mittere, terrenis bonis priuare, uita deniq; ipſa ſpoliare pios impii poſſunt: at quo minus cœli ciues, cœleſtiũ bonorum participes, & ſempiternæ, beatæq; uitæ hæredes ſint, nullo pacto poſſunt efficere. Nolite (ait do-

minus) timere eos, qui corpus poſſunt occidere, animã uerò non poſſunt. In terrenis quidem rebus quãdam tenere poteſtatem impij uidentur: at in cœleſtibus nullum ius illis relictum eſt. Ait itaq;. Conſumauerunt me in terra.

EGO AVTEM NON DERELIQVI MANDATA TVA.

L*Icet ſumma malorum uarietate iactaretur Pſaltes, licet bonorum terrenorum, uitæ, ac nominis detrimenta pateretur, tamen extra diuinæ legis lineã abduci non poterat. Ego (ait) non dereliqui mandata tua. Habeãt, perdant, ſumãt, conſumãt impij terrenas meas opes, uel ipſum meum corpus conterant, famam nominis mei obſcurent: ego hæc omnia illis permitto, modò uerbum tuum retinere poßim. Si hæ mihi reliquiæ maneant, ſatis diues, ſatisq́ beatus uiuam. Has mihi diuitias auferri nullo pacto paſſurus ſum. quandoquidem hoc eſſet ſe omnibus bonis priuari, & ueris malis obijcere.*

SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM VIVIFICA ME, ET CVSTODIAM TESTIMONIA ORIS TVI.

I*Ampridem ſenſerat, ſeſe tũ anima, tũ corpore mortuum: Anima, propter ſuũ, & parentũ ſuorũ peccatum, iuxta illud. Ecce in iniquitatibus cõceptus ſum, et in peccatis concepit me mater mea. Corpore autem*

ob plurimas,grauiſſimaſq; afflictiones. Ab utraq; igitur ſe morte eripi,et utraq; ſe uiuificari uita poſtulat, Vita animæ,ſcilicet per peccati condonationem,ac diuinæ benignitatis largitionem:Vita uerò corporis,per malorum liberationem,& quietis,paciſq; diu ſibi promiſſæ conceſſionem.Hoc illud itaq; eſt,quod dicit. Secundum miſericordiam tuam uiuifica me. Nouerat & animæ,& corporis uitam diuino munere nobis contingere. Propterea quamuis præclara haberet merita, ijs tamen nequaquàm fretus, ſed diuinam tantum miſericordiam fixo intuitu reſpiciens, ſe uiuificari poſtulat,unicumq; ſuum meritum diuinam miſericordiam conſtituit, ſuæ iuſtitiæ oblitus. Hoc unum eſt medium, quod ad omnia impetranda à Deo nobis eſt arripiendum,ut ſcilicet nobiſcum agat ſecundum miſericordiam ſuam.

ET CVSTODIAM TESTIMONIA ORIS TVI.

NOn propterea uitæ cupidus eſt, ut mundi bonis perfruatur,ſed ut oris Dei teſtimonia cuſtodiat. Nulla res erat,quæ ipſum ad uiuēdum inuitaret, niſi ſtudium & obſeruatio diuinæ legis; qua ſine, uita hæc mors potius dicenda eſt. Nam totius felicitatis ſūma in ea poſita eſt. Quòd ſiquis fortè obijciat. Vt quid Pſaltes hic cupit uiuere, ut cuſtodiat teſtimonia oris Dei: cum id melius præſtari in futura uita poſſit?

Huic reſpondendum eſt, genus quoddã infelicitatis, ac miſeriæ eſſe abſq; illorum obſeruatione, & ſtudio uixiſſe, immo non uixiſſe eſt. Nam quamuis uiuere uideantur, re tamen uera mortui ſunt, & mortis mancipia. Nam legem ſuam negligentibus Deus interminatus eſt mortem, in illius uerò obſeruatione uitam nobis propoſuit. Vt itaque hic quoq; uiuat, teſtimonia oris Dei obſeruare cupit. quandoquidem ex illorum obſeruatione uera uita exhauritur. Quicquid autem diuina ſcriptura habet, mandat, & ſtatuit, id os domini appellatur. Non enim uoluntate humana ſed Dei inſtinctu allata eſt ſcriptura ſacra, quæ nobis de ipſa Dei uoluntate, & mentis conceptu teſtatur: ac propterea teſtimonia oris Dei appellatur, ad quam, uti ad certiſſimum Dei oraculum conſulendum adeamus, per quã cum Deo colloquamur, & diuinitatis participes effecti beatiſſimi in omnes ſæculorũ ætates uiuamus. Amẽ.

Lamed. ל.

L *AMED, & doctrina, & ipſo etiã uſu quippiã didiciſſe, & expertũ fuiſſe ſignificat. Non.n. ſatis eſt, ꝙ quis diuinam legẽ memoriter teneat, niſi precatione, meditatione, & exercitatione in ea ita ſeſe exercuerit, ut non peritus tantùm, ſed et practicus in ea ſit. Practicum autem in diuina lege illum exiſtima-*

ſtimabimus, qui tùm in ſe ipſo, tùm in rebus omnibus uim diuinam ſentit. Quod hoc octonario de ſe teſtatur Pſaltes.

IN AETERNVM DOMINE VERBVM TVVM PERMANET IN COELO.

VErbi Dei æternitas, & firmitudo hoc octonario canitur ab ipſo Dauide, utpotè qui eam tum ex cœli, terræq; conſideratione, tum ſui ipſius experientia didicerat. De cœlis, ac cœleſtibus rebus ait. In æternũ uerbum tuum domine permanet in cœlis, omnia.n. in ipſo uerbo erant, antequàm in proprias formas explicarentur. Verbo autem domini cœli creati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum. Iccirco D. Auguſtinus ait. Nihil creatum fuit, nec ante tempora productum, quod non in Dei uerbo patri coæterno coæterna uita uiueret. Ideo ſcriptura priuſquàm inſinuaret unamquamque creaturam ex ordine, quo condita ſunt, de ipſo Dei uerbo mentionem faciens ait. Dixit Deus, fiat, & factum eſt ita. Permanet itaque Dei uerbum in cœlo nedum illud in propriam formã explicans, ſed in ſuamet natura conſeruans. Eſt enim Dei uerbum mens, & anima illa omnia uiuificans, omnia portans, & ſuſtinens. O fili (inquit Hermes) arcanum eſt ſapientiæ uerbum ſanctum ſancti ſolius omnium domini: quod effari: ſupra hominem eſt, quia Hermes.

ab

ab ipſo homo, & omnia, et in ipſo omnia. Permanere autem ideo dicitur Dei uerbum in cœlo, quia illud eſt, uelut axis, circa quem ipſi cœli rotantur, uoluuntur, mutanturq́. Ipſum uerò idem ſemper eſt, & non mutatur. Omne, quod mouetur (ait Mercurius ad Eſculapium) non in moto, ſed in quodam ſtabili mouetur. Ipſum quoque, quod mouet, etiam permanet. Hoc eſt itaque Dei uerbum, quod in æternum manens eoſdem cœlos eadem, qua creati ſunt uirtute præditos nobis refert. Ex ipſo igitur perpetuo cœlorum ſtatu quanta ſit uerbi Dei uis & conſtantia, colligi poteſt: quando ipſi illius uirtute conſiſtant. Niſi enim diuina uerbi uirtute ſuſtinerentur, iamdiu collapſi fuiſſent, aut collaberentur, & ad nihilum redigerentur. Dei itaque uerbum non inanis eſt res, uti hominis uerbum, ſed firmiſsimum, uirtute pleniſsimum, efficaciſsimum deniq; ad quodcunq; illud miſerit dominus, et à quocunq; ſubiecto ſuſcipiatur. Nam ſi cœli illud ſuſcipientes incorruptibilitate, & perpetuitate donati ſunt: illud quoque omnes conſequentur, quicunque in corde bono, & perfecto illud ſuſceperint. Ipsũ deniq; uerbũ ipſis cœlis antiquius eſſe declarat, ac propterea diuinius. Quod.n. melius (ait Plato) illud & antiquius, atq; diuinius eſt, id inferiore, & uiliore prius eſt: & ſimiliter dux ducto, & princeps ſubiecto natura prior. Cum igitur prius fuerit uer-

Mercur.

bum

bum(prius enim dixit Deus. Et Verbum erat apud Deum, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt)rebus omnibus à Deo conditis eſt excellentius, & diuinius.Cœli quidem tranſibunt, ac terra, Verbum autem domini manet in æternum.

IN GENERATIONE, ET GENERATIONE VERITAS TVA. FVNDASTI TERRAM, ET PERMANET.

QVod præcedenti uerſiculo de præſtantia,& uirtute uerbi Dei docuit Pſaltes, id nũc terræ ſtatu, & firmitudine etiam confirmat.Ipſum Dei uerbũm, legemq́;,& doctrinam Dei ueritatem appellat, his adductus rationibus, de quibus ſupra, ſuper illud. omnia mandata tua ueritas, & dictum eſt. Veritatem autem in omnibus generationibus ſemper extitiſſe dicit.Nullum ſiquidem tempus,nullum ſæculum nullam denique generationem præterire uoluit Deus, quam ueritatis ſuæ cognitione non donauerit, & ſeſe illi non reuelauerit. Quæ quidem tempora, ſæcula, & generationes & ſi mutate ſunt, & aliæ præterierint, aliæ uenerint: ipſa tamen Dei ueritas immutata non eſt, ſed eadem ſemper extitit. Et quæ una re declaratum eſt, Dei uerbum, Dei doctrinam, & legem uerè diuinam eſſe, quando ipſius Dei naturam ſapiat, qui ſemper, idem eſt, & mutari non poteſt, licet cætera omnia mutentur.

Quæ

Quæ autem ſit ueritas, ex hoc quoq; intelligitur, quod à generatione in generationem emanet. Mendacium ſemper poſterius eſt ueritate, nec diu ſtare poteſt. Veritas uero à generatione in generationem propagatur. Patres enim illam à Deo acceptam, filijs ſuis reliquere, & filij poſteris de manu (quod aiunt,) in manū tradiderunt, ut in generatione, & generatione ſit ueritas Dei.

FVNDASTI TERRAM, ET PERMANET.

CVm terra ſit mundi centrum perpetuò fixum, ac immobile exiſtens, illud uerbi Dei immobilitatē, & ſtabilitatem nobis demonſtrat. Verbo.n. ſuo Deus illam fundauit, eodemq; ut ea conſiſtat, facit. Id quod etiam Plato in Phedone ſe ſenſiſſe demonſtrat. Quorundam nanque ignorantiam arguens ait. Non nulli uertiginem circumponentes terræ ſub cœlo eam inſtabilem faciunt. Hi fuerunt Heraclides Ponticus & Ecphantus Pytagoreus, qui terrā inſtar rotæ cardine ſuo nixā ab occaſu ad exortū circa eum uolui dixerunt. Alij uerò tanquam latum piſtoris alueum aere uelut baſe ſuffulciunt. Potentiā uerò ipſam, qua nunc ita diſpoſita ſit, ut optime diſponi poterat, neq; perquirunt, neq; dæmonicam quandam habere uim putant. Sed Athlātem quēdam robuſtiorem, et immortaliorē magisq; omnia cōtinentē inueniſſe ſe opinantur: ipſū au-

autem bonum, atq; decens connectere, atq; continere re uera nihil exiſtimant. Fatetur itaq; Plato terram Dęmoniaca.i.diuina quadam uirtute ſuſtentari, & contineri. quemadmodum & Pſaltes affirmat. Fundaſti (inquit) terram, & permanet, quia in ea uerbum tuum permanet. ſignificat autẽ illud eſſe proprium uerbi Dei, ut quod ſemel ſtatuit, nullis omnino rationibus infirmari poßit, quodq́; ſemel decreuit, id omnino futurum eſſe. Quando itaq; imbecillus noſter animus de ueritate, & fide uerbi Dei ueretur: cœlorum, terræq́; exemplo trabali clauo eſt confirmandus. Quemadmodum.n. cœlum, & terra uerbo Dei nixa ſtat, et ſuo nũquam loco mouetur: ita ſi nos quoq; eodem nixi fuerimus, non mouebimur in æternum. Tantæ ſiquidem uirtutis eſt, ut omnia ſua uirtute portet, atq; ſuſtineat. Id quod ſequenti quoq; uerſiculo confirmat.

ORDINATIONE TVA PERSEVERAT DIES. QVONIAM OMNIA SERVIVNT.

Verbum Dei non modo cœlum, & terram ſuſtinet ſed hanc quoq; perpetuam temporum uiciſsitudinẽ, Veris ſcilicet, et Aeſtatis, Autũni, & Hyemis, nec nõ diei, ac noctis commutationem facit. Quæ quidem commutatio, & ſucceßio non modo ſummam Dei prouidentiam, ſed & uerbi ipſius conſtantem, & indefeſſam uirtutem declarat. Oportet (inquit Plato) hominibus Plato.

nibus argumento eſſe, quòd aſtra, uniuerſusq́ ille circuitus mentem habeat, quia eadem ſemper agunt. Et rurſus. Quod abſq; ordine fertur, amens eſſe putandū eſt. Quod autem ordine in cælo progreditur, id mētem habere ſufficienter eo ueſtigio demonſtratur, quòd per eadem ſemper, & ſimiliter proficiſcitur, agitq́, & patitur eadem. Hanc autem mentem Plato paulò inferius in eodem dialogo, Epinomide ſcilicet, uerbum appellat ubi de unione Deorum agit, ſic inquiens. Iis honores reddamus, non alij annum, alij menſem, alij nullam ſortem, ullumue tempus deſtinantes, ſed totum ei tribuatur, in quo ſuum caniculum percurrere mundum facit, quod ordinauit uerbum omnium diuiniſſimum: En quod Pſaltes Deo tribuit, cum dicit, Ordinatione tua perſeuerat dies. id Plato uerbo omnium diuiniſſimo aſcribit. Immo & Pſaltes idē facit. ſic enim hebraica lectio, & D. Hieronymi tranſlatio habet, omnia iudicio tuo ſtant uſque hodie. Iudicium autem in hoc præſertim pſalmo pro ipſo Dei uerbo accipitur. Idem itaque erit; Iudicio tuo ſtant uſque hodie, quòd cælum, terramq́;, & quæcunq; cæli ambitu continentur, uerbo tuo, quo omnia iudicas, regis, & moderaris, conſiſtunt uſque hodie ideſt dum hodie cognominatur, ideſt dum tempus iſtud durat: dū dies, & nox tempus omne complectētes exiſtunt. Cum itaque uirtute uerbi Dei omnia, in ſuo officio contineant-

neantur, & in eo perſeuerent, nec unquam impediri, aut perturbari poſſint: conſtantiſſimæ prorſus, & inſuperabilis uirtutis ſit uerbũ Dei, neceſſe eſt. Quod qui in corde optimo retinuerit, inſuperabilem quoque ſe futurum exiſtimet, & beatum.

QVONIAM OMNIA SERVIVNT TIBI.

S*Ententiæ ratio poſtulare uidebatur, ut potius dicendum eſſet. Quoniam omnia ſeruiunt uerbo, ſeu iudicio tuo. Sed cum Vates ubique ferè, & Deum pro uerbo, & Verbum pro ipſo Deo uſurpet, non dixit, Quoniam omnia ſeruiũt iudicio tuo, ſed, Quoniam omnia ſeruiunt tibi. cultus enim & opera, quæ in ipſo uerbo extollendo exhibetur, ipſi Deo exhiberi dignoſcitur, cui omnia ſeruiũt. Cœlum, terra, & omnia quæ in cœlo, & in terra ſunt, Angeli, homines, Dæmones, animalia Deo ſeruiunt, & uelint, nolint illius parent uoluntati, qua omnia curat, & moderatur. ſed cum alij id inuiti, alij uerò uolentes id agant: illi peruicaciæ ſuæ pœnas dabunt: hi uerò obedientiæ præmia conſequentur.*

NISI QVOD LEX TVA MEDITATIO MEA EST, TVNC FORTE PERIISSEM IN HVMILITATE MEA.

S*Vperiore uerſiculo ex cœlorum conſiſtentia, & terræ firmitudine, Pſaltes perpendit uirtutem*

uerbi Dei, à qua omnia pendeant. Nunc uerò uitam etiam ſalutemq́; mortalium in eodem uerbo poſitam eſſe declarat, idq́; ſuo exemplo affirmat. Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periſſem in humilitate mea. Vox עניה *pro paupertate, & afflictione (ut ſæpius à nobis repetitū eſt) & per translationem pro ipſa humilitate accipitur. Paupertas.n. & afflictio nos in ſummam humiliationem adigunt coràm Deo. In ijs alij ſeruantur, alij pereunt. Hi in afflictionibus ſeruantur, quorum meditatio, & ſtudium ipſa eſt diuina lex. Audiunt.n. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati, qui perſecutiones patiuntur propter iuſtitiam. &c. Hæc.n. ipſi audientes, ac fide, & ſpe amplectentes, ſeruantur. Propterea ait. Niſi lex tua meditatio, ſeu delectatio mea eſt, periſſem in humilitate mea. Illi nanq; in aduerſis omnino pereundum eſt, qui à cognitione diuinæ legis ſit alienus. Nā in aduerſis Dei iudicium ſentiens, illud ſuſtinere non poteſt. Quod ſi quis in aduerſis animo non concidat, ſed ſpe ſuſtentatur, id non niſi uirtuti uerbi Dei eſt acceptum ferendum. Ab illo.n. tanquam à perenni fonte omnis uirtus emanat. Cum itaq; tribulamur (ait D. Hilarius) meditatio legis non eſt relinquenda: ſed cū uarijs infirmitatibus corporum affligimur, cum inter perſecutionum bella uexamur, conſtans in nobis debet eſſe legis Dei meditatio. Vrant (ait) licet in excidium*

fidei ignes, lacerent quæq; ad periculum ſalutis flagel la, effodiant etiam ad eliciendam confeßionem impietatis redempta à Deo corpora ungulæ: dicti tamē Prophetici meminiſſe debemus. Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tunc fortè periſſem in humilitate mea.

IN AETERNVM NON OBLIVISCAR IVSTIFICATIONES TVAS, QVIA IN IPSIS VIVIFICASTI ME.

NOs non modo liberationem ab imminenti periculo ex ipſo uerbo Dei, ſed & uitam conſequimur. Non enim in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo, quod procedit ab ore Dei. Nam quæ ex corruptibilibus rebus pendet uita, ne uitæ quidem appellatione digna eſt. Ea uerò ſola, ueraq́; eſt uita, quæ ad nos ex uerbo Dei proficiſcitur. Illud etenim nobis præſtat non modo, ut uiuamus, ſed ut bene, beateq́; uiuamus. Per illud ueri, abſolutiq́; boni cognitionem, quæ uera eſt ſapientia, conſequimur. Propterea ait. In æternum non obliuiſcar. &c. Vt enim obliuiſci non poſſumus uitæ, neq; eorum, quæ ad hanc ſuſtentandam pertinent, ſed ad ea, natura duce, impellimur: ita qui ueram, beatamq́; uitam uiuere exoptat, uerbi Dei obliuiſci non poterit, à quo illam proficiſci probè intelligit, ſed ſempiternam illius memoriam conſeruabit.

QVIA IN IPSIS VIVIFICASTI ME.

CVm à uerbo Dei vitam habeamus, turpiſsimum ingratitudinis nomen incurrimus, ſi aliquando illius memoriam deponimus. Quid enim magis ingrati eſt animi, quàm gratam illius memoriam non recolere, à quo vitam, & ſalutem ſimus conſecuti? Quo ibimus? (aiunt Apoſtoli) Verba uitæ æternæ habes. quaſi dicerent. Cum ex cæleſti tua, diuinaq́; doctrina uelut fonte uitam hauriamus, quo quo diſceſſerimus, in diſcrimine uitæ uerſabimur. Viuificat autem nos Deus in ſuis iuſtificationibus, cum nos earum non modo peritos, ſed practicos etiam reddit, ut non tantum earum ſcientiam, ſed ipſam quoque experientiam conſequamur. Continet enim Verbum Dei tria illa nomina à priſcis Græcis inuenta, nempè Eudemoniam. i. boni cognitionem, Euthichiam. i. boni conſecutionem, Eupragiam. i. boni uſum. Quæ quum ex ipſo Deo conſequimur, uerè tunc uiuificari dicimur. Dicit autem. Viuificaſti me; Quia vita hæc non humano ſtudio comparatur, ſed diuinitus infunditur, non ab ipſo uerbo immediate, ſed à Deo per uerbum emanat.

TVVS SVM EGO, SALVVM ME FAC, QVONIAM IVSTIFICATIONES TVAS EXQVISIVI.

PSaltes ſe propterea Dei eſſe dicit, quòd ad Dei imaginem ſe formatum nouerat, & manibus illius ſe plaſmatum ſuperius etiam confeſſus eſt. Manus tuæ fecerunt me (inquit) & plaſmauerunt me: quòd Iſraelita eſſet, qui ſolus Dei populus erat. Dei item ſe eſſe dicit, quòd illius ſe gratia uiuificatum ſentiat: Aut cum id dicit, ſe totum tradit Deo. q. d. ſentio domine, quo continenter præceps rapiar, quàm facilè à tua lege, peccati lege abducar, & mortis periculum adeam. Ideo ſum tuus. Vt tu me gratia tua uiuificandum ſuſcepiſti, ita me tibi perpetuò regendum trado. Ne ſinas me ferri arbitrio meo, ſed me tuo potius ductu gubernes. Dicens etiam, Tuus ſum, omnibus quæ poßidet, & animæ etiam ſuæ nuntium mittit, ſeq; totum tranſfert in Deum, nec ſibi, nec ulli alij ſui partem relinquit, qui ſciat, & ſentiat ſe totum eſſe Dei: quemadmodum hi faciunt, qui ſeſe alijs in ſeruitutem tradunt. Hoc illud eſt, quod in canticis dicit ſponſa. Dilectus meus mihi, & ego illi. Hebraica ſiquidem æditio habet, Tibi ego. Antitheſim enim facit Dei, quo nihil præſtantius, & ſui, quo nihil abiectius. Dei quidem

ceu ſeruatoris, ſui uerò ceu perditi. Iccirco ait. Saluū me fac. Cum enim tui proprium ſit ſeruare, mei uerò perire, quod mearum uirium eſt, præſtiti. Etenim perij. Tu quoque quod propriè tuum eſt, præſta. ſaluum fac. Tuus ſum enim.

QVONIAM IVSTIFICATIONES TVAS EXQVISIVI.

DVabus de cauſis ſe ſeruari poſtulat, quia uidelicet totus eſt Dei, & quia diuinas iuſtificationes exquiſierit. Altera enim ex altera oritur. Nam qui ab ipſo Deo electus eſt, & quem ipſe pro ſuo recepit, is diuinas quoq; ſcrutatur iuſtificationes, & ſeruat. Præcedit autem electio, legis uerò obſeruatio ſubſequitur. Elegit enim nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius. Primum nullā habet cauſam præter Dei beneplacitum. Secūdum habet Dei promiſsionem, qua nixus orat. Saluum me fac, quoniam iuſtificationes non meas, non aliorum, ſed tuas tantùm exquiſiui. Quandoquidem ait D. Auguſtinus. Non quia recipit, ſed quia promiſit, ſaluat Deus.

ME EXPECTAVERVNT PECCATORES, VT PERDERENT ME. TESTIMONIA TVA INTELLEXI.

QVod interpres uertit, peccatores, in hebræo eſt

רשעים *ideſt impij. Differt enim peccator, & impius: nam omnis impius eſt peccator, ſed non omnis pecca tor eſt impius. Impius autem ille eſt, qui quam Græci apathiam dicunt, patitur. i. priuationem omnis affe-ctionis erga Deum, & ſummi boni intelligentiæ va-cationem, & inſano quodam riſu diuinam prouiden tiam, diuiniq́ꝫ numinis cultum ridet, & aſpernatur, & piè, ſanctèq́ꝫ Deum colentes odio proſequitur. De huiuſmodi hominibus ait. Me expectauerunt pec-catores, ut perderent me. Hoc etenim proprium eſt impii, ut omnium internecione, ac præcipuè piorum gaudeat, quia ut nulla erga Deum pietate, ita neque erga homines: pios affectione ulla tangitur. Dauidis itaque interitum impij ualdè appetebant, quem cum nullo pacto poſſent in ſuam ipſi impietatem pertrahè-re, e medio tollere nitebantur, ne ipſius pietate, & pro bitate eorum impietas, atq; improbitas detegeretur, arguereturq́ꝫ. Ipſe tamen in ſuo inſtituto perſtabat.*

TESTIMONIA TVA INTELLEXI.

D. Hieronymus ad hebraicam transfert ueritatē. Teſtimonia tua conſiderabo. Verbum autem he braicum non ſimpliciter conſiderare ſignificat, ſed cō ſiderando ſeipſum in fide, ſpe, & charitate ædificare, & in re conſiderata confirmare. Quamuis itaque

impij omnes ſuas cogitationes, & conſilia adhibuerint, ut Dauidem uel ab inſtituto ſuo reuocarent, uel perderent: id tamen perficere nunquàm potuerunt, factumq́ eſt, vt ipſe à ſua conſideratione, & meditatione nunquàm receſſerit, ſed in ea ſe magis occuparit. Cuius rei exemplum de Numa habemus, cui ſacra peragenti cum eſſet nuntiatum, hoſtes adeſſe: ipſe ſuo perſtans in officio reſpondit. Aſt ego ſacrifico. Nulla itaque Diaboli aſtutia, & improborum ſcelere à iuſtitiæ, & pietatis uia eſt recedendum. Quandoquidem etiam malorum improbitate pij prudentiores fiunt, & ex mala ſemente magnum ipſi prouentum percipiunt. Idem & Plato in Euthidemo docet. Nam ſi ita perdere (ait) homines ſciunt, ut ex malis, & imprudentibus probos, prudenteſq́ faciant, ſeu ipſi perditionis eius inuentores ſunt, ſeu ab alio didicerunt, ut pro malo homine reſtituere poßint bonum (patet autem eos ſcire. Dixerunt enim artem nuper eſſe comparatam, qua bonos ex malis hominibus faciunt) ſi hoc inquam ſciunt, permittamus utique, ut ſic adoleſcentulum perdant, modo ſapientem efficiant. immo nosipſos illis ita curandos tradamus. Hæc ille, & huius generis plura ibidem. Quæ ideo recenſere uolui, vt appareat, ſapientis quoque ethnici ſententia multa eſſe ferenda incommoda gratia uirtutis conſequen-

quendæ. Nam ſi malorum tolerantia meliores reddimur, mala non ſunt, quæ tantum boni nobis pariant:

OMNIS CONSVMATIONIS VIDI FINEM, LATVM MANDATVM TVVM NIMIS.

OPus creationis conſumationem appellat Pſaltes. Propterea quòd nihil ommiſerit Deus, quod ad tanti operis perfectionem pertineret. Id quod Moſes quoque affirmat. Perfecti ſunt (inquit) cœli, & terra, & omnis ornatus eorum. Et rurſus. Perfecitq; Deus opus ſuum die ſeptimo. Quo quidem loco eodem verbo vſus eſt, quo hic Propheta vtitur, nempè כלה quod eſt perficere, & conſumare. Omnem autem conſumationem ideo creationis opus appellat, quia iuxta Moſis ſententiam, vidit Deus cũcta, quæ fecerat, & erant valde bona, ideſt perfectiſſima & abſolutiſſima. Iccirco ſapientes mundũ Dei domum inſtructiſſimam appellarunt. Huius itaque tam inſtructi, tanq; perfecti operis finem ſe vidiſſe dicit, cum tamen ſuis temporibus, ſuáq; ætate factum nequaquàm fuerit. Sed uidere hoc loco pro cognoſcere, & perſpectum habere ſignificat. Viſus enim ſenſuum omnium præſtantiſſimus vice omnium fungi videtur. Viderat itaque mundi finẽ, quando à Moſe & patribus mundi illuuionem au-

diuit, per quam uniuerſa caro deleta eſt, & totius orbis facies eſt immutata. Vidit etiam mundi finem, quia à patribus, & ſpiritu ſancto acceperat mũdum non iam per illuuionem, ſed per exuſtionem interiturum, & finem habiturum eſſe. Verum non id quo ad ſubſtantiam, ſed quo ad formam, & ſpeciem intelligendum eſt. In æternum (ait) uerbum tuum permanet in cœlo. Et de terra rurſus ait. Fundaſti terram, & non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Nos itaque illam ſententiam refellimus, Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt. Quandoquidem non modo cœlum, & terram, ſed Dæmones, & animas conditas fuiſſe, & principium habuiſſe dicimus, & nihilominus immortales eſſe affirmamus. Ipſa namq; immortalitas non ab ipſis rebus conditis, ſed à Dei uoluntate pendet. Quod autem de corporibus noſtris credimus, idẽ de mundo fatemur. Quemadmodum.n. iſta interitura in meliorem, nobilioremq́; ſtatum excitanda fore credimus: ita mũdum finem quidem habiturum, ſed præſtantius reformandum Prophetica, & Apoſtolica doctrina edocti confitemur. De ea namq; re Vaticinati ſunt Prophetæ. Extat autem præclariſſimum illud Eliæ uaticinium. Sex millia annorum durabit mundus, duo millia natura, duo lex, duo Meſſias. Poſthæc diſſoluetur. Extat & hæc Trimegiſti ſententia. Cum hæc cuncta contigerint ò Aſelepi, tunc ille dominus

pri-

primipotens unus gubernator mundi intuens in mores, factaq́ſ, ſua voluntate uitijs reſiſtens malignitatem omnem uel illuuione diluens, uel igne conſumẽs, uel morbis peſtilẽtibus per loca diſperſis finiens ad antiquam faciem mundum reuocabit. Cicero quoq; de Natura Deorum lib. 2. teſtatur euẽturum, ut ad extremum omnis mundus igneſcat, cum humore conſumpto, neque terra ali poßit, neque remaneat aer, et nihil relinqui præter ignem, à quo rurſum animante Deo renouatio mundi fieret. Hoc idem teſtatus eſt Chriſtus. Apoſtoli ipſius etiam affirmarunt. Ait enim D. Petrus. Cœli magno impetu tranſient, & elementa calore ſoluentur. Et D. Ioannes, Cœlos nouos, & terram nouam uidit, & vaticinatus eſt. Quæ cũ perſpecta haberet Pſaltes, mũdi finem ſe uidiſſe teſtatur. Quamuis autem mundum ſiue illuuione, & Cathacliſmo, ſiue exuſtione finiendum præuiderit, nequaquàm tamen verbi Dei finem vidit, aut ſe viſurum eſſe putauit, ut hoc pacto declaret Dei verbum ipſo perfectißimo Dei opificio eſſe perfectius, quando illo deficiente, & finem habituro id nihilominus permanſurum ſit.

LATVM MANDATVM TVVM NIMIS.

A*Ntitheſim facit mundi, & verbi Dei. Illũ quidem perfectißimum; & latißimũ Dei opus eſſe di-*

dicit, ſed tamen non ita perfectum, & latum, ut illius finis uideri non poſsit. At Dei verbum ita perfectum, & conſumatum, ita latum, & profundum, & altum eſſe dicit, ut illius finem nemo unquàm uiderit, aut uiſurus ſit. Quis enim cognouit ſenſum domini? Latum (ait) mandatum tuum nimis. Illud itaque nulla uel temporis, uel hominum iniuria interire poterit. Nullis enim finibus concludi poteſt, quod inter æternitatis adyta recluditur, & in æternũ ſtat. Illud igitur Petri mente retinendum; Conſiderate, quales uos oporteat eſſe in ſanctis conuerſationibus, & pietatibus, poſtquàm hæc omnia diſſoluenda ſunt, & Dei verbum perpetuò duraturum. Conſiderate, quanti illud faciendum ſit, cuius uirtute cœli, terraq́; conſiſtat. Quæ ſi fortè interirent, ſtabit nihilominus, & perpetuò vigebit Verbum Dei, quia latum eſt nimis. Illis enim uel labentibus, uel aliam ſumentibus cœlis ſpeciem, ipſum Dei uerbum in æternum manet. Etſi generatio præterit, & alia aduenit, ipſum non mutatur, ſed idem ſemper eſt, omnia conſeruans, omnia moderans. Cui etiam omnia ſeruiunt, cuius uirtute niſi et nos ſuſtineamur, nulla ratione contra malorum impetum ſubſiſtere poſſumus. Hoc itaque nobis in animi penetralibus eſt recondendum, nec ex memoria unquàm debilitandum, quandoquidem ex illius uel ſola recordatione uita

per-

percipitur. In eo itaque excolendo, & obſeruando totis uiribus niti debemus: quando illud cuſtodientes nos ipſos feramus. Siquidem omnia interitura, & finem habitura ſunt. Verbum autem Domini, & quicquid nobis per iſtud promiſſum eſt, in æternum ſtabit.

Mem. מ

MEM *aquam ſonat, quæ quoniam eſt rerum omnium altrix, meritò diuinam ſapientiam ſignificat, iuxta illud Eſaiæ. Sciẽtia Domini ſicut aqua maris. Et iterum. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. ideſt ait Rab. Moſes Ægyptius. Recipietis doctrinam nouam in gaudio ab electis iuſtorum, & in Aqua intellige ſapientiam, quæ erit in diebus illis. Hæc ille. Cum uerò ſapientia ei tãtum appareat, teſte Platone, qui modicum quippiam rectæ, diuinæq; intelligentiæ nactus ſit, meritò poſt litteram Lamed, quæ expertem, & intelligentem deſignat, collocata eſt littera Mem, ſapientiam ſignificãs. Ille nanque uerè ſapiens dici poteſt, qui rerum diuinarum in ipſo Dei uerbo, & per ipſum intelligentiam eſt conſecutus. Suo itaq; exemplo docet Pſaltes, qua ratione, & quantum diuinæ ſapientiæ conſequi poſſimus.*

Eſa. 11.
Eſa. 12

QVOMODO DILEXI LEGEM TVAM DOMINE, TOTA DIE MEDITATIO MEA EST.

DEi ſapientiam profectò nemo adipiſcetur, niſi
Sap.6. *prius illam dilexerit. Facilè, ait Salomon, uidetur ab ijs, qui diligunt eam, & inuenitur ab ijs, qui quærunt eam: præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat: qui de luce uigilauerint ad illã, non laborabit: aßidentem enim foribus ſuis inueniet. Initium enim illius eſt verißima diſciplinæ concupiſcentia. Cura ergo diſciplinæ dilectio eſt, & dilectio cuſtodia legum ipſius. Cuſtoditio autem legum conſumatio incorruptionis eſt, incorruptio autem facit proximum eſſe Deo. Quàm uehementer, quàmq́; ardenter diuina lex amanda ſit, quadam cum admiratione demonſtrat. Quàm dilexi, inquit, legem tuam domine? Dauid non ad aliorum tantùm, ſed ad ſuam quoque admirationem diuinam legem amabat: neque tamen pluſquàm par ſit, ſe eam amare gloriatur: quæ neque pro meritò poßit amari, ſed illam quoad eius fieri poteſt, amandam docet. Nam cum præter ipſum Deum nihil præſtantius diuina lege habeamus: ita ab illo nihil eſt, quod magis amemus, quàm diuina ipſius lex, qua uera ſapientia comparatur. Et quemadmodum toto corde, anima, & uiribus Deum diligere debe-*

debemus: ita dies, noctes q́ ſine vlla intermiſſione in diuinam legem, legisq́ meditationem incumbere toto pectore debemus. Non recedat (ait dominus) volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo cũctis diebus, ac noctibus, ut cuſtodias, & facias ea, quæ ſcripta ſunt in eo. Propterea ait.

TOTA DIE MEDITATIO MEA EST.

NIhil eſt, quod magis diuinæ ſapientiæ, diuinæq́ legis amorem in nobis eliciat, & conſeruet, quam illius aſsidua meditatio. Propterea Plato lib. xxv. cõuiuij diffiniens, quid meditatio ſit, ait. Quod enim dicitur meditari, quaſi exiens ſcientia dicitur. obliuio namque ſcientiæ exitus eſt. Meditatio uerò nouam memoriam ſemper abeuntis loco reſtituens ſcientiam ſeruat, vt eadem eſſe uideatur. Per aſsiduam itaq; meditationem diuinam legem, & ſapientiam abeuntem in mentem reuocamus, vt idem ſemper ſimus. Sed hoc loco meditatio, quod hebraicè eſt שיח*, non pro mentis exercitatione tantùm, quæ reminiſcendo fit, ſed pro eo etiam, quod orando, loquendo, & agendo fit, accipitur. Et idem eſt, Tota die meditatio mea eſt, quod continuè occupatio mea eſt. Amor ſiquidẽ otioſus eſſe non poteſt, ſed cõtinenter agit. Quo fit, ut quæ vehementer amamus, ſemper præ oculis ſemper in ore, ſemperq́ in opere eadem habere cupiamus. Tota*

ita-

itaque die diuinam legem meditabatur Dauid, & ad illius normam animum, mentem, moresq́; ſuos, & omnem uitam componebat: quod eſt uerè ſapientem eſſe.

SVPER INIMICOS MEOS PRVDENTEM ME FECISTI MANDATO TVO, QVIA IN AETERNVM MIHI EST.

PLato in Epinomide aliquam ſcientiam inueniri neceſſe eſſe aſſerit, quam quiſquis tenuerit, non videatur ſolum, ſed reuera ſit ſapiens. In hac inueſtiganda ſiquis laboris plurimum ſuſcipiat, non inueniet tamen. Ea uerò quæ ſit, Vates oſtendit, nempè uerbum Dei. Sapientem me feciſti (ait) mãdato tuo, ſeu uerbo, aut doctrina tua. Alia quidem munera ab alijs diſciplinis conſequi poſſumus, ſapientiæ uerò donum ſola diuini uerbi doctrina nobis largitur. Neque uerò de ſola ea ſapientia loquimur, quæ circa res cæleſtes, & diuinas, ſed de ea etiam, quæ circa res terrenas, & ciuiles uerſatur. Sapientia ſiquidem eſt rerum diuinarum, humanarumq́; ſcientia. In humanis ſiquidem rebus adminiſtrandis ſapientiores, prudentioresq́; ſunt, qui diuina hac doctrina ſunt imbuti, quàm qui illius ſunt expertes, quamuis alioqui ſint aſtuti, ſapientiaq́; præditi videantur. Quòd ue-

verò Pſaltes diuinam ſapientiam eſſet conſecutus, id nequaquàm induſtriæ ſuæ, ſed diuinæ potius liberalitati acceptum refert. Tam præclarum enim & cæleſte donum non niſi diuinitus homini mortali contingit, & ſtudio diuinæ legis humanis animis illabitur. Propterea ait. Tu me, non ego me ipſe, aut alius quiſpiam, prudentem feciſti mandato tuo .i. doctrina, & uerbo tuo.

QVIA IN AETERNVM MIHI EST.

HErodotus teſtatur, apud Græcos ueram ſapientiam eſſe non poſſe, quandò eorum ſcientia varia eſt, quæ diſcipulos ſuos incertos reddunt, & per omnem uitam errare compellunt. Siquidem apud illos quiſque pro ingenij ſui libidine docere præſumit. Quemadmodum igitur qui Arcturo poſthabito, erraticas ſtellas ſectantur, in omni ſua nauigatione eos errare neceſſe eſt: ita qui uerbo Dei relicto, humanas tantum diſciplinas ſectantur, deſipere potius, quàm ſapere videntur. Illud enim aſtrum eſt fixum, & æternum, ad quod qui ſuam nauigationem dirigit, non errabit, ſed portum feliciter tenebit, ac uerè ſapiens erit. Hinc itaque Vates ſe ſuper inimicos ſuos factum ſapientem teſtatur, quod ipſum verbum veluti exempl.

ſco-

ſcopum: & deſtinatum totius uitæ ſignum ſibi propoſuerit. Quod ſanè verbum per ſe eſt æternum, nobis uerò tunc ſit æternum, cum illud ob oculos ſemper habemus, vt ad illius normam noſtros mores, noſtrãq; omnem uitam redigimus.

SVPER OMNES DOCENTES ME INTELLEXI, QVIA TESTIMONIA TVA MEDITATIO MEA EST.

CVm Doctores, & magiſtros habuerit David Moſen, & Ioſue, Samuelem, Nathan, & huius generis homines Dei amiciſſimos, & rerum diuinarum peritiſſimos, nequaquàm horum cuiquàm ſe præfert, quamuis meritò ſe præferre poſſet ob ſingularem rerũ diuinarum intelligentiam: ſed de his magiſtris, & doctoribus loquitur, qui per ciuitates iuſſu domini Nũ. xi. conſtituebantur, qui fortè ſuo tempore iuxta Moſis uaticinium Deut. 31. ab ea uia declinauerant, quam præceperat dominus. Docebant hi quidem, ſed quæ docerent, nihil intelligebant. Huiuſmodi itaque populorum magiſtris prudentiorem, & intelligentiorem ſe factum prædicat.

QVIA TESTIMONIA TVA MEDITATIO MEA EST.

HInc magna diuinarum ſcripturarum ignoratio his potiſſimùm, qui eas maximè profitentur, obrepit, ꝙ diuinas interpretantes ſcripturas ſcripturarũ teſti-

teſtimonijs, & commentationibus non utuntur, ſed ingenij ſui rationes, & humanarum diſciplinarum placita maximè ſectantur. Minimè quidem negandum eſt, quin naturalium rerum cognitio ad intelligendas ſcripturas plurimum ualeat: ſcripturas tamẽ ſcripturis ipſis interpretari iucundius eſt (ait B. Auguſtinus) quàm humanis rationibus. Iccirco Pſaltes ait. Super omnes docentes me intellexi, idq; nulla ratione alia, quàm quòd teſtimonia tua meditatio mea eſt. Qui enim alios docent, ſi in his, quæ docent, neque animum, neq; mẽtem orando, meditando, & agendo exerceant, quæ docent, non intelligũt: uel potius quæ ſciunt, non ſapiunt. Dicunt quidem, præcipiunt, at ipſi nihil agunt. Propterea mirum non eſt, ſi quæ docẽt, minus intelligunt: quoniam non mẽtem, ſed linguam eruditam tantùm habere deſiderant. Tales ſe docentes fuiſſe dicit. Ego uero, cui teſtimonia tua, ſacroſancta tua lex, & illius oracula meditatio eſt; omnes animi mei uires, omnes corporis actiones in hoc ſtudio quaſi in palæſtra exerceo, non ut linguam tãtùm eruditam, ſed ut animum optimè inſtitutum, & uitam uirtutibus excultam conſequar, ſuper omnes docentes me intellexi. Qui igitur hoc animi propoſito ad diuinarum ſcripturarum ſtudium accedit, ſpiritu intelligentiæ replebitur, ut ſupra docentes, & non intelligentes nec rata habentes, quæ docent, poſſit cum no

ſtro quoq; Vate intelligere. De intelligentia autem ipſius diuinæ legis loquitur, quæ in experientia coniuncta, quæq; ad legis dogmata, & placita pertineat. Nam quæ ad alia ſpectat, ſubdit.

SVPER SENES INTELLEXI, QVIA MANDATA TVA QVAESIVI,

MAndauerat dominus Moſi, ut ſeptuaginta ſeniores conſtitueret per ciuitates, qui magiſtri, populorumq; doctores eſſent, quiq; iuſtum iudicium iudicarent. Hi fortè tempore Dauidis quum rerũ diuinarum ſcientia, experientiaq; cæteris antecellere deberent, minimè tamen, aut parum intelligebant & cuncta pro ſua, principumq; ſuorum libidine, non autem iuxta præceptiones legis iudicabant. Super hos (ait Pſaltes) ſenes ego adoleſcentulus, ego iuuenis intellexi, iuſtumq; ab iniuſto; bonum à malo diſcernere optimè callui: quæ fugienda, quæue amplectenda ſunt, intellexi. Quod enim repetit, intellexi, ſecundum uerbi hebraici ſignificationem non ad dogmata, ut ſuperius; ſed ad iudicia, & ad opera externa referri debet, in quibus dijudicandis ſe adhuc adoleſcentulum peritiorem euaſiſſe diuinæ legis ſtudio gloriatur; quàm ſenes, qui rerum uſu, & experientia debebant eſſe peritiores. Propterea ſubdit.

Quia

Quia mandata tua ſeruaui, habet hebraica lectio. Scientiam regendarum, diſponendarumq; rerum diuturnus uſus uix ſenibus præſtat: ſtudium uerò, & obſeruantia diuinæ legis exiguo temporis ſpatio uel ipſis pueris donat: in quibus quamuis mundi ſapientes reperiri non poſſe ſapientiam affirment, ſecus tamen Spiritus ſanctus unicus, perfectusq; ſapientiæ largitor ſectatur: qui cum ſit omni tempore (ut ait Philo) celerior, quando ſcientiam, & intelligentiam tradit, id ſine mora facit, ingenia præcoquens, & eum prudentem diuina ſua gratia faciens, qui per ætatem, & ſanguinis feruorem minimè ſapiens eſſe poterat: ut de ſe ipſo teſtatur hoc loco Dauid, qui ſuper ſenes ad iudicandum, & ad docendum populum conſtitutos ſe intellexiſſe ait. Addit cauſam, nempè quòd eam legem, quam illi contempſerant, ipſe ualde amarit, & ſtudioſè illi incubuerit. Quare diuinam uirtutem effert, qua homines, immo pueri rerum imperiti, ſe ſe huic ſtudio addixerint, diuinarum, humanarumq; rerum ſcientiã breui conſequantur. Atq; hac ratione unumquemq; ad hoc ſtudium cohortatur.

AB OMNI VIA MALA PROHIBVI PEDES MEOS, VT CVSTODIAM VERBA TVA.

NIhil æquè obeſt ſtudio diuinarum rerum, q̃ carnis concupiſcentia, quæ noſtros animos tranſuerſos agit, atq; in omnem turpitudinem abducit. Quã Pſaltes uiam malam appellat, ad quam ingrediendũ celeres nimis noſtri ſunt pedes, niſi diuina diſciplina quaſi compede cohibeantur. Heſiodi ſententiam multi prædicant, quòd affirmarit uiam ad uitia planam, ac potius decliuem eſſe, ac ſine ſudore cõfici, quia breuiſsima eſt. Ante uirtutem uerò Dij immortales ſudorem poſuerunt, & uia, quæ ad eam ducit, longa, ardua, aſperaq́; primùm eſt, ſed poſtquàm ad ſumma faſtigia peruentum eſt, dulciſsimam ea præſtat quietẽ. Propterea et Vates ait, à uitiorũ uia ſe pedes ſuos Dei uerbo quaſi compedibus coercuiſſe. Pedum uerò nomine prauas animi cupiditates intelligit, quas ſtudio uerbi Dei compeſcebat, & uim quandam ſibi inferebat. Regnum ſiquidem Dei uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Hæc uis, hic ſudor eſt, qui uirtutis iter ingredientibus, teſte Heſiodo, propoſitus eſt. Plurimum ſiquidem laborandum eſt, non ut ab uno, aut altero tantùm uitio abſtineamus, ſed ut uitiorũ omniũ innatas nobis radices radicitus euellamus. Nã qui in uno peccauerit, factus eſt omnium reus.

Vt

VT CVSTODIAM VERBA TVA.

SEmen, quod in petroſum, aut ſenticoſum agrum iacitur, quodq́; in uia conculcatur, fructum non fert: ſed illud uberrimam affert meſſem, quod in terram bonam cadit, ideſt quod in corde optimo, & perfecto percipitur, alioquin Diabolus illud rapit, ne credentes ſalui fiant. Ab omni itaque uia mala cauendum eſt, ſi quis diuinam hanc diſciplinam capeſſens in ea magnos facere progreſſus cupiat, cum præſertim nihil magis, quàm uitium obſtet.

A IVDICIIS TVIS NON DECLINAVI, QVIA TV LEGEM POSVISTI MIHI.

LAbori, ac ſudori, quem in difficili, laborioſaq́; uia uirtutis ipſe pertulerat, fructus demum reſpondit. Sic & agricolæ ſaxis, & ſpinis agros expurgant, ut ferendæ meſſi ſint aptiores. Quæcunq; tamen prouenit meſſis, ſcient agricolæ ſe nihil laboribus ſuis profeciſſe, niſi imbres, & ſol, cœliq́; temperies ſuos labores ſecuta fuiſſet. Licet Dauid ſummo ſtudio curarit, ne quid ſciens peccaret, & in uiã errorũ ne laberetur, ſuo tamen huiuſmodi ſtudio minimè tribuit, quod à diuinis iudicijs non aberrauerit, ſed diuinæ potius benignitati illud aſſignat. Noſtrũ

quidem ſtudium, noſtrumq́ laborem requirit Deus, tamen ſi quid inde fructus proficiſcitur, diuinæ bonitati acceptum referri pietas iubet. Ideo dicit Pſaltes. A Iudicijs tuis non declinaui, Quia tu legẽ poſuiſti mihi. Ea lex eſt ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus pietatis, et timoris domini, quam dominus poſuit in corde Vatis ne recederet à uia ueritatis. Tanto itaq; præſidio firmatus Vatis animus potuit obtrectatorum uoces negligere, & prauas cupiditates compeſcere. D. Hieronymus uertit, Quia tu illuminaſti me. Verbum ſiquidem hebraicum ירה aliquem inſtruere, & optimis moribus, & legibus erudire, & docilem reddere ſignificat. Iccirco Illuminaſti, uertit. Qua quidem re ſignificauit, Pſaltem à Deo fuiſſe interius illuminatum, ut non modò ab omni uia mala declinaret, ſed in uia bona, rectaq́ pergeret: idq́ Deo largitori acceptum refert, ne ingratus in benefactorem ſuum uideretur.

QVAM DVLCIA FAVCIBVS MEIS ELOQVIA TVA SVPER MEL ORI MEO.

SVperius octonario ſecundo teſtatus eſt, ſe pluris feciſſe diuina eloquia, quàm quicquid ubique diuitiarum eſt, ac ſe illorum meditatione magis delectatum fuiſſe, quàm in theſauris coaceruandis. Bonum

(ait)

(ait) mihi lex oris tui, ſuper millia auri, & argenti. Nunc rurſus eidem legi omnes delitias, ac uoluptates præponit. Quicquid ſuaue eſt, uel ipſum merum, ac nectar Deorum in comparatione diuinæ legis aſpernatur. Quàm dulcia (ait) eloquia tua ſuper mel ori meo. Omnis tùm admirabilitatis, tùm dulcedinis plena eſſe diuina ſentit eloquia, nam ſumma cum admiratione dicit. Quàm dulcia. &c. cum id effari non poßit, ſaltem admiratur. Verè ſiquidem dulcia ſunt diuina eloquia. Nullam enim habent amaritudinis mixturam: uerum tamen non omnibus ſapiunt, quin plæriſq; abſynthio amariora uidentur. Verbũ enim Dei pereuntibus eſt odor mortis in mortem, his uerò, qui ſalui fiunt, eſt odor uitæ ad uitam. Nec mirum ſi quod dulcißimum eſt alijs, amarisſimum uideatur. Palatum enim habent infectum: quicquid in os ingerunt, amarum uidetur. Qui uerò bonum guſtum ſortiti ſunt, bonum etiam Dei uerbum guſtant, & illius ſuauitatem mirabiliter amant, & admirantur.

SVPER MEL ORI MEO.

MEl cũ uerbo Dei ſymbolum habet. Quemadmodum.n.mel ex rore, cæleſti uirtute quadã coaleſcit, ſanitatem tuetur, ebrietatem retundit, & mortuorum corpora incorrupta etiam ſeruat: ita Dei

uerbum cœlitus traditum hominem à uitijs tuetur, carnis concupiſcentias coercet, animum ad immortalitatem nutrit, & ad incorruptelam conſeruat. Meritò itaq; Vates uerbum melli anteponit, quando hoc non in centeſimum tantum annum ut Pollionis uitam protrahat, ſed ad immortalitatem alat. Amen dico uobis (ait dominus) ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum. Verum aiunt Corſicæ inſulæ mel peßimæ notæ eſſe, nõ quidem ſua, ſed excipientis culpa. Fit enim (ait Auicenna) pro excipientium rerum qualitate diuerſum. Ita uerbum Dei non omnium faucibus dulce eſt, quia nec omnium fauces ſanæ ſunt. Fauces autem, ſeu os, quibus excipitur uerbum Dei, ſunt aures, ad quod eos purgatißimas afferre debent, qui illius ſuauitatem concupiſcunt. Adde quòd non omnibus, ſed ſolis apibus datum eſt è floribus mel excipere. Aranea ſiquidem ab eiſdem uenenum potius elicit. Sic non omnes ex lectione, & auditu uerbi uitam, ſed pleriq; hæretici, præſertim qui à catholica ueritate propria temeritate diſceſſerunt, uenenum, & mortem eliciunt. At Vates ex uerbo uitam, & beatitudinem percipiens, Quàm dulcia, inquit faucibus meis eloquia tua. &c.

Pollionis uita.

A MANDATIS TVIS INTELLEXI. PROPTEREA ODIVI OMNEM VIAM INIQVITATIS.

IDem eſt humanæ menti Verbum Dei, quod oculis lumen ſolis, qui non ſolùm eos illuminat, ſed in eis etiam lumen generat, quo ipſum ſolis lumen, & omnia ab eo illuminata uidere poßint, quæ nunquàm clarius conſpiciuntur, quàm cum ab ipſo ſolis lumine illuſtrantur. Ita Vates docet, ſe non niſi à Dei uerbo humana, & diuina intellexiſſe. Illud enim ueram in noſtra mente gignit intelligentiam, qua res qualeſcunque ſunt, intelligere, & intellectu uel amplecti, uel reſpuere poßimus. Sed hoc loco Propheta de ea intelligentia loquitur, quæ dum in uerbo Dei diſcurrit, & ratiocinatur, non errat, neque falſa pro ueris amplectitur. Ideo ſubdit.

PROPTEREA ODIVI OMNEM VIAM INIQVITATIS.

QVi uerbi Dei ſtudio intelligentiæ ſpiritu fuerat afflatus, non poterat nõ odiſſe omnem uiam iniquitatis: quæ nihil aliud eſt quàm quicquid cum uerbo & lege Dei pugnat. Illud namque uiam iniquam, ſeu mendacem appellat, quòd qui huiuſmodi uiam ingreditur, decipiatur, & in ſempiternum exi-

exitium impellatur. Ideo hanc ſe uiam odiſſe teſtatur, quòd plaroſq; in perniciem ducat. Verè itaque illeſap iens eſt, qui diuinam legem adamauerit, & ab omni uia mala pedes ſuos prohibuerit, nec à diuina lege declinauerit, ſed omnem uiam iniquitatis odio habens, diuinam legem omnibus diuitijs, & delitijs antepoſuerit. &c.

Epilog.

Nun. נ.

NVn filios ſuſcipere, & ſemen propagare ſignificat, iuxta illud quod de Meſsia in Pſal. 72. canit Vates. Ante ſolem ינון שמו idest propagabitur (quaſi per filiorum generationem) nomen eius. Poſt itaque litteram Mem, per quam diuina ſapientia declaratur, uenit littera Nun propagationem ſignificans: quia diuina hac doctrina per liberorum.i. Prophetarum, Apoſtolorũ, & Apoſtolicorum uirorum ſucceſſionem propaganda erat, non obſtantibus perſecutionibus, & impugnationibus multis, quas omni tempore paſſura erat. De hac itaque propagatione tractans ait.

Pſal. 72.

LVCERNA PEDIBVS MEIS VERBVM TVVM, ET LVMEN SEMITIS MEIS.

FRequenter in ſacra hyſtoria, et præſertim. Paralip.

ralip.21. Lucerna pro filiorum propagatione, & poſteritate accipitur. Quemadmodum enim lumen per lucernam prorogari, & latè diffundi uidetur, ita poſteritas per filiorum generationem propagatur. Hac eadem ratione uerbum Dei lucerna appellatur, quod per illud generatio filiorũ Dei per diuinum ſemen, quod eſt uerbum Dei, propagatur, iuxta illud D. Petri. Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per uerbum Dei uiui, & permanentis in æternum. &c. Dedit enim Deus poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. quod annũtiatur, & prædicatur per uerbũ Dei. Hoc itaq; Vates & lucernam, & lumẽ appellat, quia & ipſum iubar lucis, et diuinæ uirtutis eſt, immo lux ipſa, & uirtus in ſalutem omni credenti, ait D. Paulus. Eſt igitur Dei uerbum organum illud, quo Deus notitiam ſui, atq; ſciẽtiam in omnes orbis terrarum partes diffundit: quòd quicunque locus illo uacat, ibi nullatenus uera, germanaq́ Dei cognitio eſt, ſed omnia ſunt tenebris circunfuſa. In loco quippe caliginoſo uerſamur, ait D. Petrus, ideo propheticus ſermo tanquàm lucerna eſt accendendus, donec lucifer oriatur in cordibus noſtris. Hæc eſt lucerna illa, quam nos iugiter in manu habere dominus mandauit: cuius gratia & D. Ioannes Lucerna lucens, & ardens appellatur, & Apoſtolis dictum Par. 21

eſt.

eſt. Vos eſtis lux mundi. Miniſterio ſiquidem diuini uerbi ab ignorantiæ tenebris in iucundiſſimum ueri tâtis lumen erãt mundum uindicaturi, iuxta illud. Præibis ante faciem domini illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in uiam pacis.

PEDIBVS MEIS.

QVamuis in litteris ſanctis pedes animorum affectus plerũq; ſignificent, nam quemadmodum corpora pedibus, ita animi affectibus feruntur: hoc tamen loco pedes ipſum docendi munus mihi ſignificant, quemadmodum et D. Paulus Ro.x. & Eph.6. interpretatur. Quàm ſpecioſi (inquit) pedes euangelizantium pacem, euangelizãtium bona. Et iterum. Habentes pedes calceatos in præparationem euangelij pacis. Cum itaq; dicat Pſaltes uerbum Dei lumen eſſe pedibus ſuis, illud ſibi ducem, doctoremq́; in docendi munere ſibi adoptat, ut in ſuo miniſterio fidelis inueniatur, ut nõ ea, quæ ſuggerit humana ratio, doceat, ſed quod uerbum Dei ſuppeditat. Miniſter enim uerbi uerbum ipſum ſequi debet, non autem ipſum poſt ſe trahere. Præcedat itaq; lucerna uerbi, & qua eundum ſit, eam monſtrantem ſequantur pedes noſtri.

ET LVMEN SEMITIS MEIS.

Semita anguſtus eſt callis, qua propria uniuſcuiuſque actiones ſignificantur, quæ niſi cœleſti lumine illuſtrentur, uanæ omnino ſunt. Qui enim ambulat in tenebris, ait Dominus, neſcit quo uadat. Qui uerò in lumine ambulat, non offendit, Ne itaque in ſemitis ſuis errans uel Deum, uel hominem offendat, ſed potius ad Dei gloriã, & hominum ſalutem, ſuũq; præmium greſſus ſuos dirigat, uelut uerus Iſraelita orat, ut columnam ignis, ideſt facem diuini uerbi præcedentem ſequatur per deſertum, ideſt per hanc incultam mundi uaſtitatem, quoad ad promiſſum regnum perueniat. Lucernam autem & lumen ſibi eſſe dicit uerbum. Alij enim lucernam quidem, ſed extinctam, & lumine carentem tenent, uelut fatuæ illæ uirgines in euangelio, quæ nobis et hæbreos, & hæreticos referunt, qui litteræ inhærentes latentem ſpiritum ignorant. Alij uerò lumen tãtum tenẽt, ij ſcilicet, qui zelum quidem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam, qui primis quidem ſunt meliores. At hi uerè præſtantes ſunt, quibus uerbum Dei lucerna eſt, & lumen, quia litteram, & ſpiritum optimè callent. Horum ex numero ſe unum eſſe, diuino munere profitetur Dauid, qui cum in ſplendidiſſimam diuini uerbi lucem mentis ſuæ aciem defigeret, tantum

in eo ſibi repoſitum eſſe animaduertebat, ut ab eo nũquàm recedendum putaret. Ideo ſequitur.

IVRAVI, ET STATVI CVSTODIRE IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

D. *Hieronimus transfert. Iuraui, & perſeuerabo cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.* שבע *numerus ſeptenarius eſt; qui cum ſacer ſit apud hebræos, pro iure iurando accipitur, à quo non ſine nefario ſcelere quiſquàm poteſt recedere. Quum uerò idẽ numerus ſæpe etiam ſignificet, huiuſmodi quoq; iuramentũ animo multũ, & ſæpe confirmato emiſſum eſſe ſignificat. Iurauerat itaq; Vates diuinas leges, quando per circuncìſionem aſcitus fuit in populũ Dei, qui in Dei uer-*
Exo. 24. *ba iurauit dicens. Quæcũq; mãdauit nobis Deus, faciemus. Hoc aũt iusiurandum ſæpe, ac ſæpius ſecum reputauerat. Iccirco graue piaculũ iudicabat, ſi uel tãtillum ab obſeruatione diuinæ legis ſe ſe auertiſſet. Ideo iuraui (inquit) ideſt publicè coràm Deo, et hominibus profeſſus sũ diuinas leges, & in ipſius Dei uerba iuraui. Nulla, itaq; ratione poſſum, niſi uelim eſſe periurus, à ſtudio diuinæ legis diſcedere. Huiuſmodi nos quoq; uotum in baptiſmo profeſſi ſumus, ac poſtea ſæpius conteſtati. Propterea qui illud negligit, qui diuini uerbi ſtudium deſerit, ſe peieraſſe coràm Deo ſentiat.*

ET STATVI, ſeu ET PERSEVERABO.

Diuina benignitate non ſuis uiribus fretus profitetur perſeuerantiam in obſeruatione diuinæ legis. Quod enim iurauit, id ipſo inuocato Deo iurauit, ſui iuramenti felicem ſucceſſum ſibi promittens. Quod enim ſeptenario numero (ait ſapientiſsimus Philo) mouetur, ſalubriter, & feliciter mouetur: id eſt, quod Dei nomine inchoatur, habet felices exitus, quamuis quod aggredimur, quod inchoamus noſtras longè ſuperet uires. Maior enim eſt Deus omnibus, & in ipſo omnia poſſumus. Cum itaque diuinam legem iurauerimus, in ea perſiſtendum eſt, ut non hac, uel illa tantum, ſed ut uniuerſa Dei iudicia cuſtodiamus. Iudicia autem iuſtitiæ Dei ſunt ipſa diuina oracula ab ipſo Deo nobis tradita, ut per ea iuſtitiam ipſius addiſcamus, & in illo, & per illum iuſti efficiamur.

HVMILIATVS SVM VSQVEQVAQVE DOMINE. VIVIFICA ME SECVNDVM VERBVM TVVM.

Qvemadmodum poſt conceptum ſequitur parturientis dolor, ita poſt firmam animi deliberatione pſeuerãdi in ſtudio diuinæ legis, maxima malorũ uis ſequitur. Affligit.n. Deus diuini uerbi amantes, & ſtudioſos cultores, ut ipſa uerbi conſolatione qua-

quantopere indigeant, intelligant: cuius uim ſecuri, & in pace degentes non ſentiunt. Alia uerò Diaboli ratio eſt in tentandis pijs, nempè ut à ſtudio uerbi eos abſterreat, ut perdat. Iccirco probè nos monet Salomon.

Pro. 3. Fili (inquit) caue, ne contemnas diſciplinam
Heb. 12. domini, & caſtigatus ab eo noli deſpondere animum.
Apoc. 3. Quem enim diligit, arguit, et flagellat omnem charum filium. In hanc ſententiam Philo ait. Tam præclara res habetur correptio, caſtigatioq́ue, ut hoc certo ſigno cognoſcantur Dei cognati. Quæ enim maior poteſt eſſe, quàm quæ filio cum patre intercedit? Itaque poſt diuinæ diſciplinæ ſtudium ſequitur correptio, quod eſt maximum diuinæ beneuolentiæ indicium. Propterea ait. Humiliatus ſum, nempè anguſtijs animi, & afflictionibus corporis, quibus cum premeretur, non efferebatur in Deum, ut diuinam prouidentiam negaret, neq; ita frāgebatur, ut animum deſponderet, ſed coràm Deo, & in ſuis oculis ſeſe deijciens omnia boni conſulebat, Dei opem aſſiduis precibus implorabat, atq; in eo ſpem ſuam locabat.

VIVIFICA ME SECVNDVM VERBVM TVVM.

PHilo affirmat, omnem afflictionem pro caſtigatione, emendatione, & eruditione eſſe accipiendam. Atq; idem ſentire Pſaltes uidetur, quando uſquequaque humiliatus, ideſt ſupra modum preſſus orat.

orat. Viuifica me ſecundum uerbum tuum. Quamuis in carne, & in his, quæ externa ſunt, affligantur uſquequaque pij homines, in animo tamen ſe uiuificari petunt non alia quàm uerbi uirtute. Illud petere uidetur David. cum me uerbi tui ſtudio penitus dediderim, nulla alia ratione experiri poteram uim ipſius, niſi malorum omnium uis ingrueret. Ea itaque nunc ingruente, fac domine ſentiam, quæ ſit uis uerbi, quando ea non niſi in media malorum acie ſentiri poteſt. Vulgus gregarium (ait Philo) putat, eos malè ſaginari, qui paſcuntur diuinis eloquiis: nec mirum, quandoquidem nullum unquàm guſtum cepit alentis omnia ſapientiæ. Proinde uulgo ignotum eſt, in quanta illi felicitate, atque hilaritate uitam agant. Ignotum porrò illi id eſt, quia eos uſquequaque in corpore afflictos, & humiliatos uidet, nec item quantum beatitudinis ex perenni illo, & uberrimo fonte diuini uerbi percipiant, queunt intelligere. Petens itaque ſe uiuificari ſecundum uerbum, non diuinas tantum recolit promiſsiones, uerbo Dei factas de uita, & beatitudine ſui cultoribus donanda: ſed ea ſe uita uiuificari, poſtulat, quæ non ex corruptibilibus rebus, ſed ex incorruptibili uerbo proficiſcitur Nequaq̃ reſpicit regias pompas, regiasq́; delitias ſibi promiſſas, quaſi his fruendi cupidus ſit, at diuinas diuini uerbi delitias intuetur, his ſuſpirat, has ſup-

plici precatione poſtulat. Viuifica (ait) me ſecundum eloquium tuum.

VOLVNTARIA ORIS MEI BENEPLACITA FAC DOMINE, ET IVDICIA TVA DOCE ME.

Voluntaria, ſeu ſpontanea ſacrificia erant, quæ quilibet non ex legis præſcripto tantum, ſed ex hilari, promptoq́ animo Deo offerebat, quæ ſibi gratiſsima eſſe ipſe Deus teſtatur. Horum autem ſacrificiorum duo genera erant. Alterum enim oris, quod & ſacrificium labiorum, & oris, ſeu laudis appellabatur. Alterum uerò hircorum, agnorum, & uitulorum. Huic autem illud ſemper prætulit. Sacrificium (ait) laudis honorificabit me. Hoc itaque ſacrificium tunc Deo offertur, cum uel illi gratias agimus, uel alios ad Dei cognitionem erudimus, vt & ipſi diſcant grati eſſe in Deum.

Triſmegiſtus. *Propterea Triſmegiſtus fidem, quam Deo præſtabat, & teſtimonium, quod de illo perhibebat, verborum ſacrificia ſancta ab animo, & corde manantia appellat.* *Tatus.* *Et Tatus filius, Deo (inquit) verborum offero ſacrificia ſancta. Tu pater, Tu dominus, tuq́ mens accipe, accipe ſacrificia uerborum. &c. Cũ enim alios docemus, non hircos, aut uitulos, ſed animas tum audientium, tum noſtras Deo offerimus.* *Grego. Naz.* *Iccirco Gregorius Nazianzenus uerbum Dei ſacrifi-*

ficium Deo gratiſsimum & ipſe appellat, domeſticum donum, auro purius, gemmis pretioſius, purpura ſplendidius, ſacrificio legali ſanctius, primogenitorum primitijs ſacratius Deo ſuper uitulum nouellum, ſuper timiama, ſuper holocauſta, ſuper agnorum pinguium millia ſacratius, & acceptius. Hoc ſacrificium ideo uoluntarium appellat, quod hilari, libétiq; animo illud Deo iuraſſet. Voluntarium quoque ideo appellat, quod non hilari tantum animo, ſed libero etiam ore illud eſſet exhibiturus. Hoc itaque ſuum ſacrificium, ſeu potius ſacrificium oris ſui ut beneplacitum faciat Deus, orat. Beneplacitum autem illud facit dominus, quando quod docent, & prædicant Vates, charum id omnibus, & acceptum eſt. Cum verbo Dei oſtium aperitur, ut liberè, & abſque ullo impedimento currat, & clarificetur. Illud enim & D. Paulus Theſſ. monet, ut aſsiduis precibus poſtulent. Orat (inquit) vt ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud nos. Currit itaque, cũ proſperes, & felices ſucceſſus habet. Id quod miniſterio ſuo optat Pſaltes, cum dicit. Voluntaria oris mei beneplacita fac domine &c. 2. The. 3

ET IVDICIA TVA DOCE ME.

HOc unum ardentiſsimè optabat, & contendebat à Deo, ut qui alios eſſet docturus, et eruditurus, ipſe prius ab ipſo Deo erudiretur. Non.n.in hac diſciplina plures reperiuntur magiſtri, ſed unus tantum Deus eſt doctor, & magiſter illius. Qui ſine illo docet, aut non docebit, aut perperam docebit? Quamuis itaque præcedenti octonario affirmarit, ſe ſuper ſenes, & omnes docentes intellexiſſe, non dicit tamen ſe doctore Deo non egere, quinimmo dum cum illo agit, perſonam diſcipuli gerit, & Iudicia (inquit) tua doce me, Dei nanq; iudicia & oracula ſunt abyſſus multa, quæ nunquàm ſatis ſcrutari, ſatiſq; mirari poſſumus. O altitudo ſcientiæ, & ſapientiæ Dei (ait D. Paulus) quàm in comprehenſibilia ſunt iudicia eius.

ANIMA MEA IN MANIBVS MEIS SEMPER, ET LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

VAriè hæc legunt interpretes. Alij.n. legunt. Anima mea in manibus meis. Alij uerò, in manibus tuis. Et D. Hieronymus græcã æditionẽ corruptam eſſe dicit: legi autem debere, in manibus tuis. Id quod etiam ſibi explanandum dicit D. Ambroſius, quam uis primam interpretationem non taceat, ſed in hũc

mo-

modum interpretatur. Quamuis in periculis poſitus (dicit iuſtus ad dominũ) propter te quotidie morior, quotidie periclitor, periclitor ab inſidiatore, periclitor ab obtrectatoribus, periclitor ab his, quos arguo, quos reuinco, periclitor pro veritate, atque iuſtitia, propterea in manibus meis anima mea: ego tamẽ nec periculis territus tuæ legis oblitus ſum. Hæc ille. D. autem Auguſtinus ingenuè fatetur, ſe ignorare, quomodo intelligatur, Anima mea in manibus meis: varie ſe torquet, & primam ſectatur, quæ cum ſit iuxta hebraicam æditionem, & iuxta veritatem ſeptuaginta interpretum, & uulgatæ æditionis, iuxta D. Ambroſij ſententiam interpretanda eſt. Siquidem et Philippus presbyter D. Hieronymi auditor illud Iob 13. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis: hunc quoque verſiculum in eum ſenſum interpretatur. Ipſam (ait) vitam ſuam, quæ pro animæ uocabulo dici ſolet, portare ſe in manibus ſuis. Quod eſt, me iam nunc tormentis deficientem, animam exhalantem uelut efferendam porto in manibus. Hoc ſenſu & Prophetam arbitror dixiſſe ad Deum. Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus. Et eadem animi firmitate Iob dixit. Etiam ſi occiderit me dominus, ſperabo in eum. Et idem alibi. Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea: in

Philip. presb.

ſtificationemq́ meam, quam cœpi tenere, non deſerã. Hæc ille. Hunc quoque ſenſum ſequuntur hebræi interpretes, qui illud 2. Reg. 28. declarant. Ecce ancilla tua obediui uoci tuæ, & poſui animam meam in manu mea, ideſt, certiſſimo mortis periculo me obieci, ut tuæ obſequerer voluntati. Animam meam. i. uitam meam poſui in manu mea ad tumulum deferẽdam. Habere itaque animam ſuam in manibus, eſt promptum paratumq́ in ſingulas horas eſſe ad ipſam animam effundendam, & omni poſcenti, & auferre illam uolenti tribuere. Hoc eſt enim boni paſtoris, qui dat animam ſuam pro ouibus ſuis: quemadmodum de ſe quoque dicit D. Paulus. Quotidiè morior propter ueſtram gloriam. Quod nihil aliud eſt, quàm anima mea in manibus meis eſt ſemper. Qui & aliàs in actis Apoſt. Non ſolum (ait) alligari, ſed & mori paratus ſum in Hieruſalem. Et alibi. Animam meam non facio pretioſiorem, quàm meipſum, dummodo conſumem curſum meum, & miniſterium uerbi, quod accepi à domino. Quamuis itaque in terris nihil habeamus hac mortali uita præſtantius (cuncta enim (ait Iob) dabit homo pro anima ſua) ipſum tamen Dei uerbum, diuinaq́ Lex, & doctrina vitæ eſt anteponenda. Super ſalutem, & ſpeciem (ait Salomon) dilexi eã. Non modò igitur ſuper aurum, aut ſuper mel, ſed ſuper uitam ipſam lex domini auro pre

tio-

tioſior, & ſuauior melle diligenda eſt. Quòd ſi alterutra ſiue doctrina, ſiue uita amittenda ſit, ipſam uitam libentius morti obijciamus, quàm ut diuinã & cœlitus nobis traditam doctrinam deſeramus.

ET LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

SVperius uerbi miniſtros, ac doctores comparauimus mulieribus parturientibus: nam & eadem comparatione uti uidetur D. Paulus. Filioli (inquit ad Gal.) quos ego parturio, donec formetur Chriſtus in uobis. Proprium enim eſt parturientis, ut pro tuẽda uita ſui fœtus ſeipſa morti obijciat. Ita Vates cum diuini verbi ſemen concepiſſet in animo, ſuo huiuſmodi conceptui ita timet, ita tuetur, ut uri, ut ſecari libentius ſuum corpus patiatur, quàm abortum tam præclari fœtus ſui facere. Quod autem figurata locutione dicit, ſequenti uerſiculo planiore oratione declarabit.

POSVERVNT PECCATORES LAQVEVM MIHI, ET DE MANDATIS TVIS NON ERRAVI.

PEccatorum, ſeu potius impiorum laquei, quos pijs hominibus tendũt, inſidiæ eorũ ſunt, quas fictæ pietatis, & beneuolentiæ ſpecie prætexunt, ut uel eos in ſuã ipſorũ impietatẽ ꝑtrahãt, uel incautos eos opprimãt. Sũpta eſt aũt metaphora ab aucupibus, qui aui-

bus retia tẽdũt, ut eas irretiant, & capiãt, ſibilisq́; illas alliciunt. Hos itaque impii uerbi irriſores imitãtur, qui cum piorum ſanguinis ſitientiſſimi ſint, beneuolentiam tamen ſimulant erga eos, ut hac ſimulatione facilius fallant: quod ſi nequeant, ſpecioſam ſaltem nanciſcuntur inſectandi occaſionem. Huius generis laqueos perſæpe Saul, & illius aſſentatores Vati tetenderunt. Sed quoniam fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum, ab his comprehendi non potuit, ſed ſaluus, & incolumis ſemper euaſit.

ET DE MANDATIS TVIS NON ERRAVI.

HVc doli, & Sathanæ artes ſpectant, ut pios potiſſimum abſterreant à ſtudio diuinæ legis, ut confidant in nihili rebus. Quandiu enim in uerbo perſiſtunt, tanquàm in arce inexpugnabili ſuam ſalutem tuentes impijs ſunt infenſi. Vbi uerò à uerbo defecerint, mox malè cauti capiuntur, & omnibus ſuis uiribus ſpoliantur. Nam extra uerbum doli, ac technæ Sathanæ ubiq; occurſant. Standum igitur, & fundamento hoc innitendum, contra quod ne inferorum quidem portæ prãualebunt unquàm, ideſt quicquid acciderit in vtranque partem, ſiue boni, ſiue mali, omni cura eſt huiuſmodi ſtudio incumbendũ, quod ſe quoque feciſſe Vates teſtatur. Et de mandatis (inquit) tuis non erraui. Nihili fecit alio-

rum inſidias, nec ſinit animum ſuum ultionis cupiditate infici, ut malum pro malo regereret, ſed licet ſibi facta eſſet ulciſcendi poteſtas, ueritus tamẽ fuit in ſanctum domini manus inferre. Illud unicum erat ſuæ mentis propoſitum, vt Dei verbum ita retineret, ut rerum quarumcunq; chariſsimarum detrimentum facilius paſſurus eſſet, quàm vt uerbum ſibi excideret, & à diuina lege aberraret.

HAEREDITATE ACQVISIVI TESTIMONIA TVA IN AETERNVM, QVIA EXVLTATIO CORDIS MEI SVNT.

D. Hieronymus uertit. Hæreditas mea teſtimonia tua in ſempiternum, quia gaudium cordis mei ſunt. Iure itaque hæreditario diuina ad ſe teſtimonia dicit Pſaltes pertinere. Hæreditas autem uel ſucceſsione legitima, uel teſtamento alicuius ad nos redit. Vtroque autem iure hanc ad ſe hæreditatem redire aſſerit. Erat enim Iſraelita, & Iſraelitæ filius, ad quos diuina ædita fuerunt oracula. Cum itaque hebræus ex hebræis parentibus ortus eſſet, iure ſucceſſionis ad ipſum ipſa oracula pertinebant. Cum uerò à patribus eadem ſibi tradita, commendataq́; fuiſſent, ea filios, ac populum ſuum doceret, iure etiam teſtamentario ad ſe ſpectabant. Iure igitur dicere potuit. Hæreditas mea teſtimonia tua. Nec propte-

pterea ſuam aliquam iactat induſtriam, ut per eam hanc hæreditatem conſequeretur, ſed legitima ſucceßione ad ſe pertinere monſtrare uoluit. Moſis enim legem accepit à Deo, & Ioſue tradidit. Ioſue ſenioribus, ſeniores Prophetis, Prophetæ Viris magnæ ſynagogæ eandem tradidere, Ex his unus erat Samuel, Samuel uerò eandem Dauidi tradidit, Cum itaque dicat ſe diuina eloquia hæreditario iure poßidere, oſtendit eà non eſſe nuper excogitata, aut inuenta, neç omninò noua, ſed antiquißima, & æterna, quæ ab ipſa æternitate, & ab antiquis illis humani generis præceptoribus initium habeant. Hac ſiquidem in re uera doctrina à falſa dignoſcitur, quod illa antiqua ſit, & ab antiquis patribus, & præceptoribus ad poſteros ceu hæreditas quædam emanauerit. Hæc uerò noua à nouis hominibus ſit inuecta. Vera autem doctrina ut dignitate, ita etiam tempore falſam præcedit. Primum ſiquidem exijt, qui ſeminat bonum ſemen: mox uerò homo malus zizania, & infelix lolium ſuperſeminat. Vera itaque doctrina æterna eſt, & in æternum manet: falſa uerò temporanea. Omnis enim plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Nihil igitur moror impiorũ conatus, qui nihil omittunt, quo me ex huiuſmodi mea hæreditate depellant. Ea nãq; mihi ſempiterna manebit. Non regnum Iſraelis, non regias opes, non delitias

car-

carnis hæreditatem ſuam uocat, ſed diuinam legem: quam quidem luculentam hæreditatem & regno, & diuitijs omnibus anteponit: quòd hæc temporanea, illa uerò æterna eſt, & ſempiternam felicitatem ſe tenentibus donat.

QVIA EXVLTATIO CORDIS MEI SVNT.

QVoniam quæ uulgò bona appellantur, bona non ſunt: uera etiam, ſolidaq́ gaudia afferre non poſſunt animis noſtris, qui cum diuinitate quadam perfuſi ſint, ſola rerum diuinarum contemplatione lætantur, explenturq́. Iure itaq; Pſaltes diuina teſtimonia cordis ſui exultationem, & gaudium appellat: quia ea de eo, deq́ diuinis rebus nos erudiunt, in quibus contemplandis animus cœleſti cibo paſcitur ad immortalitatem, & diuinitatis particeps efficitur: qua una re mortali homini nihil beatius poteſt contingere.

INCLINAVI COR MEVM AD FACIENDAS IVSTIFICATIONES TVAS IN AETERNVM PROPTER RETRIBVTIONEM.

SVperius octonario ſexto, Inclina, dixit, cor meum in teſtimonia tua. Nunc uerò quaſi id uirtute ſua præſtiterit, Inclinaui, ait, cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum. Abſit à ſan-

à ſanctiſsimo uiro, ut quod diuini muneris eſt, id uiribus ſuis acceptum referat: quin potius, quod ſuperius orauit, id ſe exoraſſe teſtatur. Non dicit quidem; Inclinauit Deus cor meum, ſed ego inclinaui. Ita nanque ſuauiter agit Deus in homine, natura libero: ut quod ipſe agat, ea homo agere uideatur. Nã ſi homo peccato uitiatus cor ſuum ad malum ſemper propenſum ſuis uiribus ad bonum poſſet erigere, non utiq; oraret uir Dei. Inclina cor meum domine ad faciendas iuſtificationes. Quod ſi Deus ſolus ſine libera hominis uoluntate efficeret, non uti q; dixiſſet Dauid. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas. Homo itaq; diuina ope adiutus cor ſuum ad malum natura propenſum poteſt erigere ad faciendas iuſtificationes Dei in æternum. Tũc autem ad diuinas faciendas iuſtificationes cor inclinamus, cum omnes cordis cogitationes huc conuertimus, ut quæ ex diuina Lege percipimus, id opere quoque præſtemus.

PROPTER RETRIBVTIONEM.

D. Hieronymus uertit. Propter æternam retributionem. Alij uerò, Vſq; in finem, interpretantur. עקב finem, ſed per translationem Retributionem quoque ſignificat: quòd uidelicet ea ſit exhibiti operis finis. Pſaltes itaque nequaquàm ſpectat temporaneã mer-

mercedem, ſed in æternam retributionem defixis oculis cor ſuum ad diuinas iuſtificationes inclinauit, & ſpe immortalitatis diuinæ legis ſtudioſis propoſitæ, illud ſuſtentat. Quemadmodũ et dominus noſter Ieſus Chriſtus propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, & iubet ſuæ diſciplinæ alumnos malis, & inſectationibus lætari. Gaudete (inquit) et exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt in cælis. Hæc ea eſt retributio, de qua agit Pſaltes, quæ diuinarum legum cultores in cœlis manet ſempiterna, q̃ reddet illis iuſtus iudex. Amen.

SAMEC. ס

VERBVM *Dei non lucernæ tantũmodo nobis uicẽ, ſed & baculi fulcimentũm præſtat, quo imbecillitatem noſtram in huius uitæ peregrinatione ſuſtentemus. Homo nanq; natura caducus, niſi fulciatur, labaſcit, & ad terram fertur. Verbum aũt Dei labentẽ ſuſtinet, nec labi permittit. Id quod hoc octonario docet Pſaltes ſub littera Samec, quæ fulcire, ſeu ſuſtentare, & opem ferre labenti ſignificat. Nulla .n. ratione uerbum Dei, & doctrina ipſius longè, latèq́; propagari poterat: niſi miniſtri, & doctores illius diuina uirtute, quaſi baculo ſuſtentarentur aduerſus hoſtes doctrinæ huius.*

Ini-

INIQVOS ODIO HABVI, ET LEGEM TVAM DILEXI.

VOx hebraica, quam interpres uertit iniquos, quæ eſt סעפים D. Hieronymus tumultuoſos interpretatur. Sed propriè cuiuslibet rei ſublimitates ſignificat: ut puta in arboribus, ramos eminentiores: in terra rupes: in hominibus dignitate, & authoritate maiores, & ſublimiores; in homine ipſo rerum ſublimium cogitationes. Cum itaque hæc uox ad homines referatur, eos potiſsimum ſignificat, qui in ſublimitate conſtituti ſublimia cogitant. Propterea Chaldæus paraphraſtes hunc locum ſic uertit. Illos, qui cogitant cogitationes inanes, et infructuoſas, odio habui. Cui interpretationi aſtipulatur Rab Salomon, qui ſic uertit. Cogitantes cogitationes iniquas odio habui. Iniquos ergo eos appellat, qui diuitijs, & ſapientia huius mundi turgidi, atque elati ſublimia ſibi ſapere uidentur, & ea ſublimibus uer-
1.Tim.6 bis effantur. De quibus D. Paulus. Præcipit diuitibus huius ſeculi, non ſublime ſapere. Quorum cogitationes omnes iniquas eſſe dicit Vates. Obſcuratum eſt enim (ait D. Paulus) inſipiens cor eorum, &
Rom.1. dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & euanuerunt in cogitationibus ſuis. Quid enim uanius, aut inſipientius, quàm quæ de Deo, de diuinisq; rebus ex

cogitarunt, ſcripſeruntq́, qui ſe cæteris ſapientiores, atque ſublimiores iudicāt? Propterea D. Paulus humanam Philoſophiam inanem fallaciam appellat, à qua cauendam ſit. Videte (inquit) ne quis uos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecūdum elementa mūdi, & non ſecundum Chriſtum. Et aliàs hos taxans ait. Nemo uos ſeducat in ſublimitate ſermonum. Quibus ſanè uerbis admonemur, tunc huiuſmodi homines cum ſua doctrina odio eſſe habendos, nempè cū illam diuinæ legi anteferre uolunt, & Dei legem ob ſuam ruditatem, & barbariem derident. Tunc (inquam) odio eſt habenda, non certè ut è medio tollatur, ſed ut meretriculæ inſtar fugiatur. Hanc plærique uerborum lenocinio, ac ſententiarum fuci illecti admirantur. Adde quòd profiteatur hominem ſui cultorem, ſibiq́ fidentem ad beatam uitam ſe poſſe deducere. Diuinam uerò legem, cum nullo niteat uerborum cultu, contemnāt: cum id præſertim agat, ut hominis arrogantiam retundat, & ad ſui deſperationē impellat, & diuinæ tantum miſericordiæ perfugium deſperatis relinquat. Coloſ. 2.

ET LEGEM TVAM DILEXI.

CVm diuina lex ſimpliciſſima ſit, & ab omni fuco aliena: pulchra, & amabilis eſt. Ideo Dauid hanc

hanc ipſam ſummopere amabat, nec alterius cuiuſquàm rei cupiditate ſuus flagrare animus poterat. Regnum, imperium, diuitias, honores omnes præ huius amore ſpernebat: humanas diſciplinas in comparatione illius nihili faciebat, ſed totum ſuum amorem in eam tranſtulerat.

ADIVTOR, ET SVSCEPTOR MEVS ES TV, ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI.

HEbraica editio habet. Latibulum, & ſcutum meum es tu. Et D. Hieronymus uertit. Protectio mea, & ſcutum meum es tu. Sed interpres metaphoricam locutionem explicans uertit. Adiutor, & ſuſceptor meus es tu. Adiutorem enim & protectorem illius ſe exhibet Deus, cui ſe perfugij loco præſtat; illius partes adiuuat, contorta in illũ iniuriarũ tela in ſe quaſi ſcutum excipit. Iccirco Vates Deum latibulum ſuum appellat, quòd ad ipſum fide, & ſpe confugiens, ab hoſtium iniurijs ſit tutiſſimus. Latibulum quoq; ſuum Deum appellat, quòd penes ipſum maximum habeat præſidium, hoſtibus incognitum. Ecce (aiunt) homo, qui ſperauit in domino, & poſuit Deũ adiutorem ſuum. Hæc autem ridendum in modum effutiunt impij, quòd nihil omnino præſidij pijs apud Deum eſſe credunt. Sed illis ſe uice latibuli præſtat Deus, quãdo uijs hoſtibus inexploratis pios ab illorũ

oppreſ-

oppreſsione, & tyrannide tuetur, & in medio inimicorum regnare eos facit. Quod quàm ſæpe cum Dauide egerit Deus, ex illius hyſtoria uidere eſt: cui ſe tanquã ſcutum præbuit, quando apertiſsimis argumentis declarauit, quomodo erga ipſum eſſet affectus, cum facilè perſpici poſſet, quòd Dei manus eſſet cũ illo, & quòd diuina eſſet uirtute ſeruatus. Quòd igitur hoſtilẽ manum effugerit, diuinæ protectioni aſcribit: qua factum quoque eſt, ut in ſuo ſtudio uerſari ſine interpellatione potuerit.

ET IN VERBVM TVVM SVPERSPERAVI.

VErbum tuum expectaui, uertit D. Hieronymus. Sed interpres uim uerbi explicans, uertit. Et in uerbum tuum ſuperſperaui. Nam qui cunctantem expectat, magna profectò ſpe ſuſtentatur, & ſuperſperare uidetur. Videtur quidem Deus tardare in ferendo pijs auxilio, immo nolle auxiliari, ſed non propterea deſpondendus eſt animus, ſed patienter eſt expectandum, & in uerbum illius ſuperſperandum, ideſt maior tunc eſt fides adhibenda, cum rerum aduerſarum ſpecies magis deſperationem ſuadet. Quod Abraham credentium pater ſuo nos exemplo docuit, qui in ſpem contra ſpem credidit, ideſt ſuperſperauit, & quod credidit, fide, et patientia eſt conſecutus. Reges alij in opibus, & copijs, in multitudine equitum, & exercitus

firmitate ſpem ponunt. Vates uerò in Dei uerbum ſuperſperauit, nec humana auxilia ſpectauit, diuino præſidio firmatus.

DECLINATE A ME MALIGNI, ET SCRVTABOR MANDATA DEI MEI.

SVperbos illos ſublimes ſublimia cogitantes, & ſapientes hinc malignos appellat, homines ſcilicet mente corruptos, & reprobos circa fidem. Qui quamuis interdum ſanctitatem ſimulent, mali tamē perpetuò ſunt, & diaboli patris ſui ingenium referunt. Qui diuinam Legem aſpernantur, ſuas ſententias, ſuasq́ue cogitationes admirantur, ſectanturq́ue; & eas magnificè iactant. Quod quidem hominum genus peſtilētiſsimum fugiendum eſt, nec ulla cum his habenda cōſuetudo. Corrumpunt enim mores colloquia eorum mala. Qui enim tangit picem inquinabitur ab ea. Cum itaque huiuſmodi homines Vati eſſent impedimento, quominus in legis ſtudio proficeret: eos à ſe procul abeſſe iubet. Nouerat.n. ſanctiſsimus Pſaltes nihil ſibi nocentius poſſe contingere, quàm conſuetudinem eorum, qui ſanctitatis ſimulatione nos à verbo Dei nituntur auertere.

ET SCRVTABOR MANDATA DEI MEI.

PRauus ſocius eſt (ait Ariſt.) qui impedit commu

ne bonum. Propterea cõſuetudo illius nobis deuitanda eſt, qui tantum bonum nobis impedit, nempè ſtudium uerbi Dei. Amicis (ait ille) uſque ad aras vtendum eſt. Eorum gratia minimè violãdum eſt ius, minimè violanda religio. valeãt igitur, & procul ab ſint, quorum cauſa & iuris, & religionis fundamẽtũ deſerendum eſt. Non hos ego amicos, ſed inimicos appellabo. Dei amicitia nobis in primis eſt ſanctè colenda, quam ut diuino hoc ſtudio nobis conciliamus, eodem quoque ſeruanda eſt. Scrutatur autem diuina mandata, qui toto pectore incumbit, ut ea ſeruet in omni uita.

SVSCIPE ME SECVNDVM ELOQVIVM TVVM, ET VIVAM, ET NON CONFVNDAS ME AB EXPECTATIONE MEA.

Confirma me, legit D. Hieronymus, & utitur uerbo סמך *à quo hæc littera nuncupatur Samec, quæ cœlitus confirmare, ſeu fulcire ſignificat, quod ſua natura ruit. Vates itaque ſuæ imbecillitatis, & hoſtium ſuorum potentiæ conſcius, orat, vt ipſe Deus ſeſe vndiq; fulciat, ne eorum vi impulſus labatur, & corrnat, ſed vt potius in ſancto ſuo inſtituto perſeuerare poſſit. Propterea in hebræo legitur. Confirma me in verbis tuis, ſeu in verbo tuo, non autem ſecundum*

felicitate miſerias conſequentur, quicunq; ea extra verbum Dei ſperant, & expectant.

ADIVVA ME, ET SALVVS ERO, ET MEDITABOR IN IVSTIFICATIONIBVS SEMPER.

EAndem ferè ſignificationẽ habet verbũ, סעד quod סמך ſignificat nanq; laſſum aliquem cibo, & potu reficere, & aflictas uires recreare, iuxta illud. Panis cor hominis confirmat. Petit itaq; ita ſe cõfirmari Pſ. 103.
à Deo in ſanctiſſimo ſui animi propoſito, ut nũquàm immutari poſſit. Sentit enim ſibi de ſua ſalute eſſe penitus deſperandum, ſi diuina ope deſtituatur. Quàm autem de ſe humiliter ſentiat, hac prècatione declarat. Non enim ſe confirmari peteret, niſi ſua imbecillitatis conſcientia terreretur. ſuis itaq; uiribus penitus diffidens, omnem ſpem ſuam in Dei benignitate locat.

ET MEDITABOR IN MANDATIS TVIS SEMPER.

ILlud eſt certiſſimum æternæ noſtræ ſalutis argumẽtum, ſi aſſidua cœleſtis diſciplinæ meditatione delectemur, & in ea ut in conſtituta nobis palæſtra exerceamur. Implorata itaq; diuina ope dicens, ſaluus ero. ſubdit. Et meditabor in mandatis tuis ſemper, ut

שוגים *inconſideratè, & ignoranter peccantes ſignificat, ſicut Saul: ipſe erraſſe uidetur: qui tamen excuſabiles omnino non ſunt, quia omnis ignorans malus. Ignorantia (ait Diuus Cyprianus) excuſat, antequàm veritas reueletur. ſed ipſa patefacta ſine venia peccat, qui in illa peccat. Siquidem nec hi erunt excuſabiles, qui aliquando dicturi ſunt. Quando te uidimus eſurientem? His enim dicitur. Amen dico vobis, neſcio uos. quia omnis ignorans ignorabitur. Nemo itaque putet ſe excuſatum iri, ſi ob ignorantiam diuinæ Legis errauerit, quia ſcriptum eſt. Conculcabis ignorantes omnes.*

QVONIAM INIVSTA COGITATIO EORVM.

QVia *mendax cogitatio eorum, uertit Diuus Hieronymus. Vox hebraica* תרמה *dolum, & fallaciam ſignificat, qua quis alteri, & ſibiipſe imponit, cor ſuum ſeducens, & de ignorantia ſibi applaudens. Hinc itaque ait Vates. Eſt ignorantium damnatio, quòd eorum mens, & animus dolo, & fallacia ſit corruptus, maluntq; falli, quàm doceri; & magis de ſua ignorantia diuinæ Legis, quàm de cognitione ipſius gloriantur. Hinc (ait dominus) iudicium eſt mundi, quia di-*

lexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Lux eſt uerbum Dei, ut ſuperius declaratum eſt. Qui ad eam non venit, ſed tenebris ignorantiæ magis gaudet, nullo pacto excuſari poteſt: quia mendax, & doloſa eſt cogitatio eorum. Quaſi diceret. Si ſimpliciter errarent, aliqua profectò digni excuſatione uiderentur: ſed quia uolentes errant, damnationis rei habentur. Ideo conculcabuntur, & in exteriores tenebras conijcientur, poſtquàm interiores ſectati ſunt.

PREVARICANTES REPVTAVI OMNES PECCATORES TERRAE. IDEO DILEXI TESTIMONIA TVA.

HEbraica æditio, & D. Hieronymus legit in ſecũda perſona. Reputaſti, ſiue exiſtimaſti quaſi ſcoriam omnes peccatores terræ סיגים *fæces, ſeu ſcoriam ſonat. Hi ſunt, quos ſupra elatos, malignos & inconſideratos ſeu ignorantes appellauit. Qui licet velut aurum in pretio habeantur ab hominibus, à Deo certè inſtar fæcis, ac ſcoriæ iudicantur. Quod enim altum eſt hominibus, abominatio eſt Deo. Quo loco itaq; habeantur uerbi Dei cõtemptores oſtendit, cum dicit. Reputaſti impios terræ veluti ſcoriam. Impios autẽ ideo terræ appellat, quòd in terra dominẽtur, ꝙ rebus*

terrenis addicti ſint, et in illis comparandis ſe totos occupent, diuinis contemptis. Hi itaq; ceu res, quæ nullius ſunt uſus, habentur, nempè faces, & ſcoriæ. Ideo in ignem conijciendi. Propterea his olim dicturus eſt Chriſtus. Ite maledicti in ignem æternum. Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. Ligatis manibus, & pedibus proijcite eos in tenebras exteriores. Neq; tantum in iudicij diem reiectum eſt horum ſupplicium, ſed in hoc quoque ſeculo dedecore afficientur à Deo, ut quales hi reuera ſint nempè fax, & ſcoria, tales unuſquiſque eos agnoſcat.

IDEO DILEXI TESTIMONIA TVA.

SI diuinæ legis contemptores à Deo dedecore afficiuntur, ut contemptiſſimis rebus comparentur: illud certè uerum eſt, quod honorificentiſſimè habiturus eſt eos Deus, qui poſthabito ſtudio terrenarum rerum, diuinis ſcrutandis legibus ſe ſe dicant. Quare unuſquiſque cœleſtem hanc diſciplinam uehementer amare, eaq; mirificè delectari debet: quando ſuis cultoribus id habeatur honoris, ut non faci, aut ſcoriæ ſed puriſſimo auro à Deo comparentur: & conſilium Vatis ſequantur, qui ſibi propoſuit diuinas leges in omni uita amandas, & ſummo ſtudio ſectandas eſſe.

Hoc

ſcribit Moſes. Nolite timere ait. Vt enim pro- Exo.20
baret uos, uenit dominus, & vt timor illius eſſet in uobis. Dicens itaque, Nolite timere, timorem ſugillat, quem ab incredulitate exorientem charitas foras emittit. Cum verò dicit, Vt timor illius eſſet in vobis, docet timorem ſanctum ex fide egredientem. De quo quidem timore hoc loco loquitur Vates, Propterea non ſimpliciter dicit. Confige timore carnes meas, ſed addit, tuo: ut ſignificet tum timorem non eſſe à Deo, qui non confirmat infirmam noſtram carnem in veritate, & cognitione verbi Dei. Nam huiuſmodi timor ex hominibus potius eſt, & ab ipſamet carne: Siquidem ſanctus Dei timor ita nos confirmat, vt nihil ſit, quod nos à Deo poſſit abſtrahere. Carnes uerò intelligit eam noſtri partem, quæ peccato vitiata eſt, & Deo rebellis, quæ legi Dei non eſt ſubiecta. Hæc nulla alia ratione magis coercetur, & Deo ſubijcitur, quàm timore Dei.

A IVDICIIS ENIM TVIS TIMVI.

SVperiori uerſiculo dixit Vates. Teſtimonia tua intellexi. Quod de ipſa lege (vt aliàs quoque) nterpretati ſumus. Hic autem de eadem loquens

ait.

ait. A iudicij tuis timui. Seu (ut vertit Diuus Hieronymus) Iudicia tua timui. Eſt enim ſoliciti plena timoris res amor. Amor nanque niſi timore cohibeatur, in laſciuiam quandam progreditur. Timor uerò niſi amore temperetur, puſillanimitatem parit. Amanda itaque, & timenda eſt diuina Lex, quæ vt ſui cultoribus bona maxima pollicetur, ita deſertoribus, & contemptoribus grauiſsima ſupplicia minatur. Propterea mirum non eſt, quod qui ſuperius dixit. Legem tuam dilexi. idem ſe eandem timuiſſe affirmet. Obſeruandum eſt autem, quòd quemadmodum Deo acceptum refert, quòd diuinam Legem amaret: ita quòd eam conſtanter retinuerit, eidem aſcribit. A Iudicijs tuis (inquit) timui, id eſt ipſa diuina Lex tua ſummum mihi timorem in-
Deut. 4. *cuſsit. Congrega (ait dominus Moſi) populum, ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me omni tempore, quo uiuunt ſuper terram. Ex auditu itaque, & ſtudio uerbi Dei non amor tantum, ſed timor etiam cum amore coniunctus proficiſcitur, quo caro noſtra imbecillis confirmatur.*

Epilog. *Qui itaque Deum ex animo diligit, timet: amore, & timore confirmatus, iniquos odio habet: nec eos timet, qui corpus poſſunt occidere*

&

& poſthac non habent amplius, quid faciãt. Hic enim Deum habet pro latibulo, & protectore. Propterea cõfirmatus, cõtemptis impiorũ conatibus, in uerbo Dei conquieſcit, certus fore, ut quicunq; legem Dei contempſerint, contemnantur & ipſi à Deo, & uelut fex, & ſcoria proijciantur. Supplex itaq; petit, ut in hoc animi ſui propoſito ita confirmetur metu quodam, ac reuerentia ipſius Dei, ut nunquàm immutetur, ſed in uerbi ſtudio perſeueret.

Hain. ע

HAIN oculus eſt. Oculus autem ipſum Deum omnia proſpicientem, & intuentem, & ipſum ẽt Dei verbum (ut ait Philo) per quod omnia ſpectatu digna cognoſcuntur: nec non Dei iuſtitiam (ut ait Chryſippus) ſignificat. Quia (ut ait Plato 9. de legib.) antiqui Sacerdotes iuſtitiam omnium ſpeculatricẽ, & uindicem per oculum docebant, ꝙ qui rectè iudicaturus ſit, oculos ab honeſto flectere non debet, ſed illos in ipſum Deum tãtum, atq; in uerbum illius defixos tenere. Chryſippus .n. quem ſupra nominaui, iuſtitiæ oculos acres, intentos, atq; immotos facit. De hac itaque hoc octonario tractat Vates, & qua ratione ſe in ea præſtanda habuerit, declarat.

ſtantiæ eſt ipſi aßignandum, q̃ ita de ſe prædicet, & quaſi iuſtitiæ commendatione ſe efferat. Nam ſi ſibi-ipſe placeret, cum Phariſæo illo ſuam iuſtitiam iactã te reprobatus fuiſſet. Verum iuſtitiam ſuam, & merita propria efferens diuinam erga ſe gratiam ingenuè confitetur, à qua ceu uberrimo omnium bonorum fonte id ad ſe muneris proficiſcebatur, ut iuſtitiam, ac iudicium faceret. Nam ipſe per ſe humilis ſemper fuit, ac de ſe ſemper humiliter ſenſit.

NE TRADAS ME CALVMNIANTIBVS ME.

עשוקים *appellantur, qui ſubdolè, & occultè aliorum bona occupant, & ſibi uſurpant. Ex quorum numero cũ calumniatores, & obtrectatores ſint, qui ex aliorum vituperatione ſibi laudem comparant, eos interpres calumniatores interpretatus eſt. Cum uerò hoc diceret, reſpiciebat in Saulem, & complices illius, qui eũ capitali odio ſectabantur, & conuitijs onerabant, ipſiusq́ laudem, & omnia bona ad ſeipſi pertrahebant, & ipſum obſcurum, & inglorium reddere conabantur. Ne his itaque tradatur, & perditis eorum conatibus permittatur, orat. Quod tunc potiſſimum fit, cum quid pij turpiter faciunt, quod oblatrandi his occaſionem præbent: Quod Vati accidit. cũ adulterij ſeſe fœda libidine, & innocentis Vriæ ſanguine contaminauit. Quod ne aliquando ſibi acci-*

deret

tum, ſuperabundauit & gratia, atque in his oſtende re omnem patientiam ad inſtructionem eorũ, qui cre dituri erant, ut ſcirent, quantũ de diuina ſibi clemen ti a polliceri poſſent, quando toto animo ſeſe ad Deũ conuerterint. Petit itaq; perſeuerantiam in uia, & in ſtituto curſu iuſtitiæ: ne ſi quando de eo deflexerit, ca lumniatores nanciſcantur iuſtam occaſionem calum niandi, & obtrectandi non modò Dauidem, ſed in eo pietatem, & pietatis doctrinam.

SVSCIPE SERVVM TVVM IN BONVM. NON CA LVMNIANTVR ME SVPERBI.

SVperiori octonario ubi ait, Suſcipe me ſecundum eloquium tuum. ibi hebraica æditio habet, סמכני *quod confirmare, & fulcire aliquid ſignificat. Hic uerò cum dicit, Suſcipe ſeruum tuum in bonum. eſt uerbum* ערב *quod propriè fideiubere, & pro alio ſponde re ſignificat. Quod ideo uerbo Suſcipere reddidit in-terpres, quòd qui pro alio ſpondet, illum ſe in fidem re cipere uidetur. In hunc ſenſum uſus eſt hoc uerbo Iu das. Gen. 43. 44. ſe pro Beniamino uadem conſtituẽs. Suſcipio (inquit) puerum: de manũ mea require illũ, niſi reduxero. Et rurſus. Ego ſeruus tuus, qui in meã hunc recepi fidem, & ſpopondi. Idem itaque erit, Su-ſcipe ſeruum tuum in bonum, quod Sponde pro ſeruo tuo ad bonũ. Sic enim & D. Hieronymus uertit. Ad*

bonum itaq;.i.ad ipſam iuſtitiam & iudicium faciẽdum Deum fideiuſſorem, & ſponſorẽ ſibi adhibet Vates; quia non ſat ſibi uirium eſſe intelligit, quibus quæ pollicitus ſit, re præſtare uſq; in finem poßit. Ideo ſupplex orat Deum, ut ſuam ſuſtineat perſonam, & partes ſuas ita ſuſcipiat, ut cum ſibi ſoluendo non ſit, ille pro ſe ſoluat, ut faciat, ut in preceptis eius ambulet. Ad malum quidem nec impulſore, nec ſponſore ullo indigemus. Ad id enim plus nimio noſtris uiribus ualemus. Ad bonum uerò infirmißimi ſumus. Propterea niſi pro nobis Deus ſpondeat, & exoluat, omnino actum erit de nobis. Spondet autem Deus cum dicit. Faciam, vt faciatis, & in præceptis meis ambuletis. Quod & reipſa præſtabit, præſertim ſi id in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ab eo contenderimus dicentes. Suſcipe ſeruum tuum in bonum, Non enim pro omnibus ſpõdet, aut fideiubet Deus, ſed pro ſeruis ſuis tantùm modo, pro illis inquam, qui in ſanctitate, & iuſtitia ipſi ſeruiunt omnibus diebus ſuis, quibus omnia cooperantur in bonum.

NON CALVMNIENTVR ME SVPERBI.

SVperius octonario ſeptimo ſuper illud, ſuperbi iniquè agebant vſquequaque, quid ſignificet uox זדים declarauimus, ſuperbos ſcilicet, & elatos illos, qui ſe, & ſua admirantes cæteros contemnunt: qui etiam tã

tum ſibi arrogant, ut aliorum bona occupare impune ſe poſſe arbitrentur. Hi itaq; ſuperbi id iuſtitiæ, & ſanctitatis nomen ſibi uendicent, illud alijs non concedunt, ut ſoli iuſti, ac ſancti uideantur. Eos uerò qui iuſtitia, & ſanctitate præditi ſunt, opprimere calumnijs conantur, & hac ratione eorum bona diripere uidentur. Quod ne illis contingat, orat Pſaltes. Tu (inquit) ò Deus ſponde pro ſeruo tuo in bonum, neq; patiare, ut impij uerbi tui contemptores bonum meum mihi per oppreßionem eripiant. Quod certè facient, ſi permittas, ut à bono iuſtitiæ ad malum iniquitatis labar, & lapſus in eo perſeuerem. Quod certè non accidet, cum tu boni huius ſis certißimus author, & ſpõſor, qui quæ ſpopondiſti, ſumma fide præſtas, nec quenquàm, qui tuæ ſe fidei commiſerit, fraudari ſinis, ſed illum à malo iniquitatis ad bonum iuſtitiæ reuocas. Quia nemo rapiet oues tuas de manu tua, ſed potius bonum æternæ uitæ das eis.

OCVLI MEI DEFECERVNT IN SALVTARE TVVM, ET IN ELOQVIVM IVVM SVPERSPERAVI.

SVperius octonario undecimo hæc eadem fermè uerba retulit. Defecerunt (inquit) oculi mei ad eloquium tuũ. Et rurſus. Defecit in ſalutare tuum anima mea. Vtrumq; autem complectitur hoc uerſiculo, ordine licet præpoſtero dicens. Oculi mei defecerunt

in ſalutare,tuum,& in eloquium iuſtitiæ tuæ. Quod certè non ideo repetit,quòd alias ſe idem dixiſſe ſit oblitus,aut quòd battologia delectetur,ſed eò potius, ut huiuſmodi repetitione hanc ſententiam infigat in animis noſtris.Duo hæc ſiquidem ſalutare Dei, & uerbũ Dei ſemper præ oculis fixa habere debemus. Quod aũt de oculis dicimus, id de animo,& mente, quorum ipſi imago ſunt, intelligimus. Theophraſtus formam, & quaſi alterum hominis animum oculum appellat. Nam & ſapientes plærique animum in oculis habitare dixerunt. Quod igitur de oculis ſuis dicit, id de mente, & animo ſuo intelligit, quos ad ſalutare Dei, & ad eloquium illius intentos ſemper habebat, ut in illis ipſam aciem, ipſamque oculorum uim inſumeret. Verbum enim hebraicum כלה *aliquid conſumare, & perficere ſignificat. Per hunc igitur conſumatum obtutum oculorum ſuorum in ſalutare Dei, & in eloquium eius, innuit firmitatem fidei in ipſum Meßiam, qui ſalutare Dei, ſiue ſalus antonomaſticè appellatur. Diligentiam item, & aßiduitatem in ſtudio uerbi declarat. In his enim potißimum omnium ſalus poſita eſt, quandoquidem per unicum ſuum filium ſeruat mũdum Deus,iuxta illud Oſeæ.In domino ſaluabitur Iſrael ſalute æterna. Fecerat quidem Dauid iudicium,& iuſtitiam,ſed ne quis ipſũ arbi-*

traretur hæc ideo iactaſſe, quaſi animi ſui fiduciam in ſua iuſtitia poneret, addit. Oculi mei defecerũt in ſalutare tuum. Quaſi diceret. Omni quidem diligentia curaui, ne quid, quod diuina Lex præcipiat, præterirem, at non in huiuſmodi re conquieſcit animus meus. Sed mẽtis oculos altius ſuſtuli, maiora præſidia ſpectaui, nempè ſalutare tuum, in quo fixam mentis aciem tenebo ſemper, nec aliud quicquam ſpectabo, quo ſalus mea nitatur. ſic enim docet Pſaltes, poſtq̃ omnia fecerimus, ut non in nobis, ſed in Chriſto ſalutari Deo gloriemur.

ET IN ELOQVIVM IVSTITIAE TVAE:

QVamuis generatim iuſtitiæ eloquiũ ſit ipſa Dei doctrina, & lex: in ſpecie tamen doctrinam Euãgelij, quæ iuſtitiæ, & fidei uerbũ appellatur, ſignificat. Propterea ꝙ per illam ſuam nobis iuſtitiam patefaciat, & impertiat Deus, & nos in oculis ſuis iuſtos efficiat æterna iuſtitia. In hoc itaq; euangelij uerbum non ſecus, ac in ipſum Meßiam fidei oculi ſunt defigendi, quando teſte D. Paulo, uirtus Dei ſit in ſalutem omni credenti.

FAC CVM SERVO TVO SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM, ET IVSTIFICATIONES TVAS DOCE ME.

SErui aut natura, aut iure gentium ſunt: illiusq̃

ſerui eſſe dicuntur, qui cum poſſet eos occidere, ſeruauit, & ſuo ipſius ſeruitio mancipauit. Vnde etiã mancipia, quaſi manu capti dicuntur. Natura autem Pſaltes ſe Dei ſeruum appellat, quòd ex ancilla Dei ortus eſſet. O domine (ait) ego ſeruus tuus, et filius ancillæ tuæ. Iure etiam gentium Dei ſeruus orat, qui cũ ipſum ob ſua delicta poſſet occidere, ſeruauit. Quod ſuperiori octonario cecinit. Adiuua me (inquit) & ſaluus ero. Cum itaq; ſe ab ipſo Deo ſeruatum, & illius ſeruitio ſe mancipatum eſſe intelligeret, precatur, ut ſecum faciat ſecundum miſericordiam ſuam. Iudicia quidem, & iuſtitiam, & quæcunq; in lege ſibi mandata fuerant, fecerat: nihil tamen ſibi iccirco arrogat, ſed meritorum ſuorum, fidei, & ſpei oblitus diuinæ tantũ miſericordiæ reminiſcitur. Hanc unam arripit, hanc adducit in iudicium Dei pro omnibus meritis, & argumentis, quibus ſibi Deum propitium reddat. Se inutilem ſeruum Dei appellat, qui cum diuina benignitate ſeruatus ſit, & ipſius Dei ſeruitio mancipatus in eodem ſe ſeruari poſtulat, non certè ob ſua aliqua merita, ſed propter Dei miſericordiam. Cum uerò iſta precetur, oſtendit ſe conſcium eſſe humanæ fragilitatis. Quamuis enim iuſtitiam, & iudiciũ feciſſet: ſciebat tamen quàm in procliui eſſet, ut à recto huiuſmodi curriculo deflecteret, & ad iniquitatẽ laberetur. Quod paulopoſt ſuo maximo pe

riculo didicit. Auertiſti(ait) à me faciem tuam, & factus ſum couturbatus. Tanti itaq; periculi memor Fac (ait) ſecundum miſericordiam tuam cum ſeruo tuo. Quòd ſi aliquãdo deliquero, & à iuſtitiæ tramite diuertero: tu me ſalutari pænitẽtiæ remedio reuocato in rectã ſalutis uiã, ne quãdo in peccato ſecurè degã.

ET IVSTIFICATIONES TVAS DOCE ME.

SI iuſtus eſt, qui iuſtitiam, & iudicium facit, & in Seruatorẽ credit, profectò iuſtus erat Dauid, qui hæc omnia præſtitit, ut audiuimus. Verùm qui fit, vt iuſtus adhuc iuſtificationes requirat? vel quomodo iudicium, & iuſtitiam fecit; qui Dei iuſtificationes ignoret, & illas ſe doceri poſtulet? Hoc certè eſt iuſti ingenium, ut ſe in primis accuſet, iniuſtum agnoſcat & adhuc iuſtificari poſtulet. Qui.n. dicit, Diues ſũ, Apoc. 3 nullius egeo: ignorat ſe nudum, miſerum, & miſerabilem eſſe. At qui ſe humiliat, deijcit, & accuſat: hic à Deo erigetur, exaltabitur, & iuſtificabitur. Iuſtitiam, & iudicium fecerat, nondum tamẽ coràm Deo ſe perfectè iuſtum agnouerat: Iccirco diuinas iuſtificationes ſcire deſiderat, ut adhuc iuſtificatus gratia Dei; hæres ſit ſecundum ſpem vitæ æternæ.

SERVVS TVVS SVM EGO. DA MIHI INTELLECTVM, VT SCIAM TESTIMONIA TVA.

OMnis ſeruitus (ait Cicero) miſerrima eſt. Quæ ta-

tamẽ Deo exhibetur, beatiſsima eſt. Deo nanq; ſerui re, regnare eſt. Huius ſeruitutis iugũ ſuaue eſt: quin is ſolus uera utitur libertate, qui Deo ſeruit. Honeſtiſſimum itaq; eſt ſerui Dei nomẽ, quo ſe Pſaltes, et Rex illuſtriſsimus exornat. Sentiebat.n. ſe ad regiã dignitatẽ euectum, ut Deo maiorẽ in modũ ſeruiret. Seruus (ait) tuus ſum ego. Qđ certè nomẽ quãuis apud Deũ ſummo in honore habeatur: tamen non eo ſe effert iactabundus, ſed in oculis proprijs ſeſe abijcit, quẽadmodum & ſuperius fecit, dum ſe ſeruum inutilẽ appellauit, qui diuina miſericordia egeat, ne quid cõmittat, quod ſit tanti domini ſeruo indignum, ſed potius (ut fidelem ſeruum decet) ea tantùm cogitet, loquatur, & agat, quæ ad honorẽ domini ſui pertinere cognouerit. Hac una potisſimum cauſa ſe Dei ſeruum appellat in hoc Pſalmo, quẽ & ſerui nomine cõcludit. Quære (inquit) ſeruum tuum domine, quia mandata tua non ſum oblitus. Qua quidẽ ſerui repetitione ſibi reuocat in memoriã quæ ſui muneris ſunt, ut ea pſtare posſit.

DA MIHI INTELLECTVM, VT SCIAM TESTIMONIA TVA.

ILlud in primis ſeruorũ intereſt, ut dominorũ ſuorũ uoluntatẽ cognoſcant, q̃ per uerba uoluntatis indices manifeſtatur: quorum ſi minus ſtudioſi, & intelligentes ſint, dominorum uoluntati obſequi non poterunt, ſed potius contra eorum uoluntatem faciunt.

Cũ itaq; ſe Dei ſeruũ eſſe intelligat, ſẽtit ſua intereſſe, ut teſtimonia .i. uerba, & doctrinã domini recte percipiat, ut ex his uolũtatem ipſius cognoſcens, ad eam ſeſe attemperet, & illi ſedulo ſeruiat. Iccirco ait. Da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua, ut hinc diſcant omnes fruſtra ſibi nomen ſeruorum Dei uindicare, quicunq; diuina oracula, & doctrinam optimè non intelligant, & minus ea curant, et in ignorantiæ tenebris uerſantur: Cùm ſumma ope eſſet enitẽdũ, ut domini teſtimonia intelligant. Ad quæ certè intelligenda, & capeſſenda nequaquàm humano, cõmunique ſenſu opus eſt. Càligat ſiquidem humana mens, et noctuæ inſtar tanti ſplendoris radios intueri non ſuſtinet, qui ex uerbo Dei emittuntur: at nouo, ſupernaturali, cæleſtiq́; lumine opus eſt, ut teſtimonia domini percipere poſſimus. Ideo et D. Iacobus, ſi quis (inquit) indiget ſapiẽtia, poſtulet à Deo, in fide nihil hæſitans. Hoc Pſaltes facit, cum fidenter petit. Da mihi intellectum, ut ſciam teſtimonia tua ideſt, ut uerã & germanam tuæ diuinæ legis intelligentiam aſſequar tibi perpetuò ad illius normã, & præſcriptum ſeruiã.

TEMPUS FACIENDI DOMINE. DISSIPAVERUNT LEGEM TUAM.

TEmpus faciẽdi, tempus miſericordiæ per Meſſiã declarandæ ſignificat. Lex enim Moſis diſſipat,

occi-

occidit, nihilq́ ad perfectum adducit. Ita ſunt quidã in hunc ſenſum interpretati. Alij uerò, tempus diuinæ legis faciendæ, & diligenti ſtudio à pijs præſtandæ aduenisſe intelligunt: cum impij falſa doctrina, malis moribus, & artibus eam obruere, & delere nituntur. Sed Chaldæus Paraphraſtes tempus faciendi, tempus ultionis, et iræ Dei aduenisſe interpretatur, poſtquã diuina lex, & doctrina nullo in honore, nullo in pretio habetur. Nam cum ultionem minatur Deus hoſtibus ſuis, inquit per Ezechielem. Ego faciam in furore meo. Non parcet oculus meus, non miſerebor. Videbat enim Dauid, quàm non modò Saul Rex, ſed populus uniuerſus uerbum Dei, diuinamq́ legem deſeruiſſet, contempſiſſetq́. Sciebat item Deum tanti ſceleris impunitatem non laturum, quin ea potius mala omnia immiſſurum, quæ Moſes Deut. 28. interminatus fuerat contemptoribus legis. Ideo cum dolore, & lachrymis precatur. Tempus faciendi domine. Diſsipauerunt legem tuam. Conciſa eſt, & confuſa oratio cuiuſmodi ſolet eſſe oratio illius, qui perturbato, & uehementer commoto eſt animo: atque is uidetur eſſe uerborum ſenſus. Poſtquàm ego, meiq́ ſimiles obnixè contendimus, omnia fecimus, ut diuina tua lex, & doctrina impiorum ſtudijs obſcurata ſuæ luci reſtitueretur, et ſummo in honore haberetur: non tamen id efficere potuimus,

mus,ſed calumnijs potius affecti, & ſaturati opprobrijs ſumus. Quid ſupereſt, niſi ut tu facias? Nos prædicatione nihil profecimus, magnifica uerbi tui commendatione auerſum populum à lege tua reuocare non potuimus. Tempus eſt, tempus (inquam) eſt, ut tu in furore, ira, fame, peſte, & bello facias. Vtere domine poteſtate tua, & omnip.tentia, & impiorum aduerſus uerbum tuum ſeſe efferentium ſuperbiam retunde, poſtquàm noſtris diuturnis laboribus, tuaq; patientia ſunt abuſi.

DISSIPAVERVNT LEGEM TVAM.

SIgnificatur his uerbis diuinæ Legis contemptionẽ longè, lateq; in populum irrepſiſſe, quam (ut uide-
Hier.23 *re eſt apud Hieremiam) onus non ferendum appellabant. Nihil illa grauius, aut moleſtius exiſtimabant, qua certè una re nihil poteſt eſſe miſerius. Fit enim ex huiuſmodi legis contemptu, ut diuina mox vltio ſubſequatur. Iccirco dominus ſuper Hieruſalem fleuit, & futuram illius ciuitatis calamitatem prædixit. Si cognouiſſes, (inquit) & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, quæ nunc abſcondita ſunt ab oculis tuis. Ecce uenient dies in te, circundabunt te inimici tui uallo, proſternent te, & non relinquent lapidem ſuper lapidem eo, quòd non cognoueris tempus uiſitationis tuæ. Dies itaque illa dies iræ, & tem-*

tempus faciendi dom no ciuitati illi. Cum igitur tantum malorum populo ſuo imminere proſpiceret Pſaltes, cauſam aſsignat. Diſsipauerunt, inquit, legem tuam. Quaſi diceret. Meritò populus meus diſsipabitur, & ad internecionem redigetur, poſtq̃ diuinam Legem, qua nihil eſt ſanctius; nihil præſtantius, abiecerunt.

IDEO DILEXI MANDATA TVA SVPER AVRVM ET TOPACION.

R*Ex Saul, quiq; in populo principem locum obtinebant, diuinam Legem contemptui habebant, & ſui imitatione populum erudiebant in impietate: fiebatq;, vt David tantam amentiam meritò deploraret, & tantæ impietati debitas pœnas à Deo poſceret, cum diceret. Tempus faciendi domine. Diſsipauerunt legem tuam. At eorum exemplo nõ abductus unquàm fuit, ut eam cõtemneret, ſed ad eam magis, ac magis amandum, & ſectandum incitabatur. Illi ſpreta, deſertaq; diuina Lege auaritiæ ſtudebant, & in comparandis diuitijs ſe totos occupabant: at ego (ait) dilexi mandata tua ſuper aurum purgatiſsimum. Hanc omni auro pretioſiorem eſſe duxi, & ſuper omnem ſpeciem dilexi: in comparatione illius omne aurum exiguam harenam exiſtimaui: eoq; vehementius eam dilexi, quo ſtultius eam*

con-

contemni ab impijs animaduerti. Docet itaque ſe-ctandos non eſſe reges, & populi maiores in contemptu uerbi Dei, ſed illud maiori ſtudio amplectēdum & illi firmius inhærendum eſſe. Docet item ſtudium diuinæ legis omnibus prorſus diuitijs, quæ ſub auri nomine comprehenduntur, anteponendum eſſe, quæ beatum efficere hominem non poſſunt. Nam id diuino tantum uerbo relictum eſt. Beati, qui audiunt uerbum Dei. Octonario ſecundo, In uijs teſtimoniorum tuorum (ait) delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs. Nono item octonario, Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri, & argenti. Nunc uerò ait Super aurum purgaſiſsimum dilexi mādata tua. Obſeruandum eſt autem, quantum in ſtudio diuinæ legis charitate profecerit. In ea primum delectatus eſt, ſicut in omnibus diuitijs. Mox ulterius progrediens, ſuper millia auri, et argenti illam ſibi chariorem eſſe oſtendit. Nunc uerò nullo habito auri numero, et menſura teſtatur, ſe eam diligere ſuper omne aurum. Nā ea eſt omni purgatiſsimo auro purgatior, & omni argento candidior, omnibus deniq; diuitijs precioſior. Quod quamuis impij non uideant, ſed potius rideāt: id tamen pro certo habent pij. Propterea eam uehementiſsimè diligunt.

Pro-

PROPTEREA AD OMNIA MANDATA TVA DIRIGEBAR: OMNEM VIAM INIQVAM ODIO HABVI.

SI uulgatam, & communem æditionem ſequi malumus, his uerbis declarat, quem fructum ex ſtudio, & amore diuinæ Legis perceperit, nempè quod ad omnia illius mãdata dirigeretur. Charitas enim (ait D. Paulus) de corde puro, & fide non ficta eſt legis adimpletio. In hoc .n. verbo, Diliges, omnia inſtaurantur. Propterea (ait) Ad omnia mãdata tua dirigebar. Siquidem & Plato Amorem omnia audentem nũcupauit, quod nihil non experiatur, quippe qui omnia affectet, & omnia audeat. Propterea rectè ſenſiſſe uidentur, qui amorem in omnibus ad omnia eſſe omnium authorem, & ſeruatorem, & omnium habentem claues dixere. Nam ſi id naturalis, & Socraticus amor facit: quantò magis cœleſtis, diuinusq́; amor diriget, & impellet hominem ad omnia cœleſtia, diuinaq́; ſectanda? Hoc olim pollicitus fuit Deus per Hieremiã 31. Dabo legem meam in cordibus eorum. Quod ipſe tunc præſtat, cùm charitatem in animis noſtris ingenerat, ut dirigat pedes noſtros in uiam ſalutis æternæ. Sed hebraica æditio habet aliter. Legit .n. Propterea omnia mãdata omnium direxi. Et ſic ferè uertit D. Hieronymus. eſt enim ישרתי ideſt direxi, quod Rab.

Abra-

Abraham pro beatificaui, interpretatus eſt: dicitq́ loco: אשרתי ſcriptum eſſe, & eum ſenſum: Omnia manda ta tua omnium beatiſsima eſſe prædicaui, & beatos illos duxi, qui ea cuſtodiunt. Rab. uerò Himanuel uer bum direxi, pro recta eſſe prædicaui mandata tua, in terpretatur. Quòd autem dicit, Omnia præcepta om nium, uel legis præcepta communia eſſe, & ad omnes ſpectare docet, uel omnia præcepta omnium de quali- bet re tractantium præcepta intelligit, ſiue ea ſcripta ſint in lege, ſiue per manus tradita, & approbata cõſuetudine recepta. Cum itaq; diuinam Legem alij conculcarent, diſsiparentq́, ipſe non ſolùm eam dile xit, ſed rectam, et beatã eam rectos homines, beatosq́ facientẽ appellauit, & prædicauit: nec eã in uniuerſũ tantùm, aut aliquàm illius partem talẽ eſſe oſtendit, ſed omnia omnium quorumcunq; mandata talia eſ- ſe declarauit, ad quæ omnes quicunq; ſunt, ſiue Re- ges, ſiue principes, ſiue mas, ſiue fœmina, ſiue pauper, ſiue diues obligati tenẽtur. Propterea cũ diuinũ legẽ tantopere adamaſſet, illius laudes tacere non potuit.

OMNEM VIAM INIQVAM ODIO HABVI.

NEmo, ait dominus, poteſt duobus dominis ſerui- re. Aut. n. alterum diliget, & alterum odio habe
Math. 6. *bit: aut alterum odio habebit, & alterũ diliget. Itaq; cum diuina tãtum lex Vati placeret, id ſequebatur,*

ut

ut abijceret & contẽptui haberet, quicquid ei aduerſari uideretur, idq́; uiam iniquitatis appellat, ſeu mẽdacij; quandoquidem nulla alia uia, nulla ratio conſequendæ ſalutis oſtenditur, quàm quæ diuina nobis oſtenditur lege, extra quam mendacium, iniquitas, & exitium eſt. Ideo meritò habendum eſt odio quicquid diuinæ legi aut non conſentaneum, aut prorſus aduerſarium eſt. Hoc autem qui facit, iuſtitiam, et iudicium facit, & uerè Dei ſeruus eſt, & dici poteſt: cui Dominus mercedem pro meritis tribuat ſecundum ſuam miſericordiam &c.

PHE. ף

PHÆ Os eſt, et apud hebræos eſt pluralis numeri, i. Ora: ſic dictum, quòd labijs ſuperioribus, & inferioribus conſtet. Quod etiam pro ipſo uerbo accipitur: quia os organum eſt, quo formatur, & profertur uerbum. Propterea Num. 3. ſcriptum eſt. Viſitabit eos Moſes על פי יהוה in ore domini, ideſt in uerbo domini (ut habet uulgata æditio) iuxta ſermonem domini, Doctiſsimus ſiquidem Philo teſtatur Os ſignificare ſermonem domini ſecundo allegoriarum libro. Et antiqui Rab. cum illud Salomonis declarant, Oſculetur me oſculo oris ſui, ipſum oris oſculum interpretati ſunt uerbum Dei. Quando. n. dominus ad nos mittit uerbum ſuum, quaſi os ſuum ad os noſtrum

ad-

inter homines ſapientior fuerit, eo minus ſit ea aſſecutus, ſed omnium maximè ſit aſpernatus, & ea re ſe ſtultisſimum declarauit, qui Dei ſapientiam non agnouerit, nec Deum ipſum in ſua ſapientia glorificauerit. Quia ſcriptum eſt. Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Id quod potiſſimum declaratum eſt doctrina Euãgelij, quæ eſt maxima pars legis, quam mundi ſapientes ut ſtultitiam irriſere, & adhuc irrident, Non enim humanis ratiocinationibus metiri debemus diuinã doctrinam, quæ humanas omnes cogitationes, humanumq́; captum ſuperans, ſola fide ſpiritu Dei donata percipitur, miracula enim sũt illius teſtimonia. Per illa enim Deus ſeſe homini declarat, eumq́; ſuam ſapientiam edocet, iuſtificat, ſanctificat, & beatificat. Præterea cum nihil omnino faciat, aut unquàm fecerit Deus, quod uirtute uerbi ſui non fecerit: meritò uerbum ipſius miraculum appellatur, quo omnia miracula operetur Siquidem & Philo uerbum Dei librum uocat, in quo cæterarum rerum ſubſtantiæ inſcriptæ, & inſculptæ habentur, Verè itaque diuina teſtimonia mirabilia, ſeu potius miracula dixeris, ſi eorum authorem, ſi illorum uirtutem, ſi ſapientiam, & doctrinam, ſi idioma etiam, quo tradita ſunt, & eorũ conſeruationem diligenter conſideraueris. Quod ſequentibus uerbis ſe quoq; feciſſe Vates teſtatur.

IDEO SCRVTATA EST EA ANIMA MEA.

GEneratio praua,& adultera(ait dominus)ſigna & miracula(utiq; extra uerbum)quærit: quemadmodum diues ille Aſotus apud inferos. Mitte(inquit) Lazarum,aut aliquem ex mortuis,cui reſponſum fuit. Habent Moſen,et prophetas,audiant illos. Si enim Moſi,& prophetis non credunt,neque ſi aliquis ex mortuis reſurget,credent. Qua quidem ſententia declaratum eſt, uerbũ Dei maiora continere miracula,quàm quæ externè fiũt, quæ iccirco minus cognoſcuntur,quia uerbum Dei non auditur, nec obſeruatur. Qui itaq; admirabilẽ prorſus Dei uirtutẽ in diuinis teſtimonijs latentem perſpicere uult,ſumma animi attentione ea obſeruet,et diligenti conſideratione ſcrutetur,humanas,philoſophicasq; ratiocinationes reijciat. Sapiẽtia.n.carnis inimica eſt Deo. Sola anima à ſenſibus ſeiuncta in ſacrarium diuinorum teſtimoniorum introducatur. Huic uni patet aditus, ſenſus ceu prophani repellantur. Ideo dixit Pſaltes. Scrutata eſt ea anima mea. Ea enim eſt ipſis ſenſibus purgatior,& penetrantior.

DECLARATIO SERMONVM TVORVM ILLVMINAT, ET INTELLECTVM DAT PARVVLIS.

QVamuis hebraica æditio aliter habeat, & D.

Hieronymus illi adhæreat uertẽs, Oſtium ſermonum tuorum lucidũ paruulos docens. Interpres tamen ſuo more metaphoram explicans, uertere maluit. Declaratio ſermonum tuorum illuminat. Verbi Dei oſtiũ, declarationem ipſius appellat. Dũ enim declaratur, quaſi aperiri uidetur oſtium, & pateſieri aditus ad illius mirabilia contemplanda. Propterea uerbi oſtium litteram ſonantem, & cæremoniarum ſpeciem interpretari poſſumus, ſub quibus quaſi ſub ſigillis conclu ſit Deus ſuam ſapientiam, ſuaq́ mirabilia. Eſt enim uerbum Dei liber ſignatus (ait Eſai. 29. & D. Ioannes. 5. Apoc.) quem cum dederint ſcienti litteras, dixerintq́ ei, lege, reſpondebit. Non poſſum legere. ſignatus. n. eſt. Quod ſi dederint neſcienti litteras, reſpondebit. Non poſſum legere, quia litteras neſcio. Hic itaq; liber clauſus eſt omnibus ſapientibus ſcilicet, & inſipiẽtibus, quem nemo poßit aperire niſi clauis Dauid, quæ aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Hæc autem clauis eſt ipſa Dei ſapientia, quam ſolus Spiritus ſanctus oſtiarius adminiſtrat. Qui ſi tunc corda aperuerit, & audientium mentes ſuâ luce perfuderit, dũ illud à miniſtris ipſius declaratur, ſeſe aperiẽt mirabilia eius, iuxta illud quod ſuperius dixit. Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Qua ratione igitur nobis pateſiant, mirabilia legis, declarat, nempè ex declaratione diui

Eſai. 29. Apoc. 5

norum eloquiorum: At niſi declarentur, ſi miniſtri ocioſi ſint, ingentes bonorum omnium theſauri in illis reconditi non uidentur. Omnia opaca, & caligine ſunt circumfuſa. Hinc ſcandala, hinc hæreſes, & ſuperſtitiones non ferendæ. Hinc ſcelera, hinc mala omnia inuehuntur in Eccleſiam Dei. Dormientibus .n. hominibus inimicus homo ſuperſeminat zizania. Quid mirum igitur, ſi in tenebris, & ocio mundus torpeſcat, quando uerbi Dei prædicatio intermiſſa eſt? quod ſolum acutos relinquit aculos in noſtris animis, quibus ad pietatem, & iuſtitiam excitamur: qđ tenebras diſſipat, & mentes ſumma claritate perfundit. Declaratio (ait) ſermonum tuorum illuminat, & mirabilia legis nobis ſua luce oſtendit.

ET INTELLECTVM DAT PARVVLIS.

NOn omnes docet, non omnibus perſuadet, & illuminat uerbũ Dei. Superbos enim, & elatos magis occæcat, & ſua luce, & gloria eos opprimit. Superbis reſiſtit Deus, humilibus autem dat gratiam. Iccirco gratias agit Deo patri dominus Ieſus Chriſtus. Confiteor (inquit) tibi pater domine cœli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita pater, quoniam ſic placitum eſt ante te. Mirum itaque non eſt, ſi non omnes in apertione, & declaratione uerbi non illuminatur:

 pro-

propterea quòd non omnes paruuli ſunt in ſuis oculis, ſed omnes ferè ſibi ſapere uidentur. Oportet itaq; nos paruulos effici, ac de nobis humiliter ſentire. Et quemadmodũ paruuli ſugentes ubera, lacte nutriuntur, nec illud diiudicant, ita nos debemus nutrire animos noſtros uerbo Dei, ut facti paruuli non ætate, ſed ſenſu & ſimplicitate, creſcamus in Deo, & in pietate proficiamus. Paruuli ſiquidem, de quibus hic loquitur, & pſal. 19. d. Teſtimonium domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. hebraicè פתיים *ſunt, ideſt ſimplices, faciles, & perſuaſibiles, & ad parẽdum prõpti. Vnde etiam dictio* פתאם *ducitur, quæ celeriter ſignificat. Hos itaq; ſapientes facit Deus diuina ſua ſapientia: quia cum ſapientibus huius ſeculi, uerbo ueritatis non reſiſtunt, ſed cum ſimplicitate potius illud ſuſcipiunt: quemadmodum ſequenti uerſiculo ſe feciſſe Vates teſtatur.*

OS MEVM APERVI, ET ATTRAXI SPIRITVM, QVIA MANDATA TVA DESIDERABAM.

PErſtat Pſaltes in metaphora paruuli, qui lac exugere cupiens, os ſuum aperit, lac attrahit, et exugit, neq; cõſiderat qualia ſint lactãtis ubera, aut quale ſit lac, ſed qualecunq; illud ſit, fidenter ab amantiſſima ſua parente exhaurit, & imbibit. Quod ſe quoq; Vates facere oſtendit in ipſo uerbo Dei ſuſcipiendo.

tiæ poſſit aſcribi, id ſubinde corrigat, diuinam implorans miſericordiam. Qua quidem re docet iactanda quidem eſſe humana merita, ſed nō ita ut diuina miſericordia contemnatur, à qua uniuerſa proueniunt merita: neq; ita de diuina miſericordia gloriãdũ, ut ab illa merita ſecludantur. Nam & Vates ſua merita cum diuina miſericordia coniungens, ait. Reſpice in me, & miſerere mei, ſecundum iudicium diligentium nomen tuum. Non dicit ſimpliciter, reſpice ad me, ſed ſtatim ſubdit, & miſerere mei. Nam ſi Deus reſpexerit ſuper omnes filios hominum, uidebit, quòd omnis caro corrupit uiam ſuam, quòd non ſit qui faciat bonum: uidebit (inquam) & ad indignationem prouocatus delebit omnem carnem igne, et ſulphure. ſed ſi reſpexerit, & miſertus fuerit, ſalui erimus ab ira ipſius. Petens itaq; ut ad ſe Deus reſpiciat, et miſereatur: ſe pauperem, nudum, infirmum, miſerum, ac miſerabilē eſſe fatetur, qui prorſus diuina egeat miſericordia, ut non modò quod bonum eſt faciat, ſed in incœpto bono uſque in finem perſeueret. Reſpicit autem Deus, cùm aliquem æterno ſuo beneplacito complectitur. Illius etiam miſeretur, quãdo gratiam, & fauorem ſuum illi impertit, quo diuinam ſibi collatam miſericordiam agnoſcat, & uitam ſuam ſecundum diuinam beneplacitam poßit inſtituere.

plectens, & moderans. Hunc diligit quicunq; ipſum talem eſſe gaudet, & ipſius quoq; diſciplinam exanimo amplectitur, & totis uiribus ſectatur, facit enim miſericordiam ſuam his, qui diligunt ipſum, & cuſtodiunt præcepta eius.

GRESSVS MEOS DIRIGE SECVNDVM ELOQVIVM TVVM, ET NON DOMINETVR MEI OMNIS INIVSTITIA

NOn eò contentus eſt uir ſanctus, ut Deus ſui tantùm miſereatur, ſua ſibi peccata condonans: hoc quoq; petit, ut greſſus ſuos dirigat, ſeu (ut D. Hieronymus uertit) in ſuo uerbo confirmet. Hoc idem octonario primò ſuppliciter petijt. Vtinam (ait) dirigãntur uiæ meæ ad cuſtodiẽdas iuſtificationes tuas. Quod quaſi ſe conſecutum ſentiens, Conuerti (ſubdit) pedes meos in teſtimonia tua. Et rurſus. Ab omni uia mala prohibui pedes meos. Hinc uerò quaſi ſit relapſus, orat. Greſſus meos dirige in eloquium tuum. Qua quidem re perſpicuum fit in Vate, quod Salomon teſtatur, quòd ſcilicet iuſtus ſepties in die cadat, & ſepties reſurgat. Sentiebat n. Vates, & perſpectum habebat greſſus hominis procliues eſſe ad malum, & facilè à bono iuſtitiæ aberrare. Propterea orat. Vtinam dirigãtur uiæ meæ. Quod quamuis ſe obtinuiſſe ſignificet, cũ dicit, Ab omni uia mala prohibui pedes me-

os

os. facilè tamen relabitur, niſi diuina uirtute confirmetur in eloquio Dei. Ideo rurſus precatur. Greſſus meos dirige: quippe qui intelligeret greſſus hominis dirigi à Deo, Prou. 20. Greſſus uerò hominis, de quibus hoc loco agitur, ſunt animi affectiones, cogitationes, conſilia, mores, & actiones, in quibus omnibus noſtra hæc uita conſtituta eſt, & quibuſdã quaſi pedibus incedere uidetur. Quæ certè omnia niſi certa, & recta uerbi, diuinæq; legis norma dirigantur, tranſuerſos, & præcipites agunt homines. Petit itaq; ut affectiones, cogitationes, & actiones animi ſui ita dirigantur, ut à iuſtitia nunquàm aberret.

Pro. 20.

ET NON DOMINETUR MEI OMNIS INIUSTITIA

D. Hier. aũt trãsfert. Et nõ des me in poteſtatẽ uniuerſæ iniquitati. Oẽm aũt iniuſtitiã ſeu uniuersã iniquitatem, quæ hebraicè eſt כליאוד concupiſcẽtiam illam carnis appellat, quæ ſemper militat aduerſus ſpiritum, & omne peccatum in carne noſtra operatur. Quæ ceu fons uniuerſæ iniquitatis a Theologis peccatũ originale appellatur. Ariſt. etiam eth. 5. iniuſtitiam non uitij partẽ, ſed uitium integrũ, atq; uniuersũ appellat. Hæc eſt ea peccati lex, de qua D. Paulus conqueritur. Sentio (inquit) aliã legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantẽ me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Corpus .n. mor-

Ariſt.

mortis illam appellat, quod ex ea mala omnia prouenniant, quæ ſub mortis nomine ueniunt. Sub huius aũt tyrannide uiuunt qui, lege Dei contẽpta, carnis concupiſcentias ſectantur. Quod ne faciamus aliquãdo, D. Paulus nos hortatur. Peccatum (inquit) ne dominetur in corpore ueſtro, ut obediatis concupiſcentijs. Vt peccatum omnino in carne noſtra non ſit, obtinere non poſſumus: at ne dominetur, obtinebimus ſi id ab ipſo Deo iuſtitiæ amantiſſimo aſſiduis precibus contenderimus. Intereà uerò ſtudio diuinæ legis quaſi quadam meſſoria falce carnis concupiſcentias ſuboleſcentes demetemus. Gratiſſimum quidem accidiſſet Vati, ut à ſe omnis prorſus iniquitas tolleretur ſed ſi id ſibi non permittatur, ſufficere arbitratur, ſi peccatum ſibi non dominetur: cui uelit nolit, parere neceſſe habeat. Nam qui peccatum facit, ſeruus eſt peccati. Huius itaq; imperium, uel potius tyrãnidẽ detrectat dicens. Nõ dominetur mihi omnis iniuſtitia.

REDIME ME A CALVMNIIS HOMINVM, VT CVSTODIAM MANDATA TVA.

PRæcedenti uerſiculo precatus eſt, ne detur aliquãdo in poteſtatem peccati, ſed potius in uerbo, & obſeruatione diuinæ legis ſtabiliatur. Nunc uerò petit ſe à calumnijs, & iniurijs liberari, diuina præcepta cuſtodiat. Appellat autem calumnias hominis, iniurias, quibus afficiebatur à Saule, quibus

quibus quamuis poſſet reſiſtere, noluit tamen. Propitius (ait) mihi ſit dominus, ne faciam hanc rem domi
i.reg.24 *no meo Chriſto, ut mittam manum meã in eum, qui Chriſtus domini eſt. Ferre maluit, quàm inferre iniu riam, cuius uindicem voluit eſſe Deum. Iccirco ait. Redime me à calumnijs hominũ. Hoc eſt, quod aliàs dixit. Viuit dominus, quia niſi dominus percuſſerit eum, aut dies eius uenerit, vt moriatur, aut deſcen-*
i.reg.26 *dens in prælium perierit, propitius ſit mihi dominus, ut non mittam manum meam in Chriſtum domini. Senſus itaq; eſt. Abſit, ut meipſe redimam ab iniurijs mihi à Saule illatis, ut mittam manum meã in Chri ſtum domini. Sed hoc quicquid iniurioſum eſt, ad eũ*
Deut.32 *remitto, qui dixit. Mihi uindicta, & ego retribuam. Iniurias autem, & calumnias ſanctis ſuis iniuſtas uindicat Deus, cum declarat eos cõtra ius, faſq́; one ratos eſſe calumnijs. A quibus Vates ſe redimi poſtu lans, cupit innocentiam ſuam, ſuamq́; iuſtitiam omnibus innoteſcere, neq; id humanæ gloriæ gratia, ſed vt potius diuino cultui, & ſtudio legis ipſius dignita tem aliquam, & authoritatem conciliet. Quandoqui dem ad illius doctrinam non mediocris laus accedet, cuius uita innocens aliquando comprobatur.*

VT CVSTODIAM MANDATA TVA.

H*Ebraica æditio legit, & cuſtodiã. Quã & D. Hie ro-*

ronymus ſequitur. Quod ſi legendum ſit, ut cuſtodiã: dictio, ut, conſecutiue eſt accipienda, & erit ſenſus. Tu domine uindica me ab iniurijs: quod ſi tu feceris, non autem ego; duo hæc ſtatim conſequar: ut liber omnino ab illis futurus ſim, & diuina tua mandata uidear obſeruaſſe. Quamuis enim humanæ leges uim ui repellendam ſanxerint: & iniuriam niſi uindices, (aiunt) id tantum habet uitij, quantum ſi parentes, aut patriam deſeras: ſecus tamen diuina Lege ſancitum eſt, quæ non ſolum iniuriarum ultionem prohibet, ſed pro inimicis orandum, illis benefaciẽdum docet, ipſiq; Deo omnem offenſionem condonandã præcipit. Contra uerò hæc omnia ille facit, qui uim ui repellere, & ſeipſum iniuria ab iniuria nititur uindicare. Quod non ſine diuinæ Legis uiolatione fieri poteſt. Ideo dominus præcipit, ut pallium auferre uolenti, etiam tunicam dimittamus: & ſiniſtram percutienti maxillam, præbeamus & dexteram. Quod ut uerbo docuit, ſic & exemplo ſuo confirmauit. Qui cum malediceretur, non maledicebat, tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè, & pro crucifixoribus ſuis orauit.

FACIEM TVAM ILLVMINA SVPER SERVVM TVVM, ET DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

Facies Dei eſt pſentia ipſius numinis, qđ quãuis ubiq; ſit (nihil.n. eſt Deo uacuũ) non tamẽ omnia ſuo lumine ita colluſtrat, ut ab omnib. cognoſci poſſit. Il-

lius.n.facies ſine ſuo lumine uideri non pōt, quēadmo dū nec ſolis lumē ſine lumine ipſius uideri pōt. Illuminat itaq; Deus faciē ſuam ſuper nos, quando diuino ſuo lumine, quod ad nos uerbi ſui lucerna & Iubare immittit, ut mentem noſtram illuſtret, quà illius prouidentiam, & paternum erga nos amorem cognoſcamus. Tunc enim faciem ſuam nobis hilarem, lætamq́; oſtendit, quam iratam, & à nobis auerſam ex ipſis rebus aduerſis ſentiebamus. Quo fit, ut diuinæ huius faciei immutatione ſummam lætitiam noſtris in animis concipiamus. Hæc diuina facies illuminans corda tenebris malorum & ignorantiæ circumfuſa, non omnibus ſe ſe aperit, ſed tantummodo ſeruis Dei, his ſcilicet, qui ſe totos diuino cultui dicarunt.

ET DOCE ME IVSTIFICATIONES TVAS.

HVmana mens ad quaſuis alias diſciplinas capeſcendas ſuo proprio lumine ſatis apta eſt, præſertim ſi doctorem, et exercitationem adhibuerit: ſed ad diuinam diſciplinam capeſſendam cœleſti, diuinoq́; lumine, et ipſe Deo doctore indigemus. Propterea Vates ait. Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, ut ſcilicet iuſtificationes tuas tantum cognoſcam, quas nō homo, aut Angelus, ſed tu me doceas. Has nunq̃ plenè docet Deus, has perfectè adipiſci non poſſumus. Doctor nanque, & doctrina ipſius infinita ſapien-

pientia eſt. Huius itaq; doctrina, & doctoris alumnis perpetuò orandum, crebrò repetendum eſt. Doce me iuſtificationes tuas.

EXITVS AQVARVM DEDVXERVNT OCVLI MEI, QVIA NON CVSTODIERVNT LEGEM TVAM.

QVo magis diuinam Legem amabat, eo vehemẽtiore dolore conficiebatur, cùm paſſim illam cõtemni animaduerteret: eaq́; doloris uis in animo aliquando exurgebat, ut ipſius oculi non modò lachrymas, ſed lachrymarum riuos deducerent. Qua ſanè hyperbole magnitudinem doloris incomparabilem ſignificat, quo animus ipſius conficiebatur. Hac re lamentatur Hieremias, & lachrymabũdus orat. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis lachrymarũ fontem? Et Dominus Ieſus uidens Hieruſalẽ diuini uerbi contemptricem, fleuit ſuper eam. Sic oculi mei (ait Vates) deduxerunt exitus aquarum.

QVIA LEGEM TVAM NON CVSTODIERVNT.

GRaue quidem erat homini ſancto, ꝙ Saulis odio premeretur, ꝙ exul inops per ſolitudines, & ſaltus incerta ſede uagari cogeretur. At longè grauius, & iniquius ferebat, quòd inſectatores ſui, ſuiq́; ciues diuinam Legem, ut non cuſtodirent, ita maximè contemnerent. Quod ſanè peccatum multò omnium gra-

niſſimum uir pius uberrimo lachrymarum fonte ſibi deflendum ſentiebat. Circumſpiciebat .n. nec ullus occurrebat, qui mali huius grauitatem ſentiret. Publica ſiquidem, & communis erat omnium culpa, q lex domini contemptui paſſim haberetur. Ideo dicit. Nō cuſtodierunt, uno faſce complectens & Regem, & populares omnes. Cur autem uir pius & diuinam iniuriam, & ciuium ſuorum amentiam, & impietatem in contemptu legis non defleret: illius inquàm legis, quæ admirabilitatis pleniſſima eſt? quæ humanas mētes illuſtrat, & paruulis ſapientiam donat, facitq́; ne peccatum dominetur, ſed potius miſeris felicitatem, mortalibus immortalitatem largiatur?

Zadic צ.

ZADIC Iuſtus, ſeu iuſtitia interpretatur: quia diuina Lex, & doctrina uerbi Dei non modò Deum iuſtum prædicat, ſed etiam docet qua ratione homo peccato deprauatus iuſtus fieri poſſit, iuxta illud Eſa. 45. Egredietur ex ore meo iuſtitiæ uerbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua, utique: domino dicent. Meæ ſunt iuſtitiæ. In domino .n. iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael. Hæc eſt uniuerſa doctrina, quæ in lege etiam, & Prophetis continetur. De hac

Pſal-

Pſaltes hoc præſertim octonario agit, ipſam Dei iuſtitiam magnificè efferens, qua uerè homo iuſtificatur coram Deo.

IVSTVS ES DOMINE, ET RECTVM IVDICIVM TVVM.

TRactaturus Vates de iuſtitia, ab ipſius authore nempè Deo Opt. Max. exorditur, illumq́; iuſtum in primis appellat. Id quod diuinæ naturæ eſt propriũ, ut nihil omninò agat, quod à ſe, quæ ipſiſſima eſt iuſtitia, ſit alienum: cui nihil iniquitatis poteſt aſcribi. Idcirco impietatis nomen ſubeunt, qui Dei prouidentiã accuſant, quaſi apud ipſum nullus ſit uirtutum, & uitiorum delectus, nulla remuneratio. Illud eſt enim inſimulare Deũ iniuſtitiæ, & iniquitatis. Pij uerò sũt, qui Deum non modò iuſtum, & iuſtè omnia operante, ſed unicuiq; paria meritis præmia redditurum cõfitentur, qui uſq; adeo iuſtus eſt; ut quicquid iuſtitiæ eſt ſiue apud Angelos, ſiue apud homines, ab eo omniũ bonorum fonte emanet. Non enim illi ſua natura, ſed huius gratia iuſti ſunt.

ET RECTVM IVDICIVM TVVM.

ITa Deus iuſtus eſt, ut ne per ignorantiam quidem rei alicuius, uel facti poſſit à iuſtitia aberrare, ſed omnia potius ſumma cum ſapientia in pondere, &

menſura agat. Infima, mediocria, & maxima æquè curat, & optimè moderatur. Meritò igitur Vates Deũ cõmendãs, Iuſtus es domine (inquit) & rectũ iudiciũ tuum. Is.n. cuius rectũ eſt iudiciũ, in ſui diſpoſitione non fallitur, ſed omnia recto, iuſtoq́ʒ conſilio diſponit. Hoc aũt Dei elogio Vates eludit doctrinam de Fato, Fortuna, & Caſu, docetq́ʒ & uirtuti, & uitio ſua eſſe conſtituta præmia à Deo, quandoquidem iuſtus eſt, et rectum iudicium illius. Quamuis uerò interdum contrarium nobis uideatur, cum uel caſu omnia accidere, neq; iuſtis ſua præmia, neq; iniuſtis ſua propoſita eſſe ſupplicia uideamus, rectum tamen, & iuſtũ Dei iudicium eſſe ſentiendum eſt. Iudicia.n. illius abyſſus multa. Quæ etſi nobis aperta nõ ſunt, ſuo tamẽ tẽpore iuſtiß. declarabũtur, ut cũ Vate dicere unuſquiſq; poßit. Iuſtus es domine, & rectũ iudiciũ tuum. Et rurſus. omnia, quæ feciſti, in uero iudicio feciſti. Id uerò tunc præcipuè fiet, cum ultimo illo iudicij die mundũ uniuerſum iudicabit Deus, & ſua cuiq; pro meritis præmia perſoluet. Pro iudicio quoq; ipſum Dei uerbũ accipere poſſumus, quando iudicium nihil aliud ſit, q̃ iudicis uerbum, aut iuris dictum. Hoc autẽ rectũ eſſe dicet, ꝙ iuſtè, & rectè damnet, & abſoluat, nec quenquã fallat: quandoquidẽ ab eo qui rectus & iuſtus eſt non niſi q̃ recta, et iuſta ſunt proferri poßũt iudicia. Q̃d ſequẽti uerſiculo apertius more ſuo declarat d.i.

MANDASTI IVSTITIAM TESTIMONIA TVA, ET VERITATEM TVAM NIMIS.

QVi natura iuſtus eſt, cuiusq́ iudicium rectum adeo eſt, ut nulla alicuius rei ignoratione decipi poßit, nihil conſtitueret, & mandaret, quod rectisſimum, iuſtißimumq́ nõ ſit, aut quicq̃ prætermitteret, quod ad iuſtitiam pertineat. Lex itaq;, quæ ab ipſo iuſtißimo Deo profecta eſt, non niſi iuſta, & recta eſſe poteſt. Nam lex ipſa Deus eſt. Quod teſtari uidetur Vates, cum dicit. Tu Deus iuſtus, & cuius iudicium rectum eſt, mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua. Diuina itaque Lex, immo Deus ipſe per ſuam legem de ſua, noſtraq́ natura erudit, quaq́ ratione coràm illo, & coràm hominib. iuſti efficiamur, iuſtèq́ uiuamus docet: nec ulli dubium eſt, ꝙ quicunq; eã perſtiterit, iuſtus ſit: nec iuſti nomine quiſq̃ eſt dignus, qui uitã alioqui ſanctißimam procul à legis iuſtitia traduxerit. Extra n. diuinæ Legis limites nulla ẽ iuſtitia, nulla ſanctitas. Præcepit dominus iuſtitiã, nõ quæ Lycurgi, Solonis, aut Numæ legibus cõtineatur, nõ q̃ à Phariſæorum decretis, ſed q̃ à diuinis teſtimoniis ꝓficiſcatur. Mãdaſti (inquit) iuſtitiã teſtimonia tua. Propterea reiicere uidetur oẽm aliã iuſtitiã, q̃ à iuſtitia diuinæ legis diſſẽtiat, q̃uis ſpecioſa maximè ſit. Homines nanq; peccato uitiati, & mente corrupti nihil ſtatuere, nihil ꝑcipere poßunt, qđ aliàs iuſtos poßit efficere.

Id enim uni diuinæ Legi, & hominibus ſpiritu ſancto afflatis relictum eſt. Huiuſmodi autem fuiſſe patres noſtros, & in primis ipſum Dei filium & iſtius Apoſtolos, uiroſq; omnes Apoſtolicos nullo modo eſt ambigendum.

ET VERITATEM TVAM NIMIS.

Diuina teſtimonia, quæ ſunt ipſius Dei eloquia, et oracula, ſeu diuina Lex, & doctrina uerbo tradita, duo potiſſimum continet, iuſtitiam ſcilicet, & ueritatem, à quibus uniuerſi peccando decidimus, atque in iniuſtitiam, & mendacium prolaſi ſumus. Iniuſti, increduli, & medaces effecti ſumus omnes. Itaque indigebamus duce, qui nos in iuſtitiam, & ueritatem reduceret, quæ ueritas quoniam apertè non poteſt percipi, eã Vates appellat Fidem, quæ ut D. Paulus affirmat) eſt rerum non apparentium argumentum. Mãdaſti (ait Vates) ueritatem tuam nimis. Nam quæ hebraicè אמונה *eſt, fidem uocat, quam nos uult adhibere Deus promiſſis ſuis de Meſſia præſertim ſeruatore, & iuſtificatore factis. Diuina itaque teſtimonia iuſtitiam tum operum, tum fidei à nobis requirunt: quando homo per infirmitatem carnis ſuæ legem implere nõ ualens, diuinas promiſſiones de Chriſto, deq; gratuita in illo iuſtitia, & ſalute factas fide amplectitur, ſi uerè iuſtus, ac ſaluus eſſe uelit. Et hæc eſt iuſti-*

tia fidei, quam Vates nimiam ideſt exactiſſimam ueritatem appellat: quia qui illi adhærent, qui ea nituntur, non cadunt, ſed ſeruantur: & quia ueram & germanam iuſtitiam exigit. Diuinæ itaq; legis ſumma, iuſtitia eſt, & ueritas. Quæ nihil aliud ſunt, quàm legis opera, & diuinarum promiſſionum fides. Quæ ita pariter mandauit Deus, ut qui opera ſine fide, uel fidē ſine operib. habeat, uerè iuſtus eſſe nõ poßit. Et hoc eſt, quòd nimis mãdauit deus, quod ſummopere uult & requirit. Studeat igitur unuſquiſq; ut fidei firmitudinem, & operum expletionem habeat, quandoquidem hoc eſt omnis homo.

TABESCERE ME FECIT ZELVS MEVS, QVIA OBLITI SVNT VERBA TVA INIMICI MEI.

ILlud in primis piorum animos angit, et excruciat quod uerbum Dei, quod lex, quod doctrina ipſius ſummo in contemptu uerſetur. Ita.n. erga illam ſunt affecti, ut bonorum amiſſionem, exilium, corporis dilacerationem æquius ferrent, quàm huiuſmodi diuinæ legis contemptum. Hinc æſtuans ille ignis in oſſibus Hieremiæ fontem lachrymarum ex illius oculis excutit: Hinc Eliæ zelus, quo tabeſcens ille dixit. zelo Zelatus ſum pro domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum domini filij Iſrael, altaria tua deſtruxerunt, et prophetas tuos occiderunt, ego relictus ſum ſolus, et quærunt animam meã, ut auferãt eam.

Contẽptus uerbi malorum omnium ſeminarium eſt. quemadmodum cultus, & ſtudium ipſius fons eſt, & origo omniũ bonorũ. Maximo itaq; animi angore affectus hac potiſſimum de cauſa ait. Tabeſcere me fecit zelus meus etc. Verbum autẽ hebraicum צמת quod interpres tabeſcere uertit, penè confici ſignificat. Iccirco D. Hiero. conſumpſit me Zelus meus, uertit. Eſt autem zelus uehemẽs dolor ex aliorum interitu. hoc Affectus D. Paulus continuus (inquit) eſt dolor cordi meo pro fratribus meis ſecundum carnẽ, pro quibus cupiebam anathema eſſe à Chriſto. Quo igitur dolore afficiebatur D. Paulus pro fratribus, hoc conficiebatur Vates pro hoſtibus ſuis: qui tamen & fratres erant ſecundum carnem. Non ergo eſt hoſtis, ſed amicus inimicorum Vates, pro quibus tantopere laboret quod ſibi parent exitium, & obliuioni tradant uerbum domini eam ſumma ipſorum pernitie.

IGNITVM ELOQVIVM TVVM VEHEMENTER ET SERVVS TVVS DILEXIT ILLVD.

QVod interpres uertit, Ignitum eloquium tuum D. Hieronymus interpretatur. Probatus eſt ſermo tuus. צרף enim ad purificandum fundere ſignificat. Quod quia in ignẽ fit, interpres uertit: Ignitum eloquium tuum. Significat autem uerbum Dei non eſſe ut reliqua metalla, quæ cum terræ aliquid et fæcis habent, igne purgantur: quandoquidem illud

inſtar auri purgatiſſimum eſt, quod nihil fæcis humanæ ſapientiæ habet admixtum. Eloquia .n. domini (ait Pſal. xi.) eloquia caſta, argentum igne examinatum, collatum ſeptuplum. Ignitum autem dicitur Dei uerbum, quod non modo ad ignis naturam accedat, quod eo omnia gignuntur, fouentur, emolliuntur purgantur, & illuſtrantur: uerum etiam quòd igne, & flãmis perſecutionum illud Sathanas inſectatur, ſi quo modo illud è medio tollat. Sed quemadmodum aurum igne fit purius, atque ſplendidius, ita Dei uerbum inſectationibus magis illuſtratur. Profectò ſi uerbum Dei, Chriſti ſcilicet, Moſis, nec non prophetarum, & apoſtolorum doctrina ab hominibus profecta fuiſſet, iamdiu in tanto perſecutionum incendio quaſi ſtipula abſumpta fuiſſet, et ad nihilum redacta ſed quia ex Deo eſt, nulla ratione potuit, aut poterit unquàm aboleri. Quòd igitur Ignitum uerbum appellat, docet illud eſſe uerbum crucis, & illius miniſtros grauiſſimis periculis eſſe obiectos: quandoquidem nihil intentatum relinquit Sathan, ut uerbum miniſtri illius conticeſcant. Quoties enim hoc ille pulſatur ariete, de ſuo regno deturbatur: tãquàm fur in nocte comprehenditur, cum uerbum emergit, & inclareſcit.

ET SERVVS TVVS DILEXIT ILLVD.

QVamuis multis odioſum ſit uerbum, & inſtar paleæ, & ſtipulæ habeatur, ſeruus tamen Dei illud argento, & auro, et quicquid aliud eſt pretioſum in mundo pretioſius, & charius habet. Iactent itaq; alij diuitias, honores, potentiam, confidant uiribus ſuis: ſeruus Dei diues ſatis, ſuperq; beatus, honeſtus, ac potens eſt uerbo Dei. Hoc uno contentus facilè cõtemnit opes, honores, & quicquid aliud carnales homines concupiſcunt. Hoc qui non diligit, ſerui Dei nomen non meretur. In hoc enim uerè Deo ſeruimus ſi uerbum illius diligimus.

ADOLESCENTVLVS SVM EGO, ET CONTEMPTVS, IVSTIFICATIONES TVAS NON SVM OBLITVS.

ADoleſcẽtulus qui hæbraicè צעיר. is eſt, qui & ætate, & autoritate minimus eſt. Eã de ſe Dauid opinionẽ habebat, ac talẽ de ſe uulgo haberi intelligebat: qa & Iſai pater de ipſo cõtẽnendi penè in modũ dixit. Adhuc paruulus reliquus eſt, & paſcit oues. Quid autem eſſet in cauſa, cur à fratibus, à patre à Saule deniq;, & a cunctis popularibus deſpiceretur, hic declarat, nimirum quòd aliud amaret, aliud ſectaretur, quàm uulgares homines ſoleant, nempe uerbum Dei. Quod ut hominibus deſpectum eſt (non. n. uidet, quid in eo bonorum cõſtituerit Deus) ita Deo

ho-

honorificum eſt. Qui amant Dei uerbum, damnare ſe ſignificant humana omnia ſtudia uerbo aduerſantia: negligere faſtũ, & ſuperbiã: leuitatis, & ſtultitiæ omnes accuſare, qui rerum uanitate capiantur, relicta ueritate, quæ uerbo Dei reuelatur. Putant præterea homines eos plus ſapere, quo ſunt prouectiore ætate, at in adoleſcentibus, et iunioribus nihil eſſe ſapientiæ. Quod & ſi plerunq; uerũ eſt, placuit tamen Deo aliquãdo traducere falſam ſapientiam ſeniorum, uera adoleſcentium, & iuniorum ſapiẽtia. Dixit Pſaltes ſe ſuper ſenes intellexiſſe. Iudicio, & ſentẽtia, Dauidis adoleſcentis confuſi ſunt nequiſſimi ſenes, & mundi ſapientes uicti ſunt ſapiẽtia Apoſtolorũ, qui ob ruditatem pueri ſunt appellati. Vel ideo ſe appellat adoleſcentulum, ut coràm Deo ſeſe abijciat, & humiliet, quemadmodum & Hieremias ſe puerum, & infantem appellauit, qui potius eruditione opus haberet, quàm ut alios ipſe poſſet erudire.

IVSTIFICATIONES TVAS NON SVM OBLITVS.

ADoleſcentis rara pietas ait D. Ioannes Chryſoſtomus, ſed omnia præclara rara. Eas potiſſimũ cõſiſtit in obſeruatione diuinæ legis, quemadmodum octonario ſecundo dixit. In quo corrigit adoleſcẽtior uiam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos. Hic dicit. Adoleſcentulus ſum ego, & contẽptus: iuſtificationes

tuas non ſum oblitus. Studia (ait Cicero) quæ ſunt in adoleſcentia, tanq̃ in herbis ſignificant quæ uirtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ. Quæ.n.quis in iuuentute ſeminat, ea in ſenectute demetit. Quãuis igitur adhuc eſſet adoleſcẽs, diuinam tamen legẽ ita amauit, ita ei addictus fuit, ut quamuis ob illius amorẽ, ſtudiũ, ac prædicationẽ contẽptui eſſet his, qui ſibi nomen ſapientiæ, & ſanctitatis uſurpant: maluit tamẽ ſtultitiæ ſubire nomen, q̃ illam unquam deſerere. Quæ in ſe licet hominibus deſpicabilis eſſet, Deo tamẽ ſapiẽs erat. Quis.n. ſapiẽs, niſi qui intelligit hæc, & ſcrutatur miſericordias domini?

IVSTITIA TVA IVSTITIA IN AETERNVM, ET LEX TVA VERITAS.

Diuinam legem iuſtificationes Dei appellat, quia (ut aliàs docuimus) ea nos Deus iuſtificat, & ꝑ eam non iuſtitiæ tãtum opera, ſed & fidem bonorum operũ radicem exigit à nobis. Quos autem Deus diuina hac ſua lege iuſtificat, hos non humana, ſed diuina, non momentanea, ſed æterna iuſtitia donat, & ornat. Quos enim elegit, hos & uocat; quos uocat, hos & iuſtificat iuſtitia ſempiterna, iuxta illud Danielis. 9. Conſumabitur præuaricatio, finem accipiet peccatum, delebitur iniquitas, & adducetur iuſtitia ſempiterna. Humana ſiquidem, & præſens iuſtitia licet ſeſe efferat coràm Deo, & homini-

minibus,ea tamen uel nulla,uel ut pannus menſtruatæ mulieris eſt. Iuſtitia uerò,quæ per ſtudium, & obſeruationem diuinæ legis iuſtificamur,æterna eſt perpetuò coràm Deo conſiſtens, & nunquàm deficiens. Ea enim quæ perpetuò non conſiſtit, ſed deficit, humana potius, quàm Dei iuſtitia eſt appellanda. D. Bernardus obiter enarrans hunc locum, iuſtitia(inquit) tua non eſt pallium breue, quod(ut ait propheta) duos ſimul operire nõ poſsit. Iuſtitia.n.tua iuſtitia æterna eſt. Quid largius æternitate? Et te pariter, & me operiet largiter larga, & æterna iuſtitia tua: in me operiet quidem multitudinem peccatorum, in te aũt quid niſi pietatis theſauros,et diuitias bonitatis.

ET LEX TVA VERITAS.

Quod ſuperius dixit, Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & ueritatem tuam nimis: hic alijs licet uerbis repetit, diuinam legem iuſtitiã Dei æternam, & ueritatẽ eſſe affirmans, propterea ꝙ nõ modò ea,ꝗ uerè iuſta,et legitima ſint,præcipit,ſed ueritatẽ quoq; i.fidẽ de corde puro exigat,ita ut homo nõ appareat tãtum hominibus ſimulatione quadã iuſtus,ſed re uera iuſtus coràm Deo ſit, & habeatur. Adde quòd diuina lex ſola uera,immo ueritas ipſa ſit,quòd ea ſola quod uerum,quod legittimum, quod iuſtum, quod bonum ſit,doceat, & ad id hominem manuducat,

cat, immutabilis, æterna, & eadem ſemper omnibus. Id quod de aliorum legibus, quæ temporibus, locis opinionibus mutantur, dici nõ poteſt. Propterea uerius inſtitutiones, & decreta appellaueris, quàm leges. De diuina autem lege dicit Vates. Lex tua ueritas. Quicquid.n. ea docet, quicquid pollicetur, quicquid minatur, id totum ueritas eſt. Ea ſola ueram iuſtitiã docet, & diuinas præſtat promiſſiones. Quicquid alij de hominis iuſtitia doceant, mera fallacia eſt, quãdo quidẽ iuſtũ neminẽ reddere potuerint. Lex uero Dei ipſiſſ. ueritas, ipſiſſ. iuſtitia eſt, quæ uerè iuſtos coràm Deo homines eſſe faciat. Qui itaq; iuſtus & dici, & haberi uult coràm Deo, ſtudio diuinæ legis incumbat, & obnixe operam det.

TRIBVLATIO, ET ANGVSTIA INVENERVNT ME. MANDATA TVA MEDITATIO MEA EST.

MOrtalis noſtra hæc uita maximis, plurimis, ac penè innumerabilibus obnoxia calamitatibus eſt, quarũ nõ mediocre eſſe leuamẽ ſapiẽtes ſenſere, ſi humanarũ diſciplinarum ſtudijs quis ſeſe addixerit: Quod quamuis à uerò non multum abſit, cum tamen hæ ueram ſapientiam non habeant, uera, ſalutariaq́; remedia adhibere malis noſtris nòn poſſunt: Quod unum, uni ſapientiæ ueræ relictũ eſt: iccirco ab ea petendũ eſt in malis ſolatium. Quæ quidẽ uera, ſapiẽtia cũ uerbi Dei, diuinaq́; legis ſtudio cõparetur

ad

ad ipſum tanquam ad omnium malorum perfugium nobis eſt confugiendum. Plutarchus ille doctiſſimus ex ſermonibus (ait) ut ex amicis, ille optimus, firmiſſimusq; habetur, qui in calamitatibus præſens adeſt, & indigenti auxilium affert. Quod cum uerbum Dei affatim præſtet, optimus illud, ac firmiſſimus iudicandum eſt amicus, qui nos in omni tribulatione noſtra conſoletur. Quod ita eſſe, hoc uerſiculo declarat Dauid. Tribulatio (inquit) & anguſtia inuenerunt me: ideſt undiq; premor malis, calamitatibus circumſeptus ſum, foris pugnæ, intus timores. In tantis autem malis hoc uno utor ſolatio, nempè ſtudio, & meditatione diuinæ Legis. Hoc uno recreor, hoc uno me cõſolor.

MANDATA TVA MEDITATIO MEA EST.

D. aũt Hier. uertit, uoluntas mea eſt. Quod tamẽ aliàs uertit, uoluptas mea eſt. Hebraica ſiquidẽ dictio ſignificat aliquid cũ voluptate uelle, & in id toto pectore incũbere. Docet itaq; diuinas ſcripturas noſtra eſſe ſolatia in malis. Quod D. Ioannes Chryſoſtomus optimè expertus hac adhortatione utitur. Obſecro ſeculares omnes comparate uobis Biblia animæ pharmaca. Si acciderit mæſtitia, huc ueluti ad apothecã pharmacorũ accũbe. Hinc aſſume ſolamẽ mali, ſiue damnũ euenerit, ſiue mors, ſiue amiſſio domeſticorũ, immo non accumbe ſolum, ſed omnia mente contine. Hoc ſe facere oſtendit Pſaltes. Tribulatio (ait) et

angu-

anguſtiæ inuenerunt me. Mandata tua meditatio mea eſt. Meditatio autem iſta non in intellectu, ſeu affectu tantùm conſiſtit, ſed in ipſa etiam operis completione. uerbum ſiquidem Hebraicum aliquid cum animi uoluptate agere, et operari ſignificat.

AEQVITAS TESTIMONIA TVA IN AETERNVM DA MIHI INTELLECTVM, ET VIVAM.

DIuina teſtimonia (ut ſuperius ſæpe iam monuimus) diuina ſunt eloquia, inſtituta, et leges, quibus de iuſtitia ſua apud nos Deus teſtatur, qua non modò ipſe iuſtus eſſe oſtenditur, ſed qua peccatores, et iniquos iuſtificat. Hæc itaq; teſtimonia affirmat Vates perpetuam, & æternam eſſe iuſtitiam, quòd perpetuò ſibi conſtent, nec inter ſe diſſideant, aut contraria ſint: quòdq́, perpetua forma, et ſtabili iuſtitia ſui ſtudioſos donent, et exornent. Quod hi optimè intelligunt, qui ſeſe aſſiduo illorum ſtudio addixerunt. Propterea Pſaltes eorum intelligẽtiam aſſequi cupiens, ſubdit.

DA MIHI INTELLECTVM, ET VIVAM.

PLurima (ait Ariſt. 2. Top.) contingit ſcire, ſed nõ intelligere. Non itaque ſatis ſibi eſſe arbitratur Pſaltes, ꝙ diuina teſtimonia ſciret, niſi ea quoq; rectè intelligat. Intellectus. n. eodem teſte eſt lumen, quod

Deus

Deus infundit animæ. Propterea ait. Da mihi intellectum. Quibus quidē uerbis diuinum illud lumē expoſcit, quo diuina teſtimonia, & eorum ſenſum rectè queat percipere, & aſſequi. quod D. Aug. fidei mercedē appellat. Qui.n. credit, hoc mox meretur, ut intelligat, quæ credidit. Niſi.n. fides præcedat, diuinæ res in noſtram intelligentiam non cadunt, iuxta illud. Niſi credideritis, non intelligetis.

ET VIVAM.

VT homo cōſtat animo et corpore, ita bona sūt animi, & bona corporis: delitiæ corporis, & delitiæ animi. Corpuſculū hoc cibo, & potione alitur. At inter ea bona, quibus alitur animus, ſapiētia, intelligētia, et prudētia ſunt. Meritò igitur Vates ſe uicturū, ac uerè, & feliciter uicturum ſperat, ſi diuinarū ſcripturarum intelligentia animus ſuus paſcatur. Nam & D. Bernardus huiuſmodi intelligentiam animæ panem appellat, quo ſiquis careat, uiuere diu nō pōt. Non in ſolo pane (ait dominus) uiuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Dicit itaq;. Da mihi intellectum, ſiue (ut D. Hieronymus transfert) Doce me, & uiuam, nempè uita fidei, uita iuſtitiæ, & beatitudinis: qua qui non uiuit, mortuus eſt, quamuis uiuere videatur. Hoc itaque eſt uiri iuſti præmium, & merces, ipſa ſcilicet vita

quam

quam omnino cõſequitur qui Deum in ſuis iudicijs iuſtificat, et iuſtitiam fidei, et operũ ſimul ſectatur, nec quibuſuis malis ab illius ſtudio deterreri poteſt, quinimmo illius amore accenſus, et inflammatus omnia contemnit, & aſpernatur, ipſum diuinæ legis ſtudium cæteris omnibus rebus anteponẽs, uitaq; ipſa charius habens, tunc uerè ſe uiuere ratus, non iſtius cognitionem, & intellectionẽ plenius conſequitur. Viuam (ait) uitam ſcilicet beatam, & nũquàm interituram, ſi ut diuina eloquia tua intelligere, & explere queam, mihi non ceſſeris.

Cuph. ק

CVPH Circuitum, ſeu circulum ſignificat, qui quidem circulus cum omnium mathematicarũ figurarum ſit perfectiſſima pro abſoluta rerum omnium ſcientia per tranſlationem accipitur: unde circularis ſcientiæ nomen, quòd perfectam ſcientiam ſignificat, apud græcos uenit. Pſaltes itaque diuinam legem, diuinamq; doctrinam Cuph. i. circulum appellat, quòd in illius meditullio ſit punctum, principium fons, & origo linearum omnium, à quo ſolo ſauctiſſima huiuſmodi doctrina ueluti ipſius puncti circunferentia deriuatur, quam ueteres theologi Dei mentẽ appellarunt, quæ inſtar circuli ab omnibus partibus ab-

abſolutiſſima & ſemper ſibi ſimilis ſit, conſtãs, & perpetua, circa quam ueluti in orbem nos obambulare decet, eam iterum, atq; iterum repetentes, nec inquirendæ illius finem facientes, aut faſtidientes: quando quidem ad nos illa non ſecus reuertitur, atque anni ambitus, qui Cuph etiam appellatur, qui uarias quidem, ſed eaſdem temporis temperaturas cum maxima animi noſtri uoluptate affert. Propterea quamuis Dauid edoctus diuinitus magnos feciſſet progreſſus in cognitione diuinæ Legis, hoc tamen octonario ambitum, & circuitum quendam fecit pro ea conſequenda, & quaſi nunc primùm illam deguſtare incipiens, ardẽtiſſimis precibus in hunc modũ precatur.

CLAMAVI IN TOTO CORDE MEO, EXAVDI ME DOMINE. IVSTIFICATIONES TVAS REQVIRAM.

Litteræ ſanctæ teſtãtur, illum clamare ad Deum, cuius uox quamuis non exaudiatur, magna tamen fidei ui Deum precatur, quemadmodum Moſi ſic oranti dictum fuit. Quid clamas? Clamat aũt, qui ſuam ſalutem deploratam habens, & ſolùm diuinæ miſericordiæ perfugium ſibi relictum uidens, ſe totum ſeruandum Deo committit. nullaq́; ex re aliæ pẽdens, ſeſe in ſinum diuinæ miſericordiæ cadere permittit. Soliciti ergo uox animi eſt iſta precatio, quippe cuius omnis ſpes ſalutis ſit abiecta, cuiq́; de diuina tantum miſericordia ſperare liceat. Clamat itaque

toto corde, qui ſe exaudiri maximè cupiat: propterea quòd maximum ſibi imminere periculum ſentiat, ſcilicet ſempiternæ damnationis. Quod ſi uitare ſuis uiribus poſſet, illis uteretur, remiſsiusq́; clamaret. At intelligebat uir ſanctus opus diuinæ miſericordiæ eſſe non humanæ uirtutis, ut ſeruaretur. Ideo clamat ad Deum, Exaudi me domine. Vel (ut hebraica uox ſonat עננִי) ideſt reſponde mihi. Et quoniam cum exaudit Deus præcantem, reſpondere uidetur; ideo interpres uertit, exaudi. Quid autem ſit cur tantopere ſe exaudiri poſtulet, ita declarat.

IVSTIFICATIONES TVAS REQVIRAM.

VEl ut D. Hieronymus uertit, præcepta tua cuſtodiam, diuina ſcilicet eloquia, quæ Deus ſcripto nobis tradidit, et cõmendauit. Hæc (ait) requirã, ſummaq́; diligẽtia cuſtodiã. Illud igitur unũ ſolicitũ habebat Dauidis animũ, quomodo diuina eloqia cuſtodiret, idq́; unũ ex toto animo petebat à Deo, ut quo decet ſtudio diuinas leges requireret, in quibus omnem ſpẽ ſuæ ſalutis poſitã habebat. Propterea qui eas negligit, is ſuæ quoq; ſalutis negligens eſt, qui uerò eas ſtudioſè requirit, uitam, & immortalitatem quærit.

CLAMAVI AD TE, SALVVM ME FAC, VT CVSTODIAM MANDATA TVA.

INuocaui te, uertit D. Hieronymus. Deum uerò

inuocat, qui ipſum ſibi adiutorem, ſeruatoremq́ ado ptat. Quod quàm fidenter, & ex animo Propheta sãctiſsimus fecerit, eiuſdem uerbi repetitione declarat. Dixerat enim ſuperius, Clamaui in toto corde meo: Huius rei gratia oportet ſemper orare, & nunquàm deficere, quoad exoratores diſcedamus. Tantos autem ſpiritus ſumit, quia Deum inuocauit. Scriptum eſt enim. Quicunq; inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. ſua itaq; fidei mercedem .i. propriam ſalutẽ diuina promiſsione innixus exigere uidetur, cùm dicit. Clamaui ad te, ſaluum me fac.

VT CVSTODIAM TESTIMONIA TVA.

CVm Saulis inſectatione uexaretur, ſeq́ in maximas anguſtias coniectum, totamq́ vitam ſuam in ſummum diſcrimen adductam uideret, pro ſua liberatione orauit, ut ſaluus factus liberius poſſet teſtimonijs domini operã, & ociũ ſuũ dare, quandoquidẽ graues huiuſmodi curæ ab eorũ ſtudio ſolẽt auertere animos. Propterea & D. Paulus ab importunis hominib. ſe liberari optabat, ut cõmodius Euangelij ꝑdicationi uacaret. Clamauit ẽt carnis infirmitatẽ expertus q̃ natura ad malũ prona, & diuinis mandatis aduerſa, mergit homines in interitũ, à quo ſe ſeruari cupiẽs clamat. Saluũ me fac, ut cuſtodiam teſtimonia tua. Niſi.n. diuina nos gratia ſeruauerit, diuina ſeruare

teſtimonia non poſſumus. Quis.n.quod bonum eſt, ſeruare poteſt, niſi prius ipſe ſeruetur à malo?

PRAEVENI IN MATVRITATE, ET CLAMAVI, QVIA IN VERBA TVA SVPERSPERAVI.

SVrgebã adhuc in tenebris, uertit D. Hieronymus: quanq̃ uerbum hebrai cum קדם prauenire potius ſignificet. בנשף autem eſt crepuſculum, quod eſt noctis & diei principium, quod quidem tempus ad orandũ, & ſacrificandum fuerat conſtitutum à Deo. Agnos (inquit) duos quotidie immaculatos offeretis in holocauſtum ſempiternum, unum mane, & alterum ad ueſperum: quo quidem tempore, mens à curis ſolet eſſe ſolutior: quod etiam cum ipſius temporis, noctis ſcilicet & diei primitiæ ſint, meritò diuinarum rerum ſtudio conſecrari debuit, ut inde quod reliquum eſt temporis, rectè tranſigere diſcamus. Cuius enim primitiæ ſacræ ſunt, reliquum id ſacrum quoq; eſſe conuenit, neq; in prophanos uſus eſt inſumendum. Tanto itaq; amore diuinæ Legis tenebatur, ut in illius meditatione iucundius, quàm in ſomno conquieſceret. Quicunq; (ait Plato) uiuere, & ſapere cupit, maximè, & quàm longiſſimo tempore ſola ſanitatis commoditate ſeruata uigilet; quod Dauid ut animo ualeret, ut ſaperet, ſtudio ſummo ſeruauerat. Clamauit itaque indigus ad opulentiſſimum, infirmus ad

medicum, perditus ad ſeruatorem, iniuſtus ad iuſtificatorem, et miſer ad miſericordem: clamauit (inq̃) toto corde in ſpiritu humilitatis, gratiam, & miſericordiam poſtulans. Ecce tertiò clamat, quia ſumma cum perſeuerantia, & conſtantia ad Deum orat.

ET IN VERBA TVA SVPERSPERAVI.

VErbum tuum expectās, uertit D. Hieronymus. Sed interpres ideo ſuperſperaui, uertit, ꝙ qui expectat, maxima ſpe ſuſtentatus expectat, adhibens fidem illi, qui promiſit. Firma igitur ſpe uerbi Dei ſuſtentatus clamabat, quòd ſciret Deum fidelem eſſe, nec à uerbis ſuis diſceſſurum unquàm.

PRAEVENERVNT OCVLI MEI AD TE DILVCVLO. VT MEDITARER ELOQVIA TVA.

QVo tempore, quo ordine, quaq́; diligentia accederet ad ſtudium diuinæ Legis, oſtendit, in ipſis ſcilicet crepuſculis, & ſummo præſertim mane. Dicit. n. diuina ſapientia. Ego diligentes me diligo, & qui mane uigilauerint ad me, inuenient me. Hoc eſt autem, quod aliàs monet Salomō, Mane (inquit) ſemina ſemen tuum. At Dauid ipſum quoq; diluculum, & crepuſculum præueniebat, quod & ſuperius oſtendit. Media (inquit) nocte ſurgebam ad confitēdum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Quum primū. n.

euigilaſſet è ſomno, ea prima cura erat, ut toto pectore coràm Deo preces effunderet, & huiuſmodi precatione ſibi aditum aperiret ad ſtudium, & meditationem uerbi Dei. Quicunq; .n. hac ratione ad diuinum illud ſtudium accedit, peritior inde diſcedit. Qui uerò ſecus, oleum, & operam perdit. Non eſt itaq; ſtertendum, aut ociandum. Somnus .n. & ocium ſunt hoſtes ſtudiorum, ſed in ſtudijs uigilandũ, illudq́; præcipuè nobis ſit propoſitum, ut in his Deum ipſum, ipſiusq́; gloriam, & communem omnium ſalutem quæramus Hoc .n. ſignificat, & docet Pſaltes dicens. Ad te oculi mei præuenerunt. Ipſum enim Deum tantũ præ oculis habebat, non autem curioſitatem, & humanam gloriam, quæ procul a diuinis ſtudijs eſt remouenda.

VT MEDITARER ELOQVIA TVA:

NIhil profectò iucundius, nihil felicius contingere homini poteſt, q̃ diuina eloquia meditari, & commentari poſſe. Tunc .n. quaſi præſentes, coràmq́; cum Deo loquimur, & miro quodam modo illi coniũgimur. Nullũ itaq; præterire debemus diem, quin diuina eloquia meditemur, quãdoquidẽ illorũ meditatio uitæ totius iucunditas, & ſumma felicitas eſt. In his .n. diuina nobis mens, diuinusq́; amor ex omnibus partibus ſeſe oſtendit, quo uno contentus eſt animus, & fructum quendã immortalitatis capit, ſi ea præſer

tim

ſim diligenti ſtudio meditetur, & ſcrutetur.

VOCEM MEAM AVDI SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM DOMINE, ET SECVNDVM IVDICIVM TVVM VIVIFICA ME.

DOcuit vates præcedenti uerſiculo, quid agēdum illi in primis ſit, qui ad diuina eloquia meditanda acceſſerit, nempè ut ad Deum maxima ui fidei clamet, oretq́. Nunc uerò quanta animi ſummiſſione orandum ſit, ut à Deo exaudiamur, ſuo quoq; exēplo docet, qui orationē ſuam humillimo uocis uocabulo appellet. Vocem meam (inquit) audi. Nam & D. Ioannes ueræ humilitatis exemplum, prædicationem ſuam Vocē appellauit, quæ per ſe ipſa inualida eſt, & nihil promereatur. Nulli debitor eſt Deus, ut illius preces exaudiat, quāuis multa habeat merita. Quod enim quiſq; habet, ab eo prius accepit. Quòd ſi exaudit, id ſua miſericordia facit. Non itaq; in conſpectu habuit ſua merita, neq; uirtute precationis ſuæ fidit, ſed ſolam Dei miſericordiā intuetur, cum orat, eaq́ ſola fretus ſe ſperat quod orat, exoraturū. Qui .n. hac ratione petit, accipit, qui quærit, inuenit, & qui pulſat, aperit ei Deus. Hoc optimè ſciens Vates orās ait. ſecundum miſericordiam tuam audi uocem meam Domine.

ET SECVNDVM IVDICIVM TVVM VIVIFICA ME.

Congruus ordo, ait D. Auguſtinus, Præmittitur miſericordia, ſequitur iudicium. Niſi enim miſericordia præmitteretur, non ſequeretur Dei iudicium ad uitam, ſed ad mortem, & ſempiternam damnationem. Nemo itaq; ſine certo propriæ damnationis periculo ſubibit iudicium Dei, niſi prius diuinã miſericordiam interpellauerit. Hac una fretus petit Pſaltes, ſecundum iudicium tuum uiuifica me. Vita enim noſtra in beneplacito Dei poſita eſt, quando ſecundum miſericordiam ſuam iudicat, uiuificat, & ſeruat. Cum uerò iudicat ſecundum opera iuſtitiæ, quæ ex nobis fecimus, damnat, & mortificat. Propterea aliàs ait. Non intres in iudicium cum ſeruo tuo domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. ſecurus itaq; Dei iudicium adit, qui diuinam præmittit miſericordiam, non mortem, ſed uitam accepturus.

APPROPINQVAVERVNT PERSEQVENTES ME INIQVITATI, A LEGE AVTEM TVA LONGE FACTI SVNT.

Declarat hoc octonario, quid ſit cur tantopere tã q; aſſiduè oraret. In primis enim orabat ſe exaudiri. Clamaui (ait) in toto corde meo. Exaudi me domine. Mox petebat, ut diuina mãdata cuſtodire poſſet, & diuina eloquia meditari, Poſtremò, ut ab importunis hominibus, & hoſtibus ſuis liberaretur. Secun-

cundum iudicium tuum (dixit) uiuifica me. Appropinquauerunt .n. pſequentes me iniquitati. Qui diuinæ legis amans, & ſtudioſus eſt, diaboli odiũ ſibi ſummopere conciliat, ſui ſimiles homines excitantis, qui omnia mala in eum tentẽt. Hoc experiebatur Vates. Propterea ait. Appropinquauerunt pſequentes me iniquitati. Iniquitas aũt hic hebraicè eſt זמה *.i. malũ, ſeu facinus cogitatum, & pmeditatum à ſuis inimicis contra ſe: qđ certè illud erat, ut eum à ſtudio diuinæ Legis abducere, uel è medio tollere conarẽtur. Hoc ſcelus ita animo conceptum retinebant, ut omnia tentarẽt, ſi quo modo illud poßint admittere. Appropinqueuerunt (ait) pſequentes me iniquitati .i. obſirmatiß. animo conſpirarunt in pnicië meã hoſtes mei, ac penè quod volebant, perfecerunt. Nã & ipſa ſacra hyſtoria habet, q parum abfuerit, quin ipſe Dauid in manus Saulis deueniret, & in laqueos inimicorum incideret. Sed diuina prouidentia factum eſt, ut ſaluus, & incolumis ſemper euaſerit.*

A LEGE AVTEM TVA LONGE FACTI SVNT.

Affirmat uirtute diuinæ Legis factũ eſſe, quominus impij in ſe meditatum ſcelus pficere nequiuerint. Tũc etenim cum iniquitati appropinquaßet, & Vatem ſuis captum, & irretitum laqueis comprehendiſſe ſe crederent, ipſi à perpetrando ſcelere ſunt

repulſi. Hoc.n.eſt, quod ait. A lege tua lōgè facti ſunt. Ipſe nanque elapſus fuit, & uirtute diuina ſeruatus, eorum eluſit inſidias, ut uidere eſt 1. Reg. 24. & 25. cōſeruat itaq; Deus uerbi ſui ſtudioſos ab impiorum inſidijs. Ipſe nanq; protector eorum eſt, & dexteram ſuam ad eos protegendos extendit. Vel à lege Dei longe factos eſſe hoſtes ſuos dicit, ꝙ illius ſtudium, & doctrinam omnino deſeruiſſent, & in alia omnia iuiſſent. Atq; hinc factum eſt, ut ſtudiorum diſſimilitudo tantas inimicitias peperiſſet inter ipſos. Vt.n. Dauid diuinam legem uehementer amabat, ita illi uehemēter oderunt. Significat autem Vates omnia mala inter homines inde oriri, quòd à ſtudio diuinæ legis recedant. Tunc.n. et ab his recedit Deus, et ad eos accedit, & inter eos uerſatur, qui diuinā legem ex animo diligunt, & illius ſtudio dediti ſunt. Quod & ſequenti uerſiculo affirmat inquiens.

PROPE ES TV DOMINE, ET OMNES VIAE TVAE VERITAS.

IMpij, & nefarij homines nullam neq; religionis, neq; diuini cultus rationem habēt. Ideo uel Deum non eſſe, uel à nobis procul abeſſe opinantur, et ea tantùm, quæ ſupra lunam ſunt, curare: quæ uerò infra, negligere arbitrantur. At Dauid longè aliter ſentit de Deo. Propè es (inquit) domine. Prope autem dicitur Deus eſſe, cum nutu ſuo & cœleſtia, & terrena moderatur:

ratur: cum ſua præſentia, & maieſtate omnia replet, omnia præſens intuetur, & nihil omnino rerum omnium ipſum præterit. Prope eſt (inquit) ut neceſſe non ſit, ut longam quis ſuſcipiat peregrinationem, ut ipſum inueniat. Propè eſt unumquenq;, unumquēq; audit, & opportuno tempore opitulatur. Scire itaque Deum ubiq; adeſſe, profectò magnum affert pijs ſolatium in malis. Ita uerò adeſt, ut non ocioſus intueatur ſolùm, ſed eorum quoq; partes amāter ſuſcipiat, & ab impiorum oppreſſione liberet.

ET OMNES VIAE TVAE VERITAS.

IMpij diuinam prouidentiam negant, diuinamq́ legē mendacium arbitrantur. Pij uerò, qui Deum eſſe, & rebus omnibus adeſſe uerbo, & fide didicerunt diuinam legem ipſiſſimam ueritatem ducunt: quæ ſcilicet ſui cultorem non fallat, ſed potius præſtet, quæ pollicetur. Omnes (ait) uiæ tuæ ueritas. Vera ſiquidem ac ſolida bona pollicetur; uera quoq; mala minatur, ſcilicet ſempiternam damnationem. Veram autem fidem, ueràq́ pietatem, nō fictitiam, aut hypocriticā docet, et ueram uitam, ſempiternamq́ largitur.

INITIO COGNOVI DE TESTIMONIIS TVIS, QVIA IN AETERNVM FVNDASTI EA.

VEritatē diuinæ legis ab ipſa temporis æternitate arguit. Quicquid.n. uerū eſt, idem æternū quoq; ſit,

ſit, neceſſe eſt. Ab initio (ait) cognoui de teſtimonijs tuis. Ab initio fuit ueritas, non mendacium. Illud tamen paulò poſt ſubintrauit in mūdū ab ipſo ſuo patre Diabolo ſeminatū. Exijt nāq; ab initio, qui ſeminat ſemen ſuū, ipsā ſcilicet ueritatē. Mox uerò inimicus homo ſuper ſeminauit Zizania .i. mēdaciū. Qđ itaq; antiquū eſt, ueritas eſt. Quod uerò nouū, mendacium eſt. Ab initio aūt dicit, ſe cognouiſſe, nō certè ꝙ ipſe ab initio fuerit, ſed ꝙ diuina teſtimonia fuerint ab initio. Qđ ex ipſis diuinis ſcripturis agnoſcit, tū ex ipſis patrum traditionib. Qđ .n. ab initio traditum fuit à Deo patrib. ad ipſum Vatē legitima ſucceßione deuenit. Iccirco ait. Ab initio cognoui de teſtimonijs tuis.

QVIA IN AETERNVM FVNDASTI EA.

PRofectò niſi diuina Lex, & doctrina ipſius, ipſißima ueritas eſſet, iamdiu è medio ſublata fuiſſet. Sed cum ab ipſa æternitate fundamenta ipſius iacta fuerint, nulla ui humana potuit euerti, ſed uim ſuam retinet ſempiternam. uani itaq; eorum conatus, qui illam ſe euertere, aut funditus tollere ſperant. Fundata eſt .n. ſupra firmißimā æternitatis petrā, ut ne portæ quidem inferorum præualeant aduerſus eam. Aßiduis itaq; & ardentisſimis precibus clamandum eſt, ut quēadmodum præcedēte legis face peruenimus ad ueritatem, ita in ea diuinitus ſtabiliamur: ut uel ſi

cœlum ruere uideatur, nunq̃ ab ea recedamus: ut ſimul in diuino, ueroq́, diuinarũ rerũ amore perſeueremus. Exaudiat nos Dominus de cœlo ſácto ſuo. Amẽ.

Reſ. ר

RESS pauperem, & mẽdicum ſignificat, eum ſcilicet, qui à propria hæreditate expulſus ad eam pauperiem redactus ſit, ut mendicato pane uictitare cogatur, in quam ſanè miſeriam deuenit humanum genus propter peccatum Adæ, Nam cum ipſa rerum diuinarum cognitio, & iuſtitia eſſet homini hæreditaria, ab ea fuit expulſus, ꝙ ſi ad eam rurſus reſpiciat, & aſpiret, id precibus ſit mendicandum, & ſuppliciter petendum à Deo. Quod hoc octonario facit Pſaltes. Quod, qui cum ipſo faciunt, ſunt illi ſpiritu pauperes, quos dominus Ieſus Chriſtus beatos appellauit, qui cum ſe omnino inopes, & ueræ iuſtitiæ egenos agnoſcant, illa ſe ornari, ditari, & beari poſtulant à Deo, quod & Dauid ſibi poſtulans, ait.

VIDE HVMILITATEM MEAM ET ERIPE ME, QVIA LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

HVmilitatem ſuam appellat afflictionem, & mala, quæ quotidie ab impijs patiebatur, qua non modo ſuis, ſed & diuinis oculis humilis reddebatur, & ſuis hoſtibus contemptibilis. Quemadmodum

enim

enim amici Iob, ac illius præcipuè uxor ſic illum humi liatum deſpiciebant, ſic Hebræi Chriſtum à Deo per cuſſũ maledictis inceſſebant, ita Dauid à Saule ſper nebatur, cum de ipſius calamitatibus libenter audi- ret, & ipsũ Deo inuiſum arbitrabatur. In tãtis itaq; cõſtitutus calamitatibus, vide (inquit) humilitatem meã, & eripe me, Deus ſemper omnia uidet, omnia. n. nuda & aperta ſunt oculis eius, ſed quando permit tit impios, ut in impietate, & ſcelere proficiãt, nec eo rũ ſubito ulciſcitur ſcelera, nec pios ab eorũ oppreßio ne uẽdicat, quaſi cõniuere, ct nihil uidere uidetur, cũ uero impios ulciſcitur, pios uero eripit, tũc excitari, et oculos aperire, et uidere uidetur. Agit. n. Deus mo re illius, qui diu ſe aliquid uidere dißimulauerit, id uero tãdẽ ſe uidiſſe declarat, q̃ gratũ id ſibi, uel ingra tũ fuerit uel remunerãdo, uel puniendo declarat. Qđ itaq; ait Vates, vide humilitatẽ meã, idem eſt ac ſi di ceret, Declara domine, et nõ obſcurã exhibe ſignifica tionẽ, me tibi in tantis meis calamitatibus non eſſe in uiſum, ſed potius me pro tua paterna charitate in eas eſſe coniectum. Declarabis autẽ, ſi me ab ijs liberaue ris, nec me in illis diutius uerſari permiſeris. Vide er go humilitatem meam, & libera me.

QVIA LEGEM TVAM NON SVM OBLITVS.

S*Tudium, & obſeruatio diuinæ legis habet largam bono-*

bonorum omnium repromiſsionem, ut habetur Deut. 28. Ubi nullum bonorum genus prætermittitur, quod diuinam legē audientibus & obſeruantibus non promittatur, quas quidem promiſsiones repræſentari ſibi Dauid poſtulat, Libera (inquit) me, quia legem tuam non ſum oblitus. Tanta ſiquidem mercede dignus eſt, quicunq; diuinæ legis memoriam ſumma cum charitate retinet, ut ipſius uiciſsim nullo unquàm tempore obliuiſcatur Deus. Quod autem perpetuam legis memoriam ſeruarit, diuinæ uirtuti aſcribit, ut non meritum ſuum ſed Dei donum commemorare uideatur, quod ut alijs diuinæ liberalitatis muneribus ante ponendum eſt, ita maximis præferendum eſt meritis, cætera namq; ſua merita non reſpicit Vates, at huius tantum reminiſcitur.

IVDICA IVDICIVM MEVM ET REDIME ME. PROPTER ELOQVIVM TVVM VIVIFICA ME.

D. Hieronymus uertit, Iudica cauſam meam. ſed hebraica locutio propriè ſignificat, In iudicio cō tendere, & cauſam aliquam cum aduerſario coràm iudice agere, Maxima autē his orta erat inter Saulem & Dauidem, non certè de Iſraelitico regno, ad quod quamuis Dauid initiatus, & inauguratus fuiſſet, ab eo tamen adminiſtrando abhorrebat, quandiu Saul uiueret, ſed lis erat de regno Dei,

de diuina Lege, de uerbo Dei, quod non minus Dauid amabat, quàm rurſus Saul oderat. Diuerſa itaque ſtudia eorum quoq; animos ualdè diſiunxerant. Cum uerò Dauid pauper, mendicusq; eſſet, & ueluti culex camello comparatus, nulla uincendi ſpes oſtendebatur, tāta erat aduerſarij, & aſſentatorum illius potentia. Ideo diuinis aduolutus pedibus, Deum ſibi patronum, defenſoremq; adoptat, cuius patrocinio uincere didicerat, eiq; in hūc modum cauſam ſuam breui oratione commendat. Iudica iudicium meū, & redime me. Contendente itaq; Saule, non contēdebat Dauid, ſed Deus pro ipſo, cuius fidei cauſam ſuā commiſerat, iuxta illud, Vos ſilebitis, dominus autē pugnabit pro uobis. Iniuriarum enim, quæ ſeruo inferuntur, ultor eſt dominus, ad quem maxima earum pars uideatur pertinere, ideo orat Dauid, Diſcepta domine cauſam meā. Huiuſmodi autem cauſas piorum cum impijs diſceptat Deus, cum improbitatem detegit, & omnibus teſtatam facit, piorum uerò innocentiam uindicat, & illæſam tuetur. Hinc etiam colligitur, quicunque contra pios iniquam cauſam ſuſcipiunt, eos cum Deo pugnare, qui demum ſuo magno malo cauſa cadent. Eripit.n.dominus humilem de manu potentis, Nec permittit uirgam peccatorū ſuper ſortem iuſtorum.

Pro-

PROPTER ELOQVIVM TVVM VIVIFICA ME.

INtelligebat iam iam ſeſe in poteſtatē hoſtium ſuorum deueniſſe, & certiſſimum uitæ diſcrimen ſibi imminere ſentiebat, iccirco ab eorum tyrannide ſe uindicari ſuppliciter poſtulat, idq́ propter eloquium Dei. Quemadmodum Saul et reliqua impiorum multitudo hac potiſſimum cauſa Dauidi inſidiabantur, ut uerbum Dei oblitterarent, & in omnium contemptum adducerent, Ita rurſus unicum illud erat uotū Dauidis, ut propterea ſeruaretur in uita, ut uerbum Dei organum ueræ pietatis, & totius ſalutis contra impios tueri poſſet, & omnibus quoad fieri poſſet, commendare. iccirco ait, propter eloquium tuum uiuifica me. Videbat enim uir ſanctus paucos ſupereſſe, qui doctrinam ſalutis in populo tuendam & propagandā curarent, omnes.n. fere ad Saulis impietatem defecerant, regio illo ſplendore decepti, propterea pro ſua uirili optabat diuinam doctrinam conſeruari, ſentiebat enim commodius agi cum pijs, ſi uel meridie ſol occidat, quàm ut uerbum Dei in contemptum ueniat. Ideo uitam ſibi prorogari cupit, ut Dei uerbum, & ſanctiſſimam legem ita poſteris commendet, ut ſperet eam nunquàm obliuioni traditum iri, ea enim amiſſa, nihil eſt, quod uelit pius quiſquàm in tantis tenebris uiuere.

LONGE A PECCATORIBVS SALVS QVIA IVSTIFICATIONES TVAS NON EXQVISIERVNT.

NOn leuis eſt culpa, ſed delictum grauiſſimum eſt diuinæ legis ſtudium neglexiſſe, Nam ſi Deus legem ſuam nimis cuſtodiri mandauit, quo ſe obſtringit ſcelere? qua pœna mulctãdus eſt is, qui illius negligens fuerit, Longe a peccatoribus ſalus (ait Vates) quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt, Peccatores autem appellat impios præcipuè, æditio enim hebraica habet רשעים id eſt impios illos, qui contra uerbum Dei cõtumaces & rebelles ſunt, quibus hac una de cauſa ſit pereundum, quòd uerbum Dei cum pietate non exquirant, & iuſtificationes eius non ſectentur. Videtur autem Vates à ſimili arguere, nam ſi ab impijs longè ipſa ſalus abeſſe uidetur, non quòd ſimpliciter impij ſint, ſed quòd diuinas leges, & ſanctiſſimũ Dei uerbum, qua deberent pietate non exquirunt, propè adeſt his, qui quamuis ob carnis imbecillitatẽ peccent, iuſtificationes tamen Dei quanta poſſunt diligentia cuſtodiunt, & obſeruant, ſentiuntq́; nullum ſalutarius remedium, prauis animi cupiditatibus adhiberi poſſe, quàm ſtudium, & uerbi Dei aſſidua commentatio.

MISERICORDIAE TVAE MVLTAE DOMINE SECVNDVM IVDICIVM TVVM VIVIFICA ME.

SVo quidem uitio pereunt impij, qui Dei uerbum

aſpernantur, at non rurſus ſuo meritò ſeruantur, qui illud obſeruant, & ſtudioſè ſectantur. Ideo poſtquàm Vates de impiorum interitu ob diuinæ legis contemptum egit, mox diuinæ miſericordiæ mentionem facit, qua ſeruantur quicunq; cum pietate dant operã uerbo, in impijs quoq; relinquitur locus, ſi ab impietate receſſerint, ut dominus per Eſaiam, & Ezechielẽ pollicetur, propterea dicit, multas eſſe miſericordias Dei, quibus nõ ſolum pios diuinæ legis amantiſſimos, ſed impios etiam ſeruare uelit, & poßit, ſi ad impietate defecerint, ſeq́, ad cultum ſuæ legis cõtulerint. De relinquat (ait Eſaias) impius uias ſuas; & uir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad dominum, & miſerebitur eius, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Hoc illud eſt quod Vates ait, Miſericordiæ tuæ multæ domine.

SECVNDVM IVDICIVM TVVM VIVIFICA ME.

PRæcedenti octonario cum dixerit, Vocem meam audi ſecundũ miſericordiam tuã domine, & ſecũdum iudiciũ tuum uiuifica me, Monuimus ordinem quem Vates ſeruat, nempè quòd miſericordiã præmittit, pro qua Deus iudicans iuſtificat, & uiuificat. Sine ea autem cum iudicat, dãnat, et mortificat, propterea nemo, ſi ſana ſit mẽte, ſubibit iudiciũ Dei ſine miſericordia. Viuificat autem Deus non ſolùm cum nos

in uita, ſed cum in pietatis, & diuinæ legis ſtudio ita conſeruat, ut nullis ſiue ſecundis, ſiue aduerſis euentibus ab ea diſcedamus.

MVLTI QVI PERSEQVVNTVR ME, ET TRIBVLANT ME, A TESTIMONIIS TVIS NON DECLINAVI.

QVoniam maior eſt impiorum, quàm piorum numerus, mirum nequaquam eſt, ſi pij multos habeant perſecutores, pauciſsimos uerò fautores. hi nāq; quo chariores ſunt Deo, uehementior inſurgit contra eos Sathanas, ut reddat inuiſos. Propterea Pſaltes cū Dei miſerationes multas eſſe erga ſe dixiſſet, mox cōtra ſe multos concitatos fuiſſe dicit, qui ſe acerbiſs. odio inſectarentur. Ideo et diuinā erga ſe prouidentiā declarat, quæ ſe nullius fortunæ hominem protegeret, & inter potentiſsimos & acerbiſsimos hoſtes ſeruaret incolumem. Ita fit, ut quo nobis nocentior eſſe ſtudet Sathanas, eò magis proſit, & quo grauioribus nos urget calamitatibus ab extra, eo maiorem Dei prouidentiam erga nos ſentimus ab intra. quo grauius interdum conſcientiam exagitat recordatione peccatorum, eo magis Chriſti gratiam nobis commendat, qui mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit proptea iuſtificationem noſtram.

A TESTIMONIIS TVIS NON DECLINAVI.

CVm Diabolus improbus ſit, ſumma improbitate inſectatur, & infeſtat hominem, nulla uero in re nocere ſe poſſe grauius cognoſcit, quàm ſi Dei uerbum eripiat, nam ſenſit id ſibi feliciter ſucceßiſſe uel ab initio, cum illud primæuis parentibus male credulis ſubtraxit, & mendacium ſuum illis perſuaſit, quo omnia inuexit mala in mundum. Cum denuo igitur pro reparatione hominis dederit Deus uerbum ſuum iuxta illud, Non enim herba, neq; malagma ſanabat eos, ſed ſermo tuus domine, qui ſanat omnia, improbo ſtudio nititur ſathanas, ut præſentißimum hoc uerbi remedium infirmo homini adimat: hoc enim ſublato, quid reliquum eſt, niſi peſtis, & mors? iccirco ſathanas omnem mouet lapidem, ut uerbum uitæ tollat, ut mortem inuehat, ut obſcurata luce ſecurus ipſe agat in tenebris. Ideo Saulem eiusq; aſſentatores excitauit in Dauidem, in quem eo magis debaccharentur, quo ſtudioſius ipſe uerbum fide, & patientia retinebat: qui tamen hoc loco dat gloriam Deo, quod diuina uirtute firmatus à teſtimonijs ipſius nulla hoſtium improbitate, neque ingenio, neque ui ſathanæ auelli potuerit.

VIDI PRAEVARICANTES, ET TABESCEBAM, QVIA ELOQVIA TVA NON CVSTODIERVNT.

NOmen hebraicum בגדים quod interpres, & D. item Hieronymus prauaricantes uertit, non ſatis commodè unica latina uoce reddi poteſt. fæderis enim uiolatores, diuinarum, humanarumq́; rerũ turbatores, & alijs iniurios, & cõtumaces ſignificat. qua quidem appellatione Saulem, & præcipuos in populo ſugillat, qui malo acti ſpiritu nouas quotidie iniurias Dauidi inferebant, idq́; nulla alia de cauſa, niſi quòd diuinæ Legis ſtudioſus, & concionator eſſet, & ad illius ſtudiũ quenq; adhortaretur. Hos itaq; (ait) ſacrilegos diuini, humaniq́; iuris uiolatores uidi exaltatos, ſcilicet ſupra cedros libani, morib. deprauatos, & mente corruptos, ideo Tabeſcebam. vt ego mea felici ſorte lætabar, quòd in ſtudio legis tanto cum fructu uerſarer, ita rurſus eorum uicem dolebam, ꝙ huiuſmodi deſerto ſtudio vanitatem, immo impietatẽ, & immanitatem ſectarentur.

QVIA ELOQVIA TVA NON CVSTODIERVNT.

IDeo animo angebatur, ideo tabe, & macie conficiebatur, quòd Saul, quòd populi maiores uerbũ Dei negligerent, immo odio haberent, & illius buccinatores ferre non poſſent, idq́; augebat dolorem, ꝙ populares quoq; maiorum, & principum malo exemplo in

ean-

eandem impietatem pertraherentur. Hanc itaque ipſorum cæcitatem, & amentium ita deplorat, ut magnitudine doloris uideatur contabeſcere, & exanimari, hac enim ratione uidebat portas aperiri Diabolo, ut Dei regnum ipſe inauderet, & mundum occuparet uniuerſum, ideo doloris æſtu exardeſcit, & iniquiſsime fert regnum Chriſti rurſus fieri regnum Diaboli. Tam grauiter enim delinquunt, qui ſtudiũ litterarum ſanctarum aut deſerunt, aut oderunt, ut Chriſtum ſuo regno ſpolient, illudq́ truculentiſsimo tyranno ſtabiliant. Quo quid cogitari, quid dici ſceleratius poteſt?

VIDE QVONIAM MANDATA TVA DILEXI DOMINE, IN MISERICORDIA TVA VIVIFICA ME.

QVamuis principes populi, popularesq́ uerbum negligerent, & ſuo magno malo odio haberent, Vates tamen illud charius habebat, & amãtius amplectebatur, idq́ non ſtudio contentionis, nõ ſimulatione aliqua, ſed ex animo faciebat, ideo ſibi bene cõſcius Deum appellat ſtudij ſui inſpectorem, et iudicẽ, dicitq́; Vide quoniam mandata tua dilexi domine, quaſi diceret. Quamuis alij aliter de me, ac de ſtudijs meis ſentiant, ſatis eſt mihi, quòd tu noſti domine me ex animo legem tuam diligere, impatienterq́ ferre, quòd eam contemni uideam.

SECVNDVM MISERICORDIAM TVAM VIVIFICA ME.

CVm Deum ſuæ innocentiæ inſpectorem, & iudicem appellaſſet, & ſciret ex altera parte neq; cœlos, neq; cœlites per ſe coram Deo mundos eſſe, ſibi tutius ducit, ſi non ſuæ innocentiæ, ſed miſericordiæ domini memor ſit, Viuifica me (ait) ſecundum miſericordiam tuam. Quaſi dicere uideatur, Quamuis nihil mihi conſcius ſim, & diuinam ſuam legem ſummo amore proſequar, non iccirco me ipſe iuſtifico coràm te, aut iuſtitiæ meæ mercedem depoſco, ſed tu potius pro benignitate, & clementia tua uiuifica me, uita ſcilicet corporis, uita gratiæ, & beatitudinis. Superius præmiſſa Dei miſericordia ſubdidit Iudicium, Multæ (inquit) miſericordiæ tuæ domine, ſecundum iudicium tuum uiuifica me. Hic uero præmittit iudicium, ac mox miſericordiam ſubiungit, Vide (inquit) quia mandata tua dilexi, in miſericordia tua uiuifica me, Quamuis enim Deus ſingula cuiusq; merita conſideret, ſecundum tamen miſericordiam ſuam ea coronat, & unicuiq; retribuit, Iuxta illud, Miſericordia tua præueniat me, & ſubſequatur me omnibus diebus uitæ meæ.

Prin-

PRINCIPIVM VERBORVM TVORVM VERITAS ET IN AETERNVM OMNIA IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

VT ſtultè, ut impiè facit, qui diuinam doctrinam nihili æſtimat, ita ſapienter, ita piè facit, qui illius amore, ac deſiderio tabeſcit; Propheta enim declarat totius legis ſummam ipſam eſſe veritatem, ipſamq́ iuſtitiã, quibus ut nihil pulchrius, nihilq́ amabilius eſt, ita nihil fieri turpius, nihil iniquius poteſt, q̃ eas contempſiſſe. Principium (ait) uel ut D. Hieronymus uertit, caput uerborum tuorum ueritas, caput enim pro rei ſumma accipi ſolet, q͏̃ in capite totius uitæ ſumma conſiſtat. Caput itaq; diuinorum eloquiorum, uel eorum ſumma eſt ueritas teſtimonio Vatis, q͏̃ in illis non niſi uera contineãtur. Diuina itaq; eloquia ſunt domicilium ueritatis, eã ſi quæris, ſi inuenire deſideras, in diuina Lege illã reperies, hanc ea ſibi ſedẽ delegit, in ea cõmoratur, hic nullo fuco, nulla falſa ſpecie adumbrata ſe quærẽti occurrit, fruſtra alibi eam quæris, reliquæ leges, & diſciplinæ, & hominũ inſtituta vmbras quaſdam habent veritatis, nõ ipſam veritatem, quod ſi & ipſam habeant, eam certè nõ integram & incorruptam, ſed mendacio, & fucis quaſi meretricem unguentis delibutam habent.

ET IN AETERNVM OMNIA IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

VEritas non modo ſimpliciſs. & ab omni fuco alie

na eſt, ſed etiam æterna, & corrumpi nullo pacto poteſt, Vani itaq; impiorum conatus contra diuinam legem, cuius caput æneum eſt, ueritas ſcilicet omnium fortiſſima, quæ cuncta ſibi aduerſantia pulſet, et euertat, ipſa uerò in æternum ſtat. Cur uerò diuina eloquia iudicia iuſtitiæ appellet, aliàs monimus, quod ſcilicet iudicet Deus impios legis contemptores, pios uerò illius ſtudioſos iuſtificet. Hanc itaq; legem diuinæ, & æternæ ueritatis ſedem ita amabat Dauid, ut huius ſtudium nec tunc quidem intermitteret, cum grauiſſimis tentationibus pulſaretur; nec moleſtius quicquàm ferebat, quàm quod illam negligi animaduerteret, neq; iccirco ſe ſupra cæteros efferebat, ſed humilis diuinam miſericordiam implorabat, certumq́; habebat, id ſeſe impetraturum, quod ſibi diuina lex polliceretur, quòd ea æterna ueritas eſt.

SIN. ש

SIN Dentem ſignificat, per trãslationem autem pro potentia, & robore accipitur, quæ cum apud principes reperiantur, ipſos quandoq; ſignificat, qui cum deberent ſummo amore, & deſiderio complecti diuinã legem & illius eſſe ſtudioſi, ut ad illius normã reſpublicas adminiſtrarent, eã quãdoq; potius belluarum immanium more proſcindunt, & dentibus ſuis dilacerant, uel certè proſcindere, et dilacerare conantur,

tur,

tur, quemadmodum hic idem Vates Pſal. 2. & hoc octonario docet.

PRINCIPES PERSECVTI SVNT ME GRATIS, ET A VERBIS TVIS FORMIDAVIT COR MEVM.

OMnes quidē, ſed ipſos præcipuè Reges, et principes diuinæ legis ſtudioſos eſſe decet, iccirco Pſaltes Pſal. 2. eos admonet, & nūc (inquit) Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur dominus, et pereatis de uia iuſta, Ipſa item Sapientia clamant, ſi delectamini ſedibus, et ſceptris ò Reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis, diligite lumen ſapientiæ omnes, qui præeſtis populis. Verū ea eſt Diaboli aſtutia, ut eos præcipuè contra uerbum Dei concitet, atq; eorum mentes ità peruertat, ut exiſtiment regnis ſuis illud pernicioſum eſſe, quod omniū maximè ſalutare eſt, Nihil eſt.n. quod ad conſeruanda regna, & ad populos in pace retinendos plus poßit, q̃ uerbum Dei, Tantum uero abeſt, ut ſeditionis cauſa ſit, ut ea tantū regna floruerint, & adhuc floreant, quæ uerbo Dei portas aperiāt. Nō eſt uerbū ſeditionis, ſed pacificationis uerbū Dei: miniſtri illius nequaq̃ sūt ſeditionis authores, nec regnorū inuaſores ſed potius cōſeruatores, quādoquidē ueræ fidei ueræ iuſtitiæ, ueræ tēperantiæ, ueræ fortitudinis, ueræ deniq; prudentiæ magiſtri ſunt, quarum quidem uirtutum fundamento

regno-

regnorum, & rerum publicarum ſalus nixa eſt: his uero euerſis, neceſſe eſt omnia funditus interire. Quid eſt igitur cauſa cur Reges cœleſtem doctrinã, & magiſtros illius morte multãdos cenſeant, & ideo perſequantur? Quid erat, quòd Saul Dauidi inſidiaretur, cuius beneficio ipſe ſibi, regnoq; ſuo ſalutem, & pacem poterat comparare? At contra, cum in illum tantopere ſæuiret, ſibi perniciẽ ſtruxit, & è regno fuit deturbatus. Nulla profectò erat cauſa tam acerbæ inſectationis, niſi ꝙ Vates Dei uerbum diligeret, & ad illius normam omnia reuocaret, à quo Saul, & ipſius ſectatores valdè abhorrerent, qui omnia ad ſuã uoluntatẽ, immo libidinẽ, ꝙ̃ ad legẽ Dei reuocare ſtudebãt.

ET A VERBIS TVIS FORMIDAVIT COR MEVM.

NOlite timere (ait dominus) eos, qui occidunt corpus, nec habent, quid faciant amplius, ſed timete eum, qui poſtꝙ̃ occiderit corpus habet poteſtatem mittendi in gehennam ignis. Quamuis itaq; Reges, & Principes aſſiſtant aduerſus dominum, & doctrinam eius, non tamen ea deſerenda, aut abijciẽda eſt, illius pertimeſcendæ ſunt minæ, at non hominũ; Durius eſt.n. incidere in manus Dei uiuẽtis, ꝙ̃ in manus mortalis hominis. Vates itaque maluit Dei præcipiẽtis minas metuere, quàm Saulis uerbum prohibẽtis.

eaq;

eaq; uidetur eſſe Vatis ſentētia. Quamuis principes me minaciter inſectētur, magis tamen diuinæ Legis iram,& indignationem ueritus ſum, q̄ tyrannorum, ideo ad illius ſtudium omnes animi cogitationes contuli,nihil metuens à regibus mali.

LAETABOR EGO SVPER ELOQVIA TVA SICVT QVI INVENIT SPOLIA MVLTA.

SVperius Pſaltes vt ſe dixit non mediocriter formidare à uerbis Dei, ita nunc illis ſe plurimùm oblectari dicit. Qui autem fieri poteſt, ut quis ex eadem re metum ſimul,& oblectationem capiat? Duo conſiderāda ſunt in Vate,nempè caro,& ſpiritus. Timet caro, ſanctoq; timore cōfigitur, ut ſpiritui ſubijciatur, illius iugum ferat,ne ſuo fruens ipſa ingenio laſciuiat,et ſordeſcat. Lætatur uero,et exultat ſpiritus, confortatusq; in domino, et in potentia uirtutis eius nihili facit cuiusq; minas, ſed in lege domini commoratur, et in ea placidus conquieſcit,atq; inde longè maiorem percipit lætitiam, quàm caro dolorē ex perſecutionibus.longè maiora ſunt enim bona quæ lex cultoribus ſuis largitur,quàm quæ mala inferre principes poſſint. Quāuis igitur ex altera parte, quatenus homo erat,timore conficeretur ob minas principum,ex altera tamen quatenus ſpiritu Dei agebatur,exultabat ſuper eloquia domini,& eiſdem omnē

à ſe

à ſe metum abſtergebat,

SICVT QVI INVENIT SPOLIA MVLTA:

SVmpta metaphora ab his, qui deuictis hoſtibus ſpolia detrahunt, hac & Eſaias uſus eſt, ad declarandam piorum lætitiam in aduentu Meßiæ. Lætabuntur (ait) coràm te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant uictores, quando diuidunt ſpolia. Vel ſumpta eſt ab his, qui theſaurum in agro abſconditum inueniunt, quo inuento abeunt præ lætitia, diuendũtq́; omnia quæ habent, & emunt agrum illum. Lætabatur itaq; Vates ſuper diuina eloquia, ex quibus intelligebat, ſuis deuictis hoſtibus, fore, ut earum ſpolijs ditaretur, licet itaq; pro tempore ſuæ ſibi fortunæ diriperentur, et nominis ſui fama obſcuraretur ab hoſtibus tamen uidebat breuem fore lætitiam hoſtiũ, quibus iam iam immineret interitus, quorumq́; bona ad ſe reditura ſperabat, ideò hac bona ſpe ipſius animus ſuſtentabatur.

INIQVITATEM ODIO HABVI, ET ABOMINATVS SVM, LEGEM AVTEM TVAM DILEXI.

MEndacium odio habui & deteſtatus ſum uertit D. Hieronymus שקר *fallaciam, quæ ore & lingua committitur, ſignificat, de mendacio autem & fallacia non uulgari loquitur Vates, quæ interdum*

lo-

loquendo utimur, ſed de mendacio, quod & in doctrina, & uita ineſt, iuxta illud 2. Reg. 22. ero ſpiritus fallacia in ore Prophetarum, & pſal. 51. Dilexiſti malitiam ſuper benignitatem, mendacium magis, quàm æquitatem. huiuſmodi autem mendacium pernicioſiſſimum eſt. Propterea ſapiens ille dicere aſſueuerat. Nihil periculoſius emi, quàm doctrina, quæ ſi fortè dolo, aut fallacia corrupta eſt, nihil illa nocētius eſt. Philoſophiam autem inanē fallaciam uocat D. Paulus, quæ quamuis ſpeciem aliquam pietatis & ueritatis habere uideatur, decipit tamen ſui cultores, hanc ſe odio habuiſſe, ac deteſtatum fuiſſe Vates ſignificat, at quidem non abſolutè, ea nanq; intra ſuos fines ſi cōtineatur, utilis eſt, & humanarū rerum adminiſtrationi maximè conducit. at ſi ſuis egreſſa finibus audeat ſe diuinæ, cœleſtiq; doctrinæ immiſcere, atque ēt præferre, tunc reijcienda, odioq; habenda eſt.

LEGEM AVTEM TVAM DILEXI.

QVod humana doctrina, philoſophiaq; pro mendacio, ſeu fallacia accipienda ſit, declarat, quaſi diceret. Vt mendacem doctrinam, & inanem Philoſophiam odio habui, ita legem tuam ex animo dilexi ſemper. qui ſanè contemptus, & odium conflabat Dauidi inimicitias, quòd ſcilicet illud ſtudiorū genus contemneret, odioq; haberet, quod principes, quod po-

pu-

pulares multi ſectarentur diuina interea ſpreta lege.

SEPTIES IN DIE LAVDEM DIXI TIBI SVPER IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

SEptenarius numerus cum ex pari, imparíq́ numero conſtet, ſacer habetur, & perpetuitatẽ quandam, quãdamq́ perfectionem ſignificat. Septies itaq; in die laudem dicere, eſt exactè, & continenter Deo gratias agere. Laudem enim dicere eſt gratias agere quòd non niſi cum laude agãtur alicui gratiæ. Quòd autem dicit, in die, intellige tempus uniuerſum. Perpetuas itaq; Deo ſe gratias egiſſe his uerbis oſtẽdit. quid uero eſſet cauſa, cur continenter Deo laudes perſolueret; & gratias ageret, declarat:

SVPER IVDICIA IVSTITIAE TVAE.

EX Omnibus partibus oſtendit ſeſe amor, quo Dauid animus flagrabat erga diuinam legem, nam quamuis plurima, eáq́ præclariſſima beneficia accipiſſet à Deo, unum illud omnium maximum ſentiebat, quod cœleſtem doctrinã eſſet aſſecutus. Hoc uno præcipuè admonebatur ſui muneris eſſe, ut finem nullum faceret agendarum gratiarum Deo. Quicquid .n. boni haberet, aut ſe habiturum ſperaret, id ſibi nõ niſi per uerbũ Dei poſſe contingere intelligebat, nam omnia nobis bona portat uerbo uirtutis ſuæ.

Pax

PAX MVLTA DILIGENTIBVS LEGEM TVAM, ET NON EST ILLIS SCANDALVM.

QVamuis impij uideantur dies ſuos in bonis ducere, nulla tamen eſt illis Pax, ſed dies noctesq́; quibuſdam quaſi furijs eorum animi exagitãtur. Eſt .n.cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere nõ poteſt. Non eſt pax impijs ait Eſaias, Pijs uerò uel in medijs malorũ fluctibus placida mens, tranquillusq́; animus eſt, quippe quod in diuina erga ſe charitate conquieſcant. In mundo (ait dominus) preſſuram habebitis, in me autem pacem, quæ quidẽ pax, teſte D. Paulo, ſuperat omnem ſenſum. Senſu aliquando doloris, & impatientiæ mouentur piorum animi, at pax, quã ex uerbo Dei hauriunt, facilè ſuperat omnem ſenſum ideò Pſaltes hanc pacem appellat multam. Pax (inquit) multa diligẽtibus legem tuam, propterea quod nullis neq; ſecundis, neq; aduerſis rebus turbari poſſit. Omne, quod natum eſt ex Deo, uincit mundum, ait D. Ioannes, pax autem huiuſmodi ex uerbo Dei ad nos proficiſcitur. ideo nullis mundi turbinibus cedit, neq; mouetur, ſed omnia ſuperat. Hac pace fruuntur Chriſtianæ diſciplinæ alumni, eam nanq; pollicetur ſuis diſcipulis Chriſtus, Diſcite (inquit) à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus ueſtris. Multi quidem multa ſcripſere de tranquillitate animi, at præter Chriſtum eam

nemo præſtare potuit, uel ſi quam quis præſtitit, ea breuis, & modica fuit, At pax, quæ ex uerbo Dei percipitur multa & æterna eſt, quam dominus per Apoſtolos ſuos mundo uniuerſo nuntiari præcepit, In quancunque (inquit) ciuitatem, uel domum intraueritis, primùm dicite, Pax uobis. ſignificare ſiquidem uoluit cœleſtem, diuinamq́ doctrinam ſecum afferre quæcunq; ad externam, & internam pacem pertineant, ubicunq; ea prædicetur.

ET NON EST ILLIS SCANDALUM.

M*Ultis quidem diuina hæc doctrina ſcãdalo eſt, Prædicamus (ait d. Paulus) Chriſtum Crucifixum, iudæis quidem ſcandalũ, gentibus aũt ſtultitiã ipſis uero credentibus Dei ſapientiã. Q̃d aũt de Chriſti doctrina dicit D. Paulus, id de Moſis doctrina loquitur Dauid. Impijs. n. & mundi ſapientibus ludibrio eſt, quia quæ Dei ſunt, non intelligunt, Pijs uero, & Dei ſpiritum habentibus ea ſumma ſapientia eſt, nullum in ea ſcandalũ offendunt, quòd ſi quid minus intelligunt, id quaſi myſterium non curioſè ſcrutantur, ſed piè adorant, & uenerantur. Nullum itaq; illis eſt ſcandalum, nam ad ſplendidiſſimam diuinæ legis facem, quam ſibi ſemper præferunt, poſſunt cernere quæcunq; offendicula obijciantur, ut ad ea non impingant, quo fit, ut ſumma ſemper pace, ſumma ſemper*

per tranquillitate fruantur.

EXPECTABAM SALVTARE TVVM DOMINE, ET MANDATA TVA DILEXI.

ALludit ad uaticinium illud Iacob de Meſsia, Gen. 49. Salutare tuum expectaui domine, qui nimo iiſdem ferè utitur uerbis, quamuis hic uerbo קבח ibi uerò שבר quæ ſanè uerba quãuis litteris differant, ſenſum tamen eundẽ habent, ſignificant n. promiſſorum euentũ fide, & patiẽtia expectare. Cũ dicit itaq; expectabã ſalutare tuũ domine; ſignificat, ſe ardẽtiſsimo amore, & deſiderio expectare Meſsiã, in quẽ oẽm ſalutis ſuæ ſpem cõiecerat. Qui ideo ſalutare Dei appellatur, ꝙ niſi per ipſum uera ſalus nemini cõtingat, Non. n. amor, et obſeruatio legis ſeruare quenq̃ poteſt, niſi fidei oculo reſpiciat in Meſsiã totius ſalutis autorẽ, in quẽ nos quoq; reſpicere, et à quo expectare ſalutẽ lex ipſa nos docet, cuius finis Chriſtus eſt in ſalutẽ omni credenti. Dicitur et Meſsias Salutare Dei, ꝙ per ipsũ ſolùm, non aũt per Moſen ſeruet ſuos Deus. Iuxta illud Eſaiæ, In domino ſeruabitur Iſrael. Meſſias. n. nõ homo ſimplex, ſed et uerus Deus eſt, ꝙ ita ſe de ipſo ſẽtire oſtẽdit Dauid. quãdo cũ ſalutaris nomine, nomẽ Tetragrãmaton יהוה cõiungit, et hoc Salutare Deum ipſum eſſe oſtendit. Quam uerò ardenter Meſsiæ aduentũ expectaret, quiduè ab eo expectaret declarat, nempè eam ſalutem, quam lex per carnis

infirmitatem præſtare non poterat, quam nos quoque per fidem aſſecuti ſumus.

ET MANDATA TVA DILEXI.

HEbraica æditio habet, & mandata tua feci, & D. Hieronymus ſic tranſtulit, ſed fortaſſe interpres uertit. Mãdata tua dilexi, quia dilectio legem adimplet, in hoc.n. uerbo Diliges, teſte D. Paulo, omnia inſtaurantur. Nã ille uerè legem implet, qui fide, ſpe & charitate ſalutare Dei expectat, & diuinam illius doctrinam ex animo diligit, eamq́; pro uiribus ſeruare conatur. Qui itaq; fide, quæ per delectionem operatur, ſalutare Dei expectat, is uerè iuſtus eſt. Miſit.n. Deus filium ſuum in mundum in ſimilitudinẽ carnis peccati, ut quod impoßibile erat legi per infirmitatem carnis noſtræ, ipſe in nobis adimpleret, & iuſtificatio noſtra corám Deo fieret. Hunc itaque Meßiam expectans uir ſanctus, per quem legis impletionem, & iuſtitiæ donationem accipimus, meritò non in ſe, ſed in domino Ieſu Chiſto gloriabundus dicit, Mandata tua feci.

CVSTODIVIT ANIMA MEA TESTIMONIA TVA, ET DILEXIT EA VEHEMENTER.

QVoties audimus Pſaltem dicentem feci, cuſtodiui, obſeruaui, nequaquàm exiſtimandum eſt hunc

hunc ipſum meritorum ſuorum concionatorem eſſe factum, abſit; ſed ſentiendum, quòd diuinam erga ſe beneficentiā prædicet, qua per fidem in futurū Meſſiam fruebatur, cuius quoq; ſpiritu adiutus ea, quæ lex præcipit, ſeruabat. Quòd itaq; dicit, Mandata tua cuſtodiui idem eſt, ac ſi diceret; Diuina quidem lex tua uſq; adeo mihi chara, & accepta fuit, ut eam ſummo ſtudio cuſtodierim, & nullis neq; ſecūdis, neq; aduerſis euentibus eam mihi excidere paſſus ſim. Cuſtodit .n. diuinam legem quicunque ſummis uiribus, eam apud ſe conſeruat illæſam, nec ab ea aliquando deſciſcit. Animam uero ſuam dicit cuſtodiſſe, quòd eam ex animo adamarit, & coluerit, & in omni ſua uita, in moribus, & actionibus ſuis eam præſetulerit, ut nihil admitteret, quod à legis præceptionibus eſſet alienum. Anima .n. pro totius uitæ curſu accipitur, in quo diuina nobis lex quaſi meta propoſita eſt.

ET DILEXI EA VEHEMENTER.

AFfirmat ſe non uita, & moribus ſolùm diuinam legē ſeruaſſe, ſed incredibili illius amore flagraſſe, maior .n. horum eſt Charitas. Nemo itaq; ſatis arbitretur, ſi ad legis normam mores ſuos componat, niſi eandem rebus omnibus, quas amare, quas mirari homines ſolent, anteponat, quippe quæ ſit melle dulcior, quouis nectare ſuauior, quouis theſauro pretioſior,

quauis ſpecie pulchrior, & proinde amabilior: in ea amanda abijcienda illa eſt regula, quæ ad cæteras res adhiberi ſolet, Ne quid nimis. quandoquidem nemo pro merito amare, admirari, laudareq́ illam poſſit.

SERVAVI MANDATA TVA, ET TESTIMONIA TVA QVIA OMNES VIAE MEAE IN CONSPECTV TVO.

Quamuis in principio Pſalmi huius docuimus, quod apud Vatem idem ſint in genere mandata, & teſtimonia, & his nominibus uniuerſam legem ſoleat appellare, Mandata tamen poſſumus accipere pro ea lege, quam legem operum D. Paulus appellat, Teſtimonia uero diuinas promiſſiones nobis ſignificabunt, quas Legem fidei idem Apoſtolus nuncupauit. Quarum ambarum legum ſe maximè ſtudioſum fuiſſe declarat. Seruaui (inquit) manda tua, id eſt ſtatis temporibus, modisq́, opera legis præſtiti. Seruaui item teſtimonia tua, certiſſimam enim fidem promiſſis tuis adhibui, eaq́ te præſtaturum minimè dubitaui, quæ in lege tua pollicitus es. Non auditor itaque tantùm uerbi, ſed & factor erat, fidei, & operum legem amplectebatur, Ideo cum dixiſſet, Mãdata tua feci, illud quoque ſubiunxit, Salutare tuum expectaui. Quia ut ſine fide nihil placet Deo, ita fides ſine operibus mortua eſt, uno nanque uinculo iungenda

ſunt

ſunt opera cum fide, nec in omni uita diſiungenda.

QVIA OMNES VIAE MEAE IN CONSPECTV TVO.

Rationem affert, cur in omni uita diuina præcepta ſeruanda curauerit, et diuinis teſtimonijs fidem adhibuerit, dum ſine dubitatione aliqua finem promiſſorum expectaret, ſalutare Dei ſcilicet, quippe quod omnes uias ſuas in conſpectu Dei eſſe intelligeret, ideſt quod optimè ſciret, Deum requirere hominem intus per fidem, extra per opera iuſtificatum. quãdoquidem nõ internas ſolùm, ſed etiam intimas animorum cogitationes introſpicit, primo itaque requirit fidem, ſpem, & charitatem in animo, ex quibus quaſi radicibus externæ quoq; actiones proficiſcãtur, quæ Deo placeant, Qui itaq; nouit Deum omnium conſiliorum, & actionum inſpectorem, & iudicem, nihil ſimulat, aut diſſimulat gratia, metu ue principum, qui ſe, ſuaq́; omnia uni Deo probare ſtudet, hunc unum timet, ueneratur, & colit, huius legibus ſtudioſè obtemperat, ab earum obſeruatione nulla humana ui deterretur, Hoc qui facit, perpetuas agit gratias Deo, ſumma pace, ſummaq́; animi tranquillitate perfruitur. &c.

Thau .ת.

THAV eſt ultimum alphabeti hebraici elemetũ, et eorum primũ, quibus ſacroſancta Dei lex et doctrina ſcribitur, quod eſt תורה . id quod non ſine maximo myſterio factum eſt, ſignificatur . n . diuinã hanc doctrinã tantæ eſſe excellentiæ, ut qui eam perfectè aſſecutus fuiſſe uideatur, uix primordia illius attigerit, propterea ultima alphabeti littera in principio diuinæ Legis apponitur. Thau porro ſignum, ſeu inſigne ſignificat, quod in fine alphabeti iccirco collocatum eſt, ut omnibus conſtet, quicunque ad huius doctrinæ ſtudium acceſſerint, et in ea uſque ad finem excolenda perſtiterint, eos inſigne .i. beatitudinis gloriam conſecuturos eſſe ab immortali Deo. Iccirco apud Ezechielem & D. Ioannem reperies pios uiros ingemiſcentes ſuper cunctis abominationib. Hieruſalẽ inſignitos fuiſſe littera Thau, in fronte aũt inſigniri eos uoluit Deus hac littera, quòd diuinam Legem, & doctrinam honorificentiſſimè uſque in finem profeſſi fuiſſent. Hac quoq; littera Crux Chriſti delineatur. antiquitus enim littera Thau crucis figura, id D. Hieronimo atteſtante, ſcribebatur, qua certè cruce qui inſignitus eſt, Diaboli poteſtatem, & mortẽ liber euadit, cuius cognitionem ſi quis aſſequitur, gloriari poterit ſe ad totius ſcientiæ et ſapientiæ apicem

cem

cem perueniſſe, ut cum D. Paulo gloriari poſſit, ſe nihil ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, et hunc Crucifixum. Huc cum perueniſſet Vates ſumma animi ſummisſione in hunc modum orat.

APPROPINQVET DEPRECATIO MEA IN CONSPECTV TVO DOMINE, IVXTA ELOQVIVM TVVM DA MIHI INTELLECTVM.

PSaltes diuiniſſimũ Pſalmum peroraturus, quaſi in epilogum colligit quicquid ſparſim in ipſo docuit, & in primis monet, qui huiuſce doctrinæ ſe capacem fieri cupiat, eidem neceſſe eſſe, ut aſſiduis precibus imploret diuinam opem, ut Mens cœleſti, diuinoq́ lumine illuſtretur, ut diuinam ſapientiam, et ueritatem in lege abſconditam poſſit intueri. Ideo orat, Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo domine. Deprecatio aũt diuinæ gratiæ & benignitatis petitio eſt, quæ tunc Deo appropinquat, quando non à ſummis labris (ut aiunt) ſed ex imo pectore proficiſcitur, et maxima fide, et ſpe in uerbo locata profertur, nam huiuſmodi petitionem facilè patitur Deus in ſuum conſpectum uenire, alioqui ne ad ipſas quidẽ nubes penetrat. Verum quoniam orare neſcimus, ut oportet, ſed diuinitus edocemur, ideo petit, appropinquet oratio mea in conſpectu tuo, quod ut facilius obtineat, nomen Dei inuocat, quia quicunq; inuocauerit nomen domini Saluus erit.

IVXTA ELOQVIVM TVVM DA MIHI INTELLECTVM.

SEcundum uerbum tuum doce me, uertit D. Hieronymus, Illud præcipuè habet in uotis Dauid, ut doceatur non ſecundũ elementa mundi, & doctrinas hominum, quãdoquidẽ ab huiuſmodi diſciplinis neq; uera Dei cognitio, neq; ſalus, neq; felicitas homini poteſt contingere, ſed poſtulat, ſe erudiri ſecundum eam doctrinam, quæ à uerbo Dei profecta ſit, quæ germanam Dei notitiam, et ſempiternam felicitatẽ donat. Interpres cum uellet referre uerbum hebraicum הבין quod docere ſignificat, uertit, Da mihi intelleſtum, uerbum.n. illud ita docere alium ſignificat, ut quæ di dicerit, intelligat, & capeſſat, Multi quidem multa diſcunt, quæ tamen ipſi non intelligunt: Iccirco ait, Da mihi intellectum, nec de illa mente, & intellectu loquitur Vates, quæ communis eſt omnium, ſed de ſupernaturali diuina luce illuſtrata intelligit.

INTRET POSTVLATIO MEA IN CONSPECTV TVO SECVNDVM ELOQVIVM TVVM ERIPE ME.

QVo magis optabat mentem ſuam illuſtrari cœleſti, diuinoq; lumine, eò ardentioribus precibus id contendit ab ipſo Deo. ſentiebat.n. quantum inter

fit; ut uerbi Dei sẽſum eliciamus, qui uita æterna eſt quod certè nemo proprio ſuo lumine conſequi poteſt, ideo improbitate quadam orationis utitur, ut id diuinitus ſibi contingat, quæ tamen improbitas Deo gratiſsima eſt, eaq; delectatur. Supra appropinquet (ait) deprecatio mea in conſpectu tuo. Nunc uero idem iiſdem uerbis, eademq; ſententia poſtulat. Intret poſtulatio mea in cõſpectu tuo, quod certè maius eſt, q̃ appropinquet deprecatio. nam orãdo, ipſa oratio paulatim maiores ſuſcipit uires præſertim, ſi uerbum Dei quaſi ducem ſecũ adhibeat. ſecura nanq; & timoris expers uerbi ductu appropinquat Deo, & ad thronum gratiæ illius ingreditur. Hoc Duce & Comite orauerunt & clamauerũt patres ad dominum & exaudiuit eos de cœlo ſancto ſuo.

SECVNDVM ELOQVIVM TVVM ERIPE ME.

QVia Sathanas nihil æquè odit, q̃ uerbum Dei, ideo pios innumeris onerat malis, ut ab illius ſtudio abducantur. Agnoſcẽda eſt huius improbitas, & nobis continenter orandum, libera nos à malo, quẽadmodum nos domiuus monuit. Hoc autem nõ ea de cauſa eſt faciendum, ut uitam liberiorem ducamus, ſed ut uerbo attentius incumbamus. Eripe me, (ait Propheta) ſecũdum eloquium tuum. Hic uidere eſt q̃

fidenti

fidenti animo agat cum Deo quicunq; uerbum obtinet, quaſi non liceat Deo quicq̃ negare, quoties uerbũ promeritis adducitur. Fidelis.n.eſt Deus, negare ſeipſum non poteſt.

ERVCTABVNT LABIA MEA HYMNVM CVM DOCVERIS ME IVSTIFICATIONES TVAS.

PRæcedenti octonario dixit ſe ſepties in die laudes dixiſſe.i.(ut interpretati ſumus) continenter Deo gratias egiſſe ſuper iudicia iuſtitiæ Dei. Quin alias, & hoc quoq; Pſalmo, Media(ait)nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtificationis tuæ, id quod initio Pſalmi pollicitus eſt ſe facturum. Confitebor tibi(ait)in directione cordis, eo quod didici iudicia iuſtitiæ tuæ. Hoc idem commutatis uerbis dicit. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me iuſtificationes tuas. Quid.n.eſt aliud eructare hymnũ, q̃ laudem Deo dicere, & confiteri ei in directione cordis, quod ſe docuerit cœleſtem, diuinamq́; doctrinã? Cur uero dicit, Eructabunt labia mea hymnum? quia non labijs tantum, aut oretenus, ſed ex ipſis animi uiſceribus pro tãto accepto munere gratias Deo agebat. Nam hebraicũ uerbũ נבע ex ſecreto & penitiſs. receſſu quicq̃ extrahere, & in aſpectũ, lucemq́; proferre ſignificat. Labijs quidem hymnos, & laudes

Deo

Deo canebat, ſed ex ipſis cordis penetralibus eos eliciebat, quod diuino ſpiritu plenus diuina uerba de ſua plenitudine eructabat, hoc idem eſt, quod & dominus pollicitus eſt, Qui crediderit (inquit) in me, flumina exibũt de uentre eius aquæ uiuæ.

QVOD DOCVERIS ME IVSTIFICATIONES TVAS.

ILlud unũ omnibus in ſe collatis beneficijs præfert, quòd uidelicet cœleſtis, diuinaq́; doctrinæ factus ſit capax, qua ſola iuſtificatur homo coràm Deo, per illam nanq; fidem adipiſcitur & opera, quæ ſint Deo grata, præſtat. Quod munus cum omnibus ſit multo præſtantius, ob illud ingentes, immortales gratias agere Deo debet.

PRONVNTIABIT LINGVA MEA ELOQVIVM TVVM, QVIA OMNIA MANDATA TVA AEQVITAS.

CVm Dauid conſtitutus eſſet à Deo Rex & Propheta in Iſraele, quæ ipſe didicerat, non poterat non loqui, & alios docere. cumq́; ea non humana, ſed diuina eſſe intelligeret; implorat diuinam opem ad obeundum ſuum munus docendi, prius quidem ſe doceri poſtulauit, mox ut alios ritè docere poſſit, precatur, non.n. rectè quis diuina docere poterit, qui prius ab ipſo Deo edoctus non fuerit. Pronuntiabit (in-

quit) lingua mea eloquium tuum. Verbum hebraicū ſignificat loqui, reſpondere, uel etiam pronuntiare petenti, roganti, & conſulenti. Vates. n. conſulebatur à populo de diuinis rebus, ipſe uerò nihil aliud, q̄ Dei verbum reſpondebat, Falſi prophetæ cordium ſuorum conſilia, vanas mentium ſuarum cogitationes, & oculorum uiſiones referebant, Noſter uerò qui fidelis Dei miniſter in docendo erat, Lingua (inquit) mea pronuntiabit non meos ſenſus, aut ſomnia, ſed fidem, interpres verbi tui pronuntiabit non mea, nec alterius cuiuſq̄, ſed tua eloquia. Aliàs linguam ſuam calamum ſcribæ uelociter ſcribentis appellat. Nam ſicuti calamus quamuis ſcribat, non ſua tamē ſed ſcribentis uerba, & ſenſum reponit, ita uerus, ſinceruſq̄ Dei miniſter, cum docet, non ſua, ſed quæ ex uerbo Dei percepit, alios docet.

QVIA MANDATA TVA AEQVITAS.

CVm diuina eloquia caſtiſſima, & ſāctiſſima ſint nulla ratione contaminari poſſunt prauitate, & corruptis noſtrorum animorum ſententijs, Danda tamen nobis eſt opera, ut lingua cādenti carbone expurgata ea proferamus, quia ſunt æquitas, & homines iuſtos, & æquos uel requirunt, uel conſtituunt. Quemadmodū uerò omni ſorde expurgata ad nos deuenerint, uidendū ut eadem ad poſteros incorrupta perueniāt.

Fiat

FIAT MANVS TVA VT SALVET ME QVONIAM MANDATA TVA DILEXI.

GRauiſsimum onus humeris ſuis impoſitum ſentiebat Dauid, cui diuinorum eloquiorum docẽdorum munus eſſet obeundum. nam qui huiuſce doctrinæ magiſtri ſunt, profitentur ſe perpetuos hoſtes Diaboli, quo cum perpetuas inimicitias, quicum bellum continenter gerant. Cum itaq; non ſit his colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & Poteſtates, & aduerſus mũdi Rectores tenebrarum harum, non humana, ſed diuina uirtute muniti ſint oportet. Vates itaq; rei difficultate deterritus petit ſe muniri diuina uirtute, ut queat reſiſtere. Fiat (inquit) manus tua, ut ſaluet me. Manus Dei uirtus Dei eſt, & potentia, qua cuncta perficiũtur, hac ſe ſeruari exoptat, quia nec ſua, nec alterius cuiusq̃ manu ſe ſeruari poſſe ſperabat. Neceſſe eſt itaq; ut uerbi miniſter uirib. ſuis diffidat, & aſsiduis precibus imploret opem diuinam, qua aduerſus potẽtiſsimorum hoſtium uim ſtare infractus poſsit.

QVIA MANDATA TVA ELEGI.

STudium diuinæ Legis omnes habet promiſsiones, ut Deut. 28. oſtenditur. iccirco quibuſcunq; calamitatibus, & ingruentibus malis obijci poteſt, & ad omnia felicia impetranda maxime conducit:

ei

ei enim omnium bonorũ merces ex ipſa Dei promiſſione debetur. Vates bona ſpe ſuſtentabatur diuinæ uirtutis impetrandæ, quòd reiectis omnibus diſciplinis & doctrinis diuinam Legem ſibi obſeruandam delegiſſet diuinæ itaq; promiſſionis debitam mercedem exigens ait, Salua me quia mandata tua dilexi ſeu elegi.

CONCVPIVI SALVTARE TVVM DOMINE, QVIA LEX TVA MEDITATIO MEA EST.

PArum quidẽ prodeſſet, ut quis deligeret ſibi ſtudium litterarum ſanctarum, & in eo continẽter uerſaretur, niſi Chriſtum ſalutare Dei in huiuſmodi ſtudio quaſi ſcopum ſibi proponeret. in litteris.n. ſanctis uelut in inuolucro Chriſtus deliteſcit. Scrutamini (ait ipſe) ſcripturas, quia illæ teſtimonium perhibent de me. & aliàs teſtatus eſt, quod Moſes de ſe ſcripſerit. Nunc itaque ſe uehementer optaſſe ſignificat Pſaltes. nam & Chriſtus expectatio, & deſideratus gẽtium appellatus eſt ob ardorem deſiderij patrũ expectantium illius in carne præſentiam, uerum Vati non contigit, ut ſui huiuſmodi uoti compos fieret, ut Chriſtum corporeis oculis uideret in terris, nondum enim aduenerat tempus, quod ab ipſa æternitate conſtituerat Deus, quo illum in terras amãdaret, fidei tamen oculis proſpiciebat illum uẽturum, & ani

mo fruebatur meritis mortis illius, propterea dicit.

QVIA LEX TVA MEDITATIO MEA EST.

DVo ſunt, quæ nos potiſſimum Deo commendant, fides ſcilicet in filium Dei unicum ſeruatorem, & ſtudium diuinæ Legis, quo moribus exornamur. In his toto animo uerſabatur Propheta. Nam cum dixit, concupiui ſalutare tuum domine, fidem ſuam in Chriſtum nobis ſignificauit. Cum uerò addit, & lex tua meditatio mea eſt, ſtudium ſuum in diuina Lege oſtendit. D. Hieronymus transfert, lex tua uoluntas, ut n. fidei ita diuinæ Legis ſtudium ad ſalutem conſequẽdam eſt neceſſarium. Mea eſt, nomẽ ſiquidem duplicatum שעשע *ſignificat magna alicuius rei delectatione teneri. Doctrinam itaq; cœleſtem fidem & opera ſimul complectentem animi ſui pabulum, ac delitium eſſe teſtatur, quo uno contentus facilè contemnat quicquid eſt delitiarum in mundo.*

VIVET ANIMA MEA, ET LAVDABIT TE, ET IVDICIA TVA ADIVVABVNT ME.

QVem fructum perciperet ex ſtudio, & meditatione verbi Dei, declarat, nempè omnigenam felicitatem, quam uitæ nomine appellat. nam ut erumnæ & dolores mortis nomine ſignificantur, ita

gaudium, pax, tranquillitasq́; animi uitæ nomine declarantur. Viuit (inquit) anima mea, uita ſcilicet nõ humana, non mortali, ſed cœleſti & ſempiterna, quæ ſola ex diuinarum rerum meditatione percipitur.

ET LAVDABIT TE.

H*Vmanarum rerum proſperitas Dei obliuionem inducit, proſperitas uerò diuinarum rerũ facit, ut perpetuam Dei memoriam grato animo retineamus, illum ſemper amemus, gratias immortales agamus, & illius laudes totis animi medullis celebremus, laudabit te (inquit Vates) anima mea. Laudare autẽ Deum uera, & ſempiterna felicitas eſt, & beatorum ſpirituum munus, Beati (ait aliàs) qui habitãt in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabũt te. Ad hũc finẽ os, & lingua data eſt homini, ut laudet Deũ. His itaq; uerbis profitetur, ſeſe poſthac mentem ſuã, ſuumq́; ingenium, linguam, & ſtilum Deo conſecraturum, cui uni acceptum referat, ꝙ uerè uiuat, quòd ui ipſius diuina perceperit guſtum, & ſenſum rerum diuinarũ, ꝙ illius uirtute audacter prædicet uerbũ, neq; uereatur potentiam hoſtium quamuis potentiſſimorum. Laudabit te (inquit) anima mea, ea efferet uictricem manum tuam, non meam, tuis nanq; uiribus fretus pugnaui, victorias, & triumphos tuos*

carminibus meis celebrabo,& in recordatione benignitatis tuæ iocundus degam.

ET IVDICIA TVA ADIVVABVNT ME.

IN ſtudio diuinæ Legis omne præſidium paratum habemus, Diuinæ enim eloquia tanq̃ fidiſſimi, amantiſſimi, prudentiſſimiq́ʒ conſiliarij ſunt, & amici quocunque loco, quocunque tempore, quacunque denique calamitate nobis præſtò adſunt, nunq̃ deſerũt, opitulantur, & ſolatium præſtant, fitq́ʒ, ut neque ſecũdis efferamur, neque aduerſis obruamur, quandiu tali præſidio firmatus eſt animus, hoc itaque ſibi pollicetur præſidium à uerbo Dei Vates iccirco ait iudicia tua, eloquia nempè tua adiuuabunt me. Vel is fuit ſenſus Vatis, quòd eò etiam libentius ſe totum occupabit in diuinis laudibus celebrandis, cum ſecum aſſidua meditatione reuoluet diuina iudicia, quæ monumentis litterarum ſanctarum prodita ſunt, quibus ſingulis temporibus iuſtitiam ſuam declarauit, cum verbi ſui amatoribus, & item contemptoribus utrique debita præmia perſolueris. Adiuuabunt me (inquit) iudicia tua, ad canendas ſcilicet laudes tuas, cum mihi proponam documenta iuſtitiæ tuæ, quanta ſcilicet ſeueritate animaduerteris in eos, qui uerbũ tuũ in omni ſua uita contempſerũt, & quantis rurſus præmijs eos affeceris, qui illud ſibi

amandum, & ſectandum delegerũt, qui ad illius normam ſuas omnes actiones direxerunt. Hæc inquam ſua iudicia apud me meditans plurimum mihi adiumenti afferent ad mala perferenda, & tuas diuinas laudes celebrandas.

ERRAVI SICVT, QVAE PERIT, QVAERE SERVVM TVVM, QVIA MANDATA TVA NON SVM OBLITVS.

QVamuis pij, ſanctiq; homines ſtudio, & obſeruatione diuinæ legis nitantur, ſe puros, integrosq; ſeruare, ſua tamẽ errata, ſuaq; delecta hẽnt. cumq; humanæ corruptellæ cõſcij ſint, intelligũt ſe nõ poſſe ſine peccati labe uitã traducere, idq; nõ diſſimulãt, ſed ingenuè confitentur, Quãuis itaq; Vates amorem ſuũ, ſuũq; ſtudiũ in diuina lege et meditãda, & ſeruanda ſæpe iactauerit, fatetur tamẽ, quãdoq; ſe erraſſe. Errauí (inquit) ꝙ quid eſt aliud, q̃ uitam ſuã peccato ſordidatam, & ſordidam damnare? ſimile de D. Bernardo legimus, qui in ſpectis tabulis totius uitæ ſuæ, factaq; ſumma ſuarum cogitationum, et actionum dixit, perditè uixi, uitam ſuam præclariſſimam, & ſanctiſſimam ipſe quoque damnauit; & diuinæ miſericordiæ perfugium ſibi tantum relictum ſenſit. Neque tamen eo ſenſu tali de ſe protulere homines ſancti, quòd omnia ſua opera peccata mera eſſe arbitrarentur, ſed quòd ea non carere labe aliqua animaduerterunt, quo factum eſt ut ſe, ſuaquè

potius abijceret, quàm iactarent. Nihil itaq; rectius faciet homo, quàm ut ſibi ſemper diſpliceat, ſemper ſe errare ſentiat, & in diuinæ miſericordiæ ſinu totus conquieſcat. Nondum adulterij, & homicidij crimine ſe obſtrinxerat Vates, cum hæc caneret, ſed uim ſẽtiebat peccati, quod cum adhuc eſſet in utero matris ipſa ſui conceptione contraxerat, quod uitiorum omnium ſeminarium eſſet, & omnium origo malorum. Verum magni refert qualis, quis, et qua ratione peccet, errant pleriq́;, qui in ſuo errore perſeuerantes in mortem corruunt ſempiternam, errant hi uelut Hædi reijciendi, reprobandiq́;. Alij uero errant ut Oues, hi ab errore reuocantur, Generatio enim Dei oues conſeruat, nec poteſt eas quiſq̃ eripere de manu eius Pſaltes itaq; ſe ouem appellat, unum ſcilicet electorum Dei, & prædeſtinatorum ad beatam uitam, nã uelut ouicula paſtoris ſui uocem audiuit, alienorum uerò refugit. Oues enim meæ (ait dominus) àudiunt uocem meam. in hoc enim oues non errant, ſed ſequũtur paſtoris uocem. Suam inſuper imbecillitatem declarat, cum ſe ouem appellat, animal ſcilicet imbecillum, quia ſine paſtoris cura, luporum ſua ſponte ſeſe parat inſidijs.

QVAERE SERVVM TVVM DOMINE.

Q*Vemadmodum proprium eſt ouium errare, &*

periꝛe, ita paſtoris eſt proprium, eas quærere, & ſeruare, errauerat Vates, quid reſtabat, niſi ut Chriſtus uerè bonus paſtor ipſum quæreret, ipſumq́; ſeruaret. Cupiebat itaq; ut Chriſtus aduentaret, qui ſe ouiculam ſuam aberrantē quæreret, ſuſciperet, & humeris ſuis ad ouile ſuum reportaret, Finis legis Chriſtus. Neminem.n. ad perfectum deduxit lex. Supra damnauit uitam ſuam licet ſtudio legis excultam, ſciens quia nō iuſtificatur homo ex operibus legis, ſed fide Ieſu Chriſti, Ideo reſpicit in Chriſtum, & in ipſo ſummam totius ſalutis ſibi relictam ſentit. Venit enim filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat.

QVIA TESTIMONIA TVA NON SVM OBLITVS.

IN principio Pſalmi Beatos eos appellauit, qui ambulāt in lege Domini, in fine uerò affirmat, eos quoque ad beatitudinem poſſe pertingere, qui quamuis errauerint, in hoc tamen non errarunt, ut diuinorum eloquiorum ſint obliti. Dei nanq; uerbum tantæ uirtutis eſt, ut uel ſi in mentem uenerit, omnia illico mala faceſſant, & felicia quæq; ſuccedant, uerbi uirtute Diabolus abſterretur, Deus uerò placatus, ac propitius redditur. Verbi itaque recordatione ſeipſe excitat, & quamuis multorum erratorum ſibi cōſcius ſit, ſpem tamen nō abijcit, ſed fidēti animo clamat, Quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.

Di-

Diuini huius uerbi uim docet D. Auguſtinus fratres ſuos in eremo, Diſcite (inquit) ſacrã ſcripturã, ſæpe legite eam, quia dulcior eſt melle, fortior uino, leuior oleo, ſublimior auro, argento purior, Hæc eſt quæ præcipuè in Deum prouocat, & eum diligere inuitat, corda illuminat, linguam rectificat, conſciẽtiam probat, animum ſanctificat, fidẽ roborat, Diabolum reijcit, peccata ſpernit, animas frigidas callefacit, lumẽ ſcientiæ oſtendit, tenebras ignorantiæ depellit, triſtitiam extinguit, lætitiam accendit, ſitienti potum tribuit, de inſipientibus ſapientes facit, primos de nouiſſimis ponit, magnos de minimis efficit, nobiles de ignobilibus commutat, naturam frenat, prohibet leuitatem, temperat dolorem, confert ſpem, coronat ſenẽ, docet iuuenem, mitigat indignantes, reuocat errantes, inſtruit ignorantes, ſanat ægros, roborat infirmos, excitat ſomnolentos, ocioſos increpat, laborantes lætificat, Reges humiliat, humiles exaltat, rectas uias iudicat, honores multiplicat, & beatos tandem in hac & in futura uita ſui ſtudioſos reddit, Beati ſunt.n. qui ſcrutantur teſtimonia eius, & in toto corde exquirunt eum.

PSAL. CXIX.

AD DOMINVM CVM TRIBVLARER CLAMAVI ET EXAVDIVIT ME.

IN Primo hoc gradu uidemus Vatē ſanctiſſimum grauiter afflictum, & maximis in anguſtijs uerſantem. quandoquidem ita placuit Deo hāc eſſe piorum ſortem in mundo, ut lugeant, ut affligentur, ut mala omnia patiantur. ſtatutum eſt enim omnibus piè uiuere uolentibus, teſte D. Paulo, ut perſecutiones patian-
2.Tim.3 *tur. Ea dominus ſe ſequi uolentibus mandauit, ut in primis crucem ſuam tollant, neq; illis aliud ferè in hoc ſeculo promittit, quàm lachrymas, cruces, & mortes. Oportet enim per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Durus quidem, ac difficilis uidetur hic gradus, quo multi offenſi pedem referunt, triſtesq; abeunt, Verùm quid hoc loco agendum eſt? id nempè, quod ſe feciſſe Vates teſtatur. Ad Dominum (inquit) cum tribularer, clamaui. Cùm itaq; Pſaltes in magna animi afflictione uerſaretur, nec ulla iam ſpes ſupereſſet, ut clamaret ad homines, ad ipſam* יהוה *clamauit, ad eum ſcilicet, qui eſt omnium rerum cauſa, & exiſtentia, quiq; omnia intuetur, & regit. Ad Deum, qui patribus ſe reuelauit, ad Moſen locutus*

eſt,& prophetis apparuit, Ad Deum, qui non longè, ſed propè eſt ijs, qui inuocăt eum. Clamat autem, qui fidenti animo, nihilq́ hæſitans orat. Hic (inquam) clamat, quamuis nulla ipſius uox exaudiatur, quemadmodum Moſi tacito ſecum oranti dictum fuit, Quid clamas?

ET EXAVDIVIT ME.

Dauid expertus didicerat, quàm clemens, quàm benignus, & exorabilis ſit Deus ijs, qui tribulato ſunt corde, quiq́ illum inuocant. quàm certè Dei benignitatē ideo Dauid oraturus ſibi reuocat in memoriam, ut maiori fiducia, & animi conſtantia orare poßit Deum totius benignitatis authorem, qui ſui ſemper eſt ſimillimus, nec immutari ulla ratione poteſt. Clamaui (inquit aliàs) & exaudiuit, nunc quoq; ſine ulla dubitatione me clamantem ſpero exaudiet. Exaudit quidem Deus clamantes, uel potius (ut hebraica uox ſonat) clamantibus reſpondet, quando reipſa id eis præſtat, quod petunt. uel eos ſpiritus ſui gratia, & præſentia in interiori homine recreat, & contra imminentia mala corroborat, redditq́ teſtimonium, quòd filij Dei ſunt, quorum paternam curam gerit ipſe, facitq́, ut ijs omnia cooperentur in bonum.

Domi-

DOMINE LIBERA ANIMAM MEAM A LABIIS INIQVIS, ET A LINGVA DOLOSA.

MVlta quidem ſunt tribulationes iuſtorum, quas ipſi à Diabolo, & ab illius membris patiuntur, uerùm nulla re alia magis commouentur, magisùe affliguntur, quàm quòd uideant, Dei uerbum, & ſanctiſſimum illius cultũ deſeri, et deſertum iacere, mendacium uero ſuperſtitionẽ & impietatẽ ab omnibus ſuſcipi, et haberi in pretio, ideo angebatur Vates animo. Vidi (in Pſalmo antecedenti) præuaricantes, & tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Tabeſcere me fecit Zelus meus. Exitus aquarũ deduxerũt oculi mei, Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legẽ tuam. Hic aũt ſignificat ſe non mediocriter afflictum ob labia iniqua, & linguã dolosã, per quæ intelligit pſeudoprophetas, et doctores populum ſeducentes, & illi placentia loquentes, quorum duo extitiſſe genera ſub metaphora labiorum, & linguæ declarat. Quemadmodum enim eſt duplex hoſtium genus, alterum quidem eorum, qui diſſimulatas, alterum uerò, qui apertas gerit inimicitias, ita duplex eſt genus hoſtium uerbi Dei, & pietatis, alterum apertum, ſecretum alterum. Illi ſunt ex aperto hoſtium Dei genere, qui labijs iniquis, aperto ſcilicet & libero ore Deum non eſſe oblatrant, illius uerbum irrident, & pietatem peſſimè

ode-

oderunt. Hi labia iniqua meritò appellantur, quòd eorum blaſphemiæ in Deum, & in uerbum eius ita in promptu ſunt, & omnibus apertæ, ut ipſa ſunt labia. Ex ſecreto autem genere hoſtium illi ſunt, qui ſub ueritatis, & pietatis pretextu impietatem & mendacium male cautis & imprudentibus obtrudunt. Huiuſmodi autem uiros ipſe quoq; dominus appellat lupos ſub ouina pelle latitantes. Pſaltes autem hos linguæ doloſæ comparat ea enim latet, & cum ſatis leuis & blanda uideatur, ueneno tamen erroris imbuta eſt, & omnia corrumpit. Hanc autem diſtinctionem et D. Hilarius animaduertit hunc ipſum locum commentans. Diſtinxit (ait) labia iniqua, & linguam doloſam, ea quidem iniquitas inuerecunda eſt, palàm audet, palàm molitur, palàm perficit, & hi ſunt, qui nullum humanis rebus aſſerunt reliquum eſſe in regione Dei profectum, ſed ſolum hoc ſibi bonum eſſe, quòd luxui et corpori uiuant, adimentes Deo curam prouidentiam, arbitrium, et poteſtatem. Horum ergo labia ſunt iniqua. Doloſæ autem linguæ opus fallax eſt cum per ſimulationem noxiam ſub religionis lumine religionem euertat, & per uitæ ſpeciem deducat in mortem. Hæreticorum iſta quoque mendacia ſunt, prophetarum dictis, & euangeliorũ uirtutibus, & apoſtolorum præſcriptionibus mẽdacijs occultatis, aliter omnia tradere, & docere, quàm ſunt. Hæc ille.

Libera

LIBERA ANIMAM MEAM.

Nihil certè maiore cum periculo comparatur & emitur (ait ſapiens ille) q̄ ipſa doctrina, ea.n. ſi iniqua, & falſa ſit, iniquas etiam in animis, & falſas imprimit opiniones, de Deo, quod eſt omni peſte perniciosius. Orat propterea Dauid ipſum Deum, ut animam ſuam liberam, & immunem reddat ab eorū doctrina, qui palàm, & apertè docent, quæ & communi omnium iudicio damnata ſunt. atq; ab illa etiā, quæ ueritatis quidem præſefert ſpeciem, hæretica tamen eſt. utraq; enim in turbulentiſsimos, grauiſsimosq́; errores malè cautorum animos trahunt, utraq; peſtilentiſsimæ, à quibus cum nos per nosipſos cauere non poſſimus, orandus eſt nobis aſsiduè Deus, ut nos liberet. Nos quidem natura ipſa ad mendacium, & errorem imbibendum faciles, et procliues ſumus, qꝫ ſi ad corruptam naturam doctrina quoq; falſa acceſſerit, id erit ſua ſponte cadentem impellere. Oremus itaq;, Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.

QVID DETVR TIBI, AVT QVID APPONATVR TIBI AD LINGVAM DOLOSAM?

Interpres abſq; punctulis legens paſsiuè uertit, Hebrai uerò cum punctulis legentes actiuè interpretātur. Quid dabit tibi, aut quid apponet tibi lingua doloſa?

loſa? ſed ſiue actiuè, ſiue paßiuè uertas, non per obliquum, ſed per rectum ſic legendum erit. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi lingua doloſa? Doctorē itaq; ſubdolum, & pſeudoprophetam per interrogationem alioquitur Pſaltes, ut reſpondeat, an ſeueriſſimum Dei iudicium, iram, & ultionem euadere ſe poſſe ſperet, qui hominum iudicium ſua fallacia, et hypocriſi ſubterfugit eos ſeducens, ò lingua doloſa, ò magiſter, qui mente corruptus, et reprobus es circa fidem qui cum cæcus ſis, alijs tamen te ducem præbere nō uereris, quid quæſo boni falſa iſthæc doctrina, quam inter populos diſſeminas, dabit? immo quid illa mali tibi non afferet, & accumulabit continuò? Quid non apponetur tibi? ſignificat nanq; hæreticum, & corruptum doctorem omni malorum genere ab ipſo Deo afficiendum eſſe, neq; malis illius finem ullum unquā ſtatuendum, ſed noua ſemper malo, & ſupplicia ſupplicijs illius adijcienda eſſe. quo enim in dies magis ſerpit, & graſſatur mala illius doctrina, eo accumulatior, grauiorq; fit docentis pœna apud inferos.

LINGVA DOLOSA.

DE labijs iniquis mentionem non facit, quandoquidem eorum dānatio ſatis aperta eſt omnibus, propterea cum nulla declaratione egeat, eos prætermittit, & linguam tantùm doloſam alloquitur, eiq; diui-

diuinam iram, & ultionem minitatur, quemadmodũ et aliàs facit, Propterea (inquit) deſtruet te Deus, et emigrabit te de tabernaculo lingua doloſa. Hoc autem ideo fecit, quòd huiuſmodi pſeudodoctores inſenſiles omnino ſint, nec Dei iram metuunt. Adde quòd tanto pernicioſiores habendi, quàm aperti Dei hoſtes quanto grauius, & acerbius eos afflicturus eſt Deus, quandoquidem hi ſimulata pietate nocentiores ſunt quàm qui apertam profitentur impietatem. Poßunt hæc quoq; referri ad quoſcunq; obtrectatores, & calũtores, qui aliorũ nomẽ, & famã maledictis ſuis, & calumnijs proſcindunt, quos omnes quæ ſupplicia maneant ſequens uerſiculus indicabit.

SAGITTAE POTENTIS ACVTAE CVM CARBONIBVS DESOLATORIIS.

SVnt qui ſagittas & carbones iſtos ignitos ipſa labia iniqua, & linguas doloſas interpretantur, hoc ſiquidem tropo aliàs uſus eſt Vates, nam dẽtes, & linguas filiorum hominum arma & ſagittas eorum appellauit. D. etiam Iacobus linguam igni comparat, quæ maximam lignorum ſyluam in cinerem redigat, quin potius malum uniuerſum appellauit. Mali ſiquidem doctores, & alienæ famæ obtrectatores diuina & humana cuncta corrumpunt. Alij uero ſagittas, & carbones hos pro ipſis Dei uerbis accipiũt,

qui

quibus ipſe cõfodere et abſumere uidetur hoſtes ſuos, ſpiritu nanq; oris ſui interficit impium, & paleas impiæ doctrinæ eo igne comburit, quem miſit in terram, quenq́ uoluit mirabiliter accẽdi. Verùm quam uis huiuſmodi interpretationes piæ, ſanctæq́ ſint, D. tamen Hilario libentius aſſentior, qui ſaggitas, et carbones pœnã, & ſupplicia interpretatur, quæ de impijs detractoribus, & falſæ doctrinæ magiſtris interpretatur. Nam & Iob ſagittas domini appellauit eos dolores, & cruciatus, quos tum corpore, tum animo patiebatur. Sagittæ (inquit) domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. Quin et poetæ deſcribunt Iouem fulminibus adigentem Gigãtes ad inferos, ut ſignificent acerrimam numinis ultionem in illos, qui ſe contra illius uerbum, & cultũ inſtruunt, & quaſi huic Dauidis metaphoræ alludunt, qui teſtatur eos, uelut acerrimos Dei hoſtes, confodiendos acutiſsimis, & manu potenti contortis ſagittis, qui labia iniqua, & linguam doloſam geſſerint. Cum enim ſcelerati homines graui aliquo ſupplicio corripiuntur, cuius cauſa ignoratur, hi ſagittis ex pharetra depromptis percuti, & feriri dicuntur à potentiſsimo Deo.

CVM CARBONIBVS DESOLATORIIS.

C*Arbones iuniperorum, ſeu gineſtarum, carbones deſo-*

deſolatorios appellat interpres, eò quod huiuſmodi carbones uehementius ardeant, & diutius ardorem ſeruẽt ſub hac autẽ carbonum ſimilitudine intolerabiles, & perpetuos illos cruciatus declarat, quibus apud inferos perpetuò affliguntur impij, pluet nanque ſuper illos Deus ignem, & laqueos ſulphuris, & ardebit uſque ad inferni nouiſsima, hæc eſt pars calicis eorum, qui labijs, iniquis uel lingua doloſa Dei ueritati, & pietati, & famæ bonorum detrahunt, & illudunt.

HAEI MIHI QVIA INCOLATVS MEVS PROLVNGATVS EST. HABITAVI CVM HABITANTIBVS CEDAR, MVLTVM INCOLA FVIT ANIMA MEA.

VErſiculus iſte aliter habet, & in æditione hebraicã diuiditur, Deſinit enim ubi ait, Habitaui cum habitantibus cedar, & ſequens uerſiculus ſubinde incipit, Multum incola fuit anima mea. Quòd uerò interpres noſter uertit, Incolatus meus prolongatus eſt, in hebræo habetur, peregrinor, Meſech, Bibliæ autem pũctuatio poſt uulgatam æditionem facta hoc uerſionum diſcrimen facit. Nam ſi abſque punctulis legas, uerti etiam poterat, Hei mihi, quia peregrinatio mea prorogatur, peregrinationem autem ſuam ſuo more appellat præſentis huius uitæ curſum, in qua nihil firmi, nihil quod noſtrum ſit, aut eſſe poſsit, habeamus, ſed futuram patriam inquirimus. Hunc itaque

uitæ curſum ſibi prorogatum eſſe coqueritur, nam hu ius tædio confectus tanquàm ex teterrimo carcere ab eo ſe eripi cupiebat, ut ſcilicet cum Chriſto uiueret. Huius aũt uitæ tædium pariũt tum afflictiones, quas ab impijs pij continenter patiuntur, tum ueritatis, pietatis, & fidei contemptus. Hæc enim fieri cum ani maduertant pij, iniquiſsimè patiuntur ſibi vitam pro rogari, & ex his iniquitatibus ſe liberari auidiſsimè poſtulant, vt demum eam uitam degant, in qua iuſti tia regnat in æternum. Quòd ſi ſecundum hebraicam æditionem hũc uerſiculum interpretari uoluerimus, ſciendum eſt Meſech filium fuiſſe Iaphet, à quo po- puli Moſchi, qui nunc fortaſſe Moſcouitæ appellan tur, duxerunt originem. Hoc autem nomine hi popu- li nuncupati ſunt, quòd eorum author Moſech, & ip ſi in protractione arcus exercitati eſſent, eſſetq́; apud eos arcuum, & ſagittarum frequentiſsimus uſus, vt & hoc quoque tempore eſt. Fuerunt autẽ gentes incul tæ ſatis, ac barbaræ, alienæ à cultu Dei, & omni pror ſus ciuilitate carentes. Apud has autem ſe peregrina tum fuiſſe conqueritur Vates, cum tamen eas nunq̃ adijſſet, ſed Iſraelitas ciues ſuos Moſcouitas appel- lat nõ certè à regione, ſed à uitæ potius ratione, quod qui maximè ſtudioſi ueræ pietatis eſſe debebant, hi in barbaros, ac propè ferinos mores degenerauerant. Nã & Eſaias, & Ieremias Iudã Sodomam, & Gomorrã

Meſech quis.

inuiſi Deo, ac omnino non ferendi, ut Moſcouita potius, & Agareni eſſent appellandi. à quorum tamen conuerſatione, quamuis graui, non debet quiſq̃ recedere, quãdiu nõ deſierunt eſſe populus Dei, quod Vates cum ſuis Iſraelitis ſe feciſſe teſtatur, non enim migrauit ad alium populum, ſed in ſuo quamuis corruptiſsimo permanſit. Dei nanq; populus, & eccleſia ex duplici genere hominum conſtat, bonorum ſ. & malorum, neq; interim fieri diſiunctio poteſt, donec iudicij dies illuceſcat. quando exibunt Angeli, & ſeparabũt malos de medio iuſtorum, & unicuiq; ſecundum opera ſua iuſtiſsimus iudex Deus retribuet. Quòd autẽ de populis illis Moſcouitis, aut Arabiam incolentibus non loquatur, ſed myſticè potius de Iſraelitis, qui relicto Deo, ſpretoq́ illius cultu, & doctrina poſthabita in impietatem, & ſummam barbariem lapſi erant, facilè ex ſequentibus perſpici poteſt.

MVLTVM INCOLA FVIT ANIMA MEA, CVM ODIENTIBVS PACEM.

QVanta modeſtia, quantaq́ tolerãtia pertulerit calumnias, & obtrectationes impiorum, & diuini uerbi, diuiniq́ cultus contemptum, his uerbis apertè ſatis declarat. Abram in vr Chaldæorum Idolatrarum, Loth in medio Sodomorum, Moſes inter Ægyptios tandiu commorati ſunt, quoad ui, aut oraculo monitis diſcedendum fuit. Cum dicit igitur,

multũ incola &c. ſignificat ſe multa tolerãtia tuliſſe corruptiſsimos populi mores, & falſam pſeudoprophetarum doctrinã, quibus omnibus licet eſſet inuiſus, ab illis tamen noluit recedere, quo ſuo quidem exemplo eos arguit, qui offenſi ſcandalis, quæ quotidie ſuboriuntur in eccleſia, eam deſerunt, unitatem illius ſcindunt, & pacem perturbant. Secus facit, & faciendum monet Vates oſtẽdens, quid ipſe fecerit, qui quãuis Iſraelem Moſcouitam, & Agarenum factum eſſe animaduertat, cum labia iniqua, & linguam doloſam. i. pſeudoprophetas in pretio haberi, veritatis vero doctores negligi uideat, nõ tamẽ ſe ab illis diſiũgit ne vnitatẽ eccleſiæ in diſiunctionẽ inducat, ſed diu, multũq; apud hmõi homines toleranter cõmoratur.

CVM ODIENTIBVS PACEM.

N*Ollent quidem impij, ac nefarij homines ullam cum pijs habere conſuetudinem, & ſe ab illis libentiſsimè diiungerent, quod cum non poſsint, ſtudioſè quærunt occaſionẽ, qua illos à ſe ablegent. ſed quicquid agant impij, nulla ratione ſeſe dimonebunt pij ab eorum conſuetudine, quandiu retinebunt nomen populi Dei, & eccleſia Dei eſſe non deſierint, quamuis nihil ſe dignum faciant, quippe qui veritatem, et veritatis magiſtros non ferant, ſed malè habeant, inſectentur, ac morti afficiant. Non enim expedit (ait* do-

dominus) Prophetam perire extra Hieruſalem.i. extra eccleſiam, et populum Dei. Sub nomine autem pacis uniuerſam pietatem, & doctrinam præſertim ſanctam complectitur, quam Iſrael negligebat, hoc enim nomine & dominus Ieſus Chriſtus illam appellauit, quando diſcipulis ſuis mandauit, ut quancunq; ciuitatem ingreſſuri ſint, in primis pacem ei annuntient Matt.10 Euangelij ſcilicet prædicatione, qua non modo redimus in gratiam, & pacem cum Deo, ſed & præſentis uitæ pacem comparamus. Propterea dominus flens ſuper Hieruſalem aſpernantem prædicationem Euãgelij ſui, ſi cognouiſſes (inquit) & tu, quæ ad pacem ſunt Luc.19. tibi. Itaq; pacem animi, & corporis, pacem priuatã, & publicam odit, qui Dei uerbum odit, & reſpuit. non propterea tamen à prædicatione eſt deſiſtendum, quemadmodum Vates ſuo exemplo nos docet.

ERAM PACIFICVS CVM LOQVEBAR ILLIS, IMPVGNABANT ME GRATIS.

Hebraica æditio habet, & cum loquebar, illi ad bellum, ſeu ad pugnam. Significat itaq; maximas ſibi interceßiſſe inimitias cum impijs, non ſuo, ſed eorum uitio, quandoquidem pacificus (inquit) & nullo prorſus odio commotus in illos, loquebar eis pacem, prædicans Dei cultum & pietatem, & ſtudium uerbi illius, quæ omnia cum ipſi obuijs manibus ſuſci

pere, & mihi, & alijs uerbi miniſtris gratias immortales agere deberent, Verum ingrati acerrimo bello me perſequuntur & impugnant. Qualis autem ſit uera, catholicaq́; doctrina, quales eſſe debeant doctores illius, Pſaltes docet, & ſimul declarat qualis ſit falſa doctrina, & quales doctores illius. Illa pacem, & unitatem affert, hæc autem bella, & ſeditiones concitat. Illa congregat, hæc diſpergit. Illa pacifica, & ſibi congruentia, illa uerò pugnantia tradit. Miniſtri autē illius pacifici ſunt, & benigni, huius uero ſeditioſi, ac turbulenti. Illi compatiuntur infirmitatibus aliorum, iſti infirmos dilacerant. Hæc omnia ſignificat Vates, cum dicit, ego pacificus loquebar pacem, Illi uero furore perciti pugnas concitant aduerſum me, quod cum me ualdè torqueret, Ad dominum clamaui, & exaudiuit me &c.

PSAL. CXX.

LEVAVI OCVLOS MEOS IN MONTES VNDE VENIET AVXILIVM MIHI.

QVia uult Deus regnare in medio inimicorum ſuorum, ipſe quoq; electos ſuos in medijs hoſtibus ſeruare magnopere delectatur, ut maiorem exhibeat declarationem prouidentiæ ſuæ erga eos. Quod cum hi optimè intelligant, fidenter, ſecuroq́ animo inter ſæuientes hoſtes uerſantur, & omnem ſui ipſorum curam reijciunt in Deum, cuius ſe antiquiſſimam curam eſſe non dubitant. Quamuis uerò ſe undiq; circunuentos ab hoſtibus uideant, nec ulla ſpes oſtendatur fugiendi inſidias, de ſua tamen ſalute non deſperant, ſed ad ipſum Deum confugiunt, apud quem ſe inuenturos auxilium, & præſidiũ non uerentur. Quod Dauidis præſertim exemplo uidere eſt, qui cum cogeretur uerſari inter crudeliſſimos hoſtes diuini numinis contemptores, qui impietatis, & crudelitatis ſuæ quotidie documenta dabant, cum ipſum Vatem Dei ſupplicem conarentur perdere, et nomẽ ipſius obſcurare, tamen licet humana ope eſſet deſtitutus, oculos, atq; animũ tollit in montes, unde certiſſimum auxiliũ, & præſidium cõtra hoſtiles furores expectabat. Montes

autem, quos ipſe ſpectabat, credimus montuoſam eſſe Gabaonitarum regionem, ſuper his enim fortaſſe mõtibus tunc temporis erat arca, tabernaculum, et altare holocauſtorum. Oraturus itaq; Vates ex mandato domini conuertebat faciem ſuam ad montes, uel potius ad tabernaculum, & arcã Dei in montibus locatã, & fixo oculorũ intuitu reſpiciebat in illã, qui ſanè oculi cum ſint animi indices, & nuntij, eò ſe dirigũt, & conuertunt, quo ipſe animus aſpirat. iccirco cum mens, & animus Vatis arcam domini expeteret, ad eã prænuntios animi oculos conuertebat. Non itaque ad quoſcunq; montes, ſuper quibus populus cõtra mãdatũ domini excelſa conſtruxerat, et idola erexerat, à quibus ſperare quicq̃ auxilij nemini licet, ſed ad montes illos tantũ tollit oculos, undè ueniat auxilium ſibi. Quãuis Deus undequaq; ſuis præſtare auxilium poteſt, idq́ ipſi probè nouerint, cũ tamẽ ipſe non aliunde, q̃ ex loco à ſe conſtituto ſe præſtaturũ auxilium declaraſſet, non fiduciæ, ſed temeritati eſſet aſcribẽdum ſi quis auxiliũ alicũdè ſperaret, quàm ex loco, uia, & ratione prius cõſtituta à Deo, et cultoribus ſuis declarata. Cum itaq; teſtatus eſſet dominus ſeſe ſuper arca illa, quocunq; loco poſita eſſet, commoraturum, & inde ſupplicum preces exauditurum, & eorũ ſacrificia holocauſta, & oblationes ſuſcepturum, maxima fuiſſet temeritas, uel potius impietas aliò ſe conuertere,

aut

aut aliunde auxilium expectare. Quòd ſi et myſticè hæc ipſa interpretari uoluerimus, & ſi D. Auguſtino et Chryſoſt. credimus, Montes ſunt diuinæ ſcripturæ, et ſanctorum exēpla, contra nanq; labia doloſa, et linguam iniquã ad ſcripturas ſanctas nobis confugiēdũ eſt, iuxta illud, Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, in his .n. contra pſeudoprophetas, falſos doctores, & hæreſes nos ſeruare poſſumus, hinc enim firmiſſimum præſidium contra impia, ac Diabolica dogmata nobis comparamus. Non itaq; conniuentibus oculis ſcripturæ ſanctæ nobis ſunt indagandæ, ſed ad earum ſtudium, & aſſiduam meditationem apertos illos, & ſublatos habere debemus. Montibus autē aptè admodum diuinæ ſcripturæ comparantur, tum ob earum præſtantiam, tum uero ob earum firmitudinem. Eminent ſiquidem illæ omnibus diſciplinis, nec ullo tempore, aut caſu labefactari poſſunt, qui ad illas accedit, quiq; cum pietate in illis uerſatur, ſaluus erit; uerbum enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, & in æternum manet.

AVXILIVM MEVM A DOMINO, QVI FECIT COELVM ET TERRAM.

QVamuis Deus media quædam nobis præſcripſerit, per quæ ſua nobis munera largiatur & ad ea percipiēda ijs nobis utendũ ſit, non propterea tamē

noſtra ſpes omnis in illis locanda eſt, quandoquidem hoc eſſet illis abuti,& Deo iniuriam facere,& idololatriæ peccatum admittere. Ideo et Vates quãuis oculos ſuos leuauerit ad arcam in mõtibus locatã,ex qua tanquàm ex cõſtituto loco,et præſcripto medio ſalutẽ eſſet impetraturus,nõ tamen à mõtibus,nõ ab ipſa arca, non ab hominibus, neq; tandem ab Angelis ipſis, ſed ab ipſo Deo tantum ſperabat ſibi affuturum auxilium. Leuauit quidem oculos ad montes, at non in montibus eos fixit,ſed per montes altius quàm corporis oculi poſſent,penetrauit, & ad ipſum uſq; Deum peruenit,qui fecit cœlum & terram, hunc unum intuitus fuit,huic uni adhæſit,à quo uelut ab uberrimo fonte omnia bona emanant.

QVI FECIT COELVM ET TERRAM.

DIſtinxit Pſaltes Deum ſuum à Dijs gentiũ,qui et ipſi ſuper mõtes colebantur,ad quos gentes fruſtra ſperãtes auxilium,oculos ſuos tollebant. Verũ cũ Dij non eſſent,neq; cœlum,neq; terrã ipſi feciſſet,nullum ſupplicibus ſuis auxiliũ ferre poterant. Valeant itaq;,dicere uoluit,falſi Dij, qui nec ſibi ipſi opitulari poſſunt. Ego me totum ad illum Deum conuerto,et in illum me totum reijcio,qui ipſa eſt rerum omnium exiſtentia, quicq́; à ſeipſo ſubſiſtit & tantæ uirtutis eſt,ut cum nondum eſſet cœlũ,& terra, illa tamen ex

nihi-

nihilo cũcta creauit, quæ nec etiã deſerit, à quibus ſi quando diſcedat, omnia illicò in priſtinum chaos laberentur, ſed creaturis ſuis omnibus aſsiſtit, eas conſeruat, moderatur, gubernat, et earum omnium curã exactiſsimã gerit. Hæc autẽ omnia ſignificãtur nomine Tetragrãmatõ, quo utitur Vates, à quo omne auxilium ſibi uenire dicit Cum itaq; ad talem, ac tãtum Deum per præſcripta media imploraturus auxilium accederet, uereri minimè poterat, quin illud eſſet impetraturus, contra hoſtes Dei, & ſuos.

NON DET IN COMMOTIONEM PEDEM TVVM NEQVE DORMITAT QVI CVSTODIT TE.

PSaltes ſibiipſi tanq̃ ex diuino oraculo reſpõdet, & q̃ petierat, & ſperauerat auxiliũ, illud ſibi, & Iſraeli uniuerſo ſine ulla dubitatione pollicetur. Petierat autem ſibi auxilium contra labia iniqua, & linguas doloſas, ut uidelicet à percepta fide, & pietate nulla unquàm ratione dimoueri queat. Idem quoque Iſraelitico populo precatus fuerat à Deo, ne & ipſe aliquando à ſincero Dei cultu deficeret, cum corrupta, falſaq́ꝫ impiorum doctrina ſollicitaretur ad idololatriam. Vtrunque autem & ſibi, & Iſraeli pollicetur. Fides enim (ait. D. Hilarius) quæ talem habet confeſsionem, has à Deo conſequitur, benedictiones, uidelicet. Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui cuſtodit te.

Pes autẽ noſter eſt fides,& ſpes noſtra,ea.n. eſt animi noſtri fundamentum,ſicuti pedes corporis ſtabilimẽtum eſſe dicuntur. In commotionem autẽ dantur pedes,cum loco ſuo mouentur,& à recta uia declinant. fides cõmouetur,quando non perſiſtit in uerbo,in quo fundata eſt,& à rectitudine illius declinat.facillimus autẽ eſt huiuſmodi lapſus à fide,niſi quis diuina uirtute firmatus,& radicatus in ea fuerit. tãta etenim ſcandala quotidie ſuboriũtur,ut ſi fieri poſſet,uel ipſi electi ſeducerentur,quorum cũ ipſe ſingularem curam gerat,non permittit,ut eorum pedes à percepta doctrina fidei dimoueantur. in ea ſic fixi, firmatiq́; eſſe debemus,ut de gradu deijci nulla unq̃ ratione,nullo tempore patiamur. Hanc autem fidei conſtantiam à Deo conſequitur,quiſquis uiribus ſuis omnino diffiſus,auxilium expectat ab eo,qui fecit cœlũ & terrã.

NEQVE DORMITET QVI CVSTODIT TE.

QVicunq; corporis,& animi calamitatibus preſſi implorant diuinum auxiliũ,his ſpiritus Dei teſtatur illud præſto ipſis futurum, ne fortè ui malorũ uicti ſuccumbant, pes eorum labatur,& ab inſtituto curſu declinet. Confirmatq́; ſuo teſtimonio Deum habiturum perpetuam curam ipſorũ.Sic enim dicit, Non dormitat,qui cuſtodit te, Quaſi dicat,tã uigili cura cuſtodit Deus electos ſuos, ut ſine ipſius prouidẽ

tia ne capillus quidem ſit ex eorum capitibus defluxu rus. Eſt itaq; Deus ſuorum omnium diligentiſsimus & uigilantisſimus cuſtos, & res eorum quamuis minimas ſtudioſiſsimè procurat. Igitur ſe quisq; ſuaq́ omnia illius fidei ſine ulla dubitatione committat; ut felix, ut beatus ſit, Beatus eſt, teſte Dauide, cuius eſt auxilium à domino. Pſal. 8.

ECCE NON DORMITABIT, NEQVE DORMIET QVI CVSTODIT ISRAEL.

QVamuis Deus rerum omnium curam, & prouidentiam habeat, nihilq́ omnino ſit ab ea liberũ, non tamen omnia ſeruat, & cuſtodit, ſed eos tantùm ſeruat, quos ante mundi conſtitutionem ſibi delegit in dilecto filio ſuo, ut eſſent ſancti & immaculati in conſpectu eius, ſuper hos ita ipſe inuigilat, ut ad ſe uocet, iuſtificet, ſanctificet neq; patitur, ut eorũ quisq̃ è manibus ſuis eripiatur, aut dãnetur. Hi Iſrael appellantur, quia Iſraelis fidem æmulantur. Quãuis enim ſecundum carnem non ducant ab eo originem, modo tamen fidem illius, & pietatem ſectentur, in ſemine illius cenſentur. qua quidem fide qui caret, quamuis ſecundum carnem natus ſit ex Iſraele, ſemen tamen adulterinum eſt coram Deo, nec promiſsionum illius hæres eſſe poteſt. Hic itaq; Iſrael diuiditur in Iſrael Dei, & in Iſrael carnis. Iſrael carnis non eſt promiſ-

ſionum

ſionum hæres, ſed ille tantum, qui natus eſt ſecundum repromiſsionem, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. De hoc itaq; Iſraele ait, quod ita charus ſit Deo, ut ipſum omnino ſeruet. Ecce (ait) nõ dormitabit, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Repetit autem cum magna aſſeueratione. Ecce non dormitabit, neq; dormiet, qui cuſtodit Iſrael. quod cum dicit pugnare uidetur cum carne, & cum humana ſapientia, quæ ſomniat Deum ſtertentem, & noſtræ ſalutis negligentem, nõ autem fidiſsimam, uigilemq́; cuſtodem, illi nanq; uidetur Deus dormire, nec ullã curam ſuorum habere. Dormitare quidem uidetur, cum noſtra omnia quidẽ curare, at non ita exactè omnia regere uidetur, ut ne minima quidem prætereat. Non cuſtodire item uidetur, cum diuinum ſuum cultum, & verbum, cumq́; uerbi, & pietatis cultores permittit, ut ab impijs prophanentur, conculcenturq́;, at impios rerum omnium abundantia circumfluere, florere, & in ſumma tranquillitate degere concedit. Ab hoc autem ſomno, & ab hac incuria excitari uidetur Pſal. 43. *Deus, iuxta illud, Exurge quare obdormis domine, &c. Exurge, apprehende arma, & ſcutum, cum de florenti rerum ſtatu impios ſubito deturbat, & pios abiectos erigit, & conſolatur. Quòd ſi tantiſper uiſus eſt dormire, & noſtra nequaq̃ curare, paulò poſt non obſcurè ſignificat, ſe ſua prouidentia noſtra quaq́;, uel*

mi-

minima curare, & uigilantiſsimè cuſtodire. Valeat itaque caro cum ſua ſapientia, quæ negligentem, et dormientem Deum ſibi fingit, & noſtros ob oculos ponit. At erigat ſeſe fides ſentiens, nos Deo curæ eſſe, & fidenti animo cum Dauide canamus. Ecce nõ dormitabit, neq; dormiet qui cuſtodit Iſrael.

DOMINVS CVSTODIT TE. DOMINVS PROTECTIO TVA SVPER MANVM DEXTERAM TVAM.

HOc uerſiculo, atque etiam ſequẽti alludere uidetur ad egregium illud, & memorabile factum, quo Deus ſingularem ſuam prouidentiam in populum ſuum declarauit, quando ſcilicet quaſi manus illius apprehendens ex Ægypto educeret, & per colũnam nubis non modo ab ardore Solis, ſed ab Ægyptiorum ẽt furore, tutatus fuit. Stetit enim nubes inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael, ut ſe inuicem uidere non poſſent. Quam itaque curam Iſraelis Deus haberet, tunc maximè declarauit. quam tamen non abieciſſe, ſed perpetuò habere ſignificat Dauid, cum dicit. Dominus cuſtodit te, dominus protectio tua. Non igitur repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit, & prædeſtinauit, ſed eam potius cuſtodit, iuxta illud Eliæ dictum. Re- Rom. 9.
liqui mihi ſeptem millia uirorum, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal. Reliquias itaque

cuſtodit & ſeruat Deus, iuxta illud, reliquiæ ſecundum electionem ſaluæ factæ ſunt. Nullo igitur pacto ſentiendum eſt, quòd deſerat Deus eccleſiam ſuam, quin potius illam tam diligenter cuſtodit; tam firmo præſidio muniuit, ut ne portæ quidem inferorum præualeant contra illam. Vt autem de hac ſingulari, & paterna cura, & cuſtodia Dei in eccleſiam ſuam perſuaſum ſit omnibus, in hoc Pſalmo Dauid tertiò repetit uerbum, Cuſtodit. Quod enim in diuinis tertiò repetitur; id pro firmiſsimo habendum eſſe declaratur.

DOMINVS PROTECTIO TVA.

HEbraica uox umbraculum ſonat, et ad nubem illam alludit de qua ſuperius dictũ eſt, qua Deus populum ſuum ita obtexit, ut ægyptij nec illum intueri, nec propè illum poſſent accedere. Significare igitur uoluit Vates electos Deo ipſi tantùm notos eſſe, cæteris uero incognitos, eosq́ ab impiorum furore diuina & imperſcrutabili uirtute defendi. Non enim poteſt eſſe dubium, quòd ſi pij impiorum poteſtati permitterentur, è medio quamprimum tollerentur, ſed his præbet ſe Deus in umbraculum & abſconſionem, ut ab impijs neq; uideri, neq; inueniri poßint.

ET AD MANVM DEXTERAM TVAM.

ESaias teſtatur, quòd cum educeret dominus populum

lum ſuum ex Ægypto, ad manum illum eduxerit, & Moſes in ſuo cantico declarans ſingularem charitatem, & prouidentiam Dei in populum ſuum, Circũ duxit (inquit) & docuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui, ſicut aquila prouocans ad uolandum pullos ſuos ſuper eos uolitans, Expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis. Dominus ſolus Dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus. Quod autem tunc fecit Deus cum populo ſuo Iſraele ſecundum carnem, id multo magis cum Iſraele ſpirituali faciet, illi enim ſe præbebit ducem, & ad manũ ducet, ne erret, ne in hoſtium inſidias aliquando incidat. Dominus eum ſuper humeris ſuis portabit, Abijciendus itaq; eſt omnis metus, quamuis impij multò plures, q̃ pij ſint, & hypocritæ, q̃ fideles. Apprehendere autem manum, & ducere ad dexterã uidetur Deus, quando omnia mala in commodum & beneficiũ ſuæ Eccleſiæ conuertit.

PER DIEM SOL NON VRET TE, NEQVE LVNA PER NOCTEM.

D. Hieronymus uertit, Percutit, quandoquidem nõ eſt proprium Lunæ, vt vrat. Solis autem ardor nimius eſt, qui reſoluit corpora, Luna uerò frigidis ea replet humoribus. ex reſolutione autem humorũ, aut nimia eorum frigiditate omnes ferè morbi gignũ

tur. ne itaq; Iſrael incideret in uarios morbos, dum iter faceret per deſertum, per diem nubes eos antecedebat, quæ non ſolùm dux itineris eſſet, ſed qua ſolis quoq; æſtus cohiberetur, per noctem uerò eos antecedebat columna ignis, quæ non modo inſtar facis eis præluceret, ſed quæ etiam lunæ, et noctis frigiditatem temperaret, ut temperatis Solis calore, & Lunæ frigiditate utentes diu incolumes ſeruarētur. Quo quidē facto declaratum eſt, quantæ curæ ſit Iſrael Deo, quē non modo ab hoſtibus ſuis, ſed ab iniurijs etiam Solis, & Lunæ, nec non ab omnibus corporum incommodis tutum eſſe uoluit. Eandem curam retinere Deum de electis ſuis nulli debet eſſe dubium, ut nō modo ab oppreßione, & tyrannide impiorum, ſed ab iniuria etiam quarumcunq; creaturarum eos ſeruet incolumes. Quod ſi metaphoricè etiam hæc accipi placeat, pro ardore Solis apertas perſecutiones, & iniurias pijs illatas intelligamus, quemadmodum & dominus in parabola ſeminis in loco petroſo iacti, & ardore Solis arefacti interpretatur. Per Lunæ autem iniurias, quæ in nocte, & in tenebris tantùm lædit, occultas, & clandeſtinas perſecutiones, & latentia mala interpretur. Itaq; tam ab apertis, quàm ab occultis malis electos ſuos tuetur Deus, tam ab illis, quæ ab hominibus, quàm quæ à quibuſuis alijs creaturis contra illos parantur ſiue cœleſtes, ſiue terreſtres ſint, idq;

omni

omni tempore facit, quandoquidem Sol, & Luna, i. dies, & nox uniuerſum tempus complectitur.

DOMINVS CVSTODIT TE AB OMNI MALO, CVSTODIAT ANIMAM TVAM DOMINVS.

QVod ſuperius metaphoricè, id nunc proprio, planoq; ſermone dicit. nempè dominũ electos ſuos tueri, et cuſtodire ab omni malo. Neq; dicit, cuſtodiet cuſtodit.n. atq; etiam tunc ſeruat, cum minimè ſeruare, & cuſtodire uideri poteſt. Ita uerò ſuos cuſtodit, ut ab omni prorſus malo eos cuſtodiat, etiã tum, cũ malis omnibus eos obijciat. niſi enim malis omnibus eos exponeret, non utiq; dixiſſet, Dominus cuſtodit te ab omni malo. Non enim niſi ea cuſtodimus, quæ facilè corrumpi, aut auferri poſſunt. Seruat autem electos à malis, quæ nihilominus patiuntur, cum ipſe facit, ut malis non deteriores, ſed potius multo meliores fiant.

CVSTODIT ANIMAM TVAM DOMINVS.

QVamuis Hebræi, animam interpretantur uitam omnem, hic tamen eam hominis partem accipimus, quam animalem appellamus, ad cuius cuſtodiam, & tutellam imprimis uigilat Deus, ut eã ab omni malo prorſus illæſam, & immunem conſeruet. Quæ in corpore patimur mala, non uera ſunt mala, propterea cum ab illis liberamur, à ueris malis

non liberamur, à quibus & homines ipſi liberare nos poſſunt. Sed non item à veris nos liberant, ab illis.n. ſolus Deus cuſtodit, propterea Vates ait, Dominus cuſtodiat animam tuam. Cuſtodit autem illam, cum miſeretur illius, cum peccata illius delet, cum coronat eam in multis miſerationibus, cum ſancti ſpiritus donis illam exornat, & ne ad impietatẽ labatur, ſeruat. Ab his itaq; malis cum ſeruet eam Deus, ab omni prorſus malo ſeruat. Quid.n. prodeſt homini, ſi uniuerſum mundum lucretur, animæ uerò ſuæ detrimentum patiatur; aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Quamuis omnia quæcunque hominis ſunt, pereant, parum aut nihil omnino peribit, at ſi ipſa anima detrimentum patiatur, uera tũc mala patimur. Cuſtodiat itaq; animam tuam Deus, & mundus uniuerſus intereat.

DOMINVS CVSTODIAT INTROITVM TVVM, ET EXITVM EX HOC NVNC, ET VSQVE IN SECVLVM.

NOtiſsimus eſt, & uſitatiſsimus tropus in ſanctis ſcripturis intrare, & exire, ꝙ uniuerſum uitæ ſtatum, atque omnem conuerſationem ſignificet. Cuſtodire itaq; ingreſſum, & exitum electorum eſt omnes eorum actiones, cogitationes, & conſilia, vel ipſum etiam ex hac uita exitum, & ingreſſum in aliam hac longè meliorem curare, cuſtodire, ac ut proſpe-

ſperum, atq; felicem exitum habeant, facere. Hoc autem eis imprecatur ſpiritus ſanctus, & imprecando uaticinatur, & pollicetur. Felicia autem & proſpera quæq; exoptat, quæ ad hanc, & ad futuram uitam pertineant, & ab ipſo Deo impetrat ſpiritus ſanctus ſua hac precatione, Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc et uſque in ſeculum. declaratq́; ſe nullis unquàm ſeculis deſerturum eccleſiam ſuam, ſed eam potius perpetuis temporibus ſeruaturum. Amen.

CANTICVM GRAD. III.

PSAL. CXXI.

LAETATVS SVM IN HIS, QVAE DICTA SVNT MIHI, IN DOMVM DOMINI IBIMVS.

IVre quidem exhilarãtur hi, quibus eſt perſuaſum, Deũ optimum Max. maximam ſui curam, & prouidentiam habere, hi nãque uel in medijs anguſtijs lætantur, intelligunt. n. paßiones huius tẽporis cõdignas non eſſe ad futuram gloriam, quæ in ipſis reuelabitur. De hac tractare, loqui, agere magis gaudent, quàm de ſibi factis iniurijs doleant. Quamuis igitur Vates labijs iniquis, & linguis doloſis proſcinderetur, tamen poſtquã oculos ſuos ſuſtulit ad eũ, qui poſſet ipsũ ſeruare, mirũ

in modum exhilaratus eſt, id quod ipſemet teſtatur. Lætatus ſum (inquit) in his q̃ dicta sũt mihi, in domũ domini ibimus. Hebraica æditio habet, lætatus ſum cum dicentib. mihi. Sed interpres noſter ſciens in his potius, q̃ dicebantur, q̃ in illis qui dicebãt Dauidem lætatum fuiſſe, Tranſtulit, lætatus ſum in his, q̃ dicta ſunt mihi. Declarat ſiquidem Vates nihil ſibi unq̃ lætius, nec iucundius potuiſſe accidere, q̃ cum ſui ſimilibus de diuinis rebus coram agere & colloqui, quando in medio eorum Deus uerſatur, & ſup̃ eos ſpiritus paracletus deſcendit, qui uera, & ſolida gaudia ſolus afferre queat. Significat item Vates, q̃ licet ſuo tẽpore eſſent labia iniqua, & doloſæ linguæ, à quibus uehementer affligeretur, aliqui tamen reperiebantur, qui rectè res diuinas tractarent, & de illis cũm ſumma piorum uoluptate loquerẽtur, à quibus ipſe miro quodã modo recrearetur. Ex horum numero erãt fortaſſe Samuel, Natan, & quicunq; docendi, & uaticinãdi munus diuinitus acceperant, qui & templi ædificationem, & futuram populo ſalutem prædicebant, nẽpe dicentes, In domum domini ibimus. Siue de domo illa æterna non manufacta loquerentur Vates, & pij
Bar. 3. *reliqui, quam admiratur Baruc, (O Iſrael inquit) magna eſt gloria domini, & ingens locus poſſeſſionis*
Io. 24. *eius, & de qua dominus ait, In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Siue de domo. i. de templo, quod vt*

con-

conſtrueretur, ſummopere optabāt iuſti, & pij omnes, quodq́; ipſe Dauid conſtruere uoluit, de rebus diuinis & ad diuinum cultum pertinentibus loquebātur, & concionabantur. Si de domo illa, in qua Deus inhabitat, & ſuam gloriam, & maieſtatē declarat, loquerentur Vates, cum diceret, In domū domini ibimus. Dicēdum utiq; nobis erit, pios illos homines hac una cogitatione illius adeundæ domus, & fruendæ gloriæ contra omnia ſibi imminentia mala ſeſe recreaſſe, nō ſecus ac peregrini peregrinationis incommoda patiēter ferunt ſpe patriæ fruēdæ. Si uerò de domo. i. de templo, quod in Hieruſalem terreſtri Deo dicandum erat, Pij quoq; deſiderium animorum ſuorum præſeferunt, quo flagrabant, ut templum illud cōſtrueretur. Egrè enim ferebant Dei Arcam, & altare ſub tabernaculo expellibus caprinis confecto manere, & huc, illuc incerta ſede uagari. metuebant enim ne ipſo tabernaculo temporis diuturnitate, & iniuria deficiente, ipſe quoq; Dei cultus deficeret, & dum arca ipſa mutata per ſæpe ſede uagaretur, ipſe quoque cultus uarius, & incertus redderetur. Iccircò certam ſedem ſtatuendam in Hieruſalem oraculo docti fuerunt, propterea ſe mutuò conſolabantur dicentes, In domum domini ibimus. Quanto uero gaudio afficerentur eorum animi huiuſmodi certa expectatione

Patres cur templi ædificationē deſiderent.

declarari uix poteſt. quandoquidem templum firmiſſimis lapidibus, certo in loco conſtructum habere, hoc erat ipſum Deum perpetuò habere propinquũ, & maximè propitium. Pollicitus ſiquidem fuerat, ſeſe in eo perpetuò habitaturum, ex eo auditurum, propitiũq; futurum omnibus illud cum fide, & pietate adeuntibus.

STANTES ERANT PEDES NOSTRI IN ATRIIS TVIS HIERVSALEM.

Atria Hieruſalem ſupernæ multæ illæ manſiones, ſunt, quas eſſe in domo patris ſui dominus affirmauit, in quibus iuſtitia ſempiterna inhabitat cum beatitudine, & felicitate nunq̃ deſitura, in quibus nõ ad tempus, ut Diabolici illi ſpiritus, ſed ſempiterno æuo commorabimur, Deum intelligentes, cognoſcẽtes amantes, & perpetuò fruentes, ibi fur non appropiat, & tinea non demolitur. ibi non eſt luctus, aut dolor, ſed lætitia ſempiterna inhabitat. Hanc autem perpetuitatem in ipſa beatitudine graphicè deſcribit. Stã tes (inquit) non laborantes, non errantes, aut aliò properantes erunt pedes noſtri in atrijs tuis Hieruſalem. Quamuis itaq; (aiebant inuicem Vates) ex hac terreſtri Hieruſalem eijciamur & ab illa procul exterminati detineamur, hac una re tamen nos ipſi conſolamur, quòd quotidie propius ad cœleſtem illam Hieruſalem accedimus, ex ea nunquàm eijciendi, nũquàm extur-

exturbandi,in cuius atrijs ſtantes erunt pedes noſtri. Si uero de terreſtri Hieruſalem, quæ tamen illius ſupernæ, & cæleſtis typum gerebat, ad inuicem loquerentur ſancti Vates,ipſi ſimul gloriabantur ipsā Dei domum in Vrbe Hieruſalem conſtruendam fore, id quod antea Iacobo in Meſopotamiam proficiſcenti reuelatum fuit.Cum itaq; pro certo haberet domum Deut.16 *Dei in urbe Hieruſalem cōſtruendā eſſe, illud quoq; ſequebatur, Iſraelem uniuerſum illuc frequentiſſimè conuenturum, ubi ſua uota perſolueret, & ſacrificia offerret,non amplius in Gabaō,aut in Cariath,ſed in Hieruſalem poſthac profecturum,iccirco ait,ſtantes erant pedes noſtri in atrijs,ſeu in portis tuis Hieruſalem,id eſt, perpetuò portas tuas ò Hieruſalem ingredientur,& conterent pedes noſtri, ut per illas ad ipſam Dei domum adeamus.Quod uero in hebræo eſt, in portis tuis,interpres uertit, in atrijs, quia in ipſis portis atria erant,quo populus ad iudicia ex ore iudicum ſuſcipienda,& ad uerbum Dei audiendum conueniebat,ut uidere eſt Deut.Iudices,& magiſtros cōſtitues in omnib.portis tuis,quas dominus Deus tuus daturus eſt tibi,ut iudicet populum iuſto iudicio,nec in alteram partem declinent.Cum itaq; tēplum Dei ibi eſſet erigendum, ac perpetuus ipſius cultus conſtituendus, miniſterium ſimul uerbi Dei in portis Hieruſalē erat inſtituendum.In portis autē Hieruſalem*

lem propterea inſtitutum fuiſſe crediderim, ne quis prius templum illud ſanctißimum adiret, quàm uerbo Dei eſſet inſtitutus, ne forte quis adiens illud ſine uerbo offenderetur his rebus, quæ in templo agerētur, ac preterea non propitium, ſed ſibi iratum Deum ſentiret. Quem quidem morem Chriſtiana quoq; Eccleſia diu ſeruauit, & adhuc etiam ſeruat, quæ infantes ad ualuas eccleſiæ prius cathechizat, quàm eos ad Baptiſmi ſacramentum admittat in templum, id quod etiã in Miniſterio ſacræ Euchariſtiæ diu obſeruatũ fuit, illa nanque tremenda myſteria nec uideri quidẽ à cathecumenis permittebant Sacramentorũ Miniſtri, ne ea illi ignorantes damnarent, & contēnerent, ne corpus Domini non diiudicantes damnationis pœnas incurrerent. In atrijs itaq;, ſeu in portis, et in templo in portis conſtructo populus in diuinis rebus erudiebatur, ut mox cum fructu templum ingrederetur, quicunq; enim rerum diuinarum ignarus templum Dei ingreditur, uacuus à templo recedit, & diuinæ iræ obnoxius.

HIERVSALEM, QVAE AEDIFICATVR VT CIVITAS CVIVS PARTICIPATIO EIVS IN IDIPSVM.

SI de cœleſti Hieruſalem loquitur Vates, in qua ut in ciuitate ciues, ſic ſancti charitatis uinculo cõiũguntur, æternam illius pacem, & tranquillitatem admiratur, et demonſtrat, quandoquidem omnes quotquot

quot illam adeunt, in idipſum participant, et communicant. ibi nãq; diſſenſionum ſeminarium uidelicet, meum, tuum, non reperitur, ſed omnia ſanctorũ communia, idem uelle, idem nolle, æquè omnes amant, & amantur omnes æquè Deum uident, & beata illius uiſione pro ſua menſura fruuntur. ibi itaq; eſt cor unũ & anima una, omnes unum eundẽq; Deũ adorant, amant, et poßident, æquè beati, et felices ſunt; ibi non eſt pauper, & diues, ſed in omnibus idem eſt Deus, qui eſt illis omnia, ò uere amandam, & inquirendam ciuitatem. Sed ſi de terrena Hieruſalem loquitur, nõ de conſtructione mænium, aut domorum uaticinatur quandoquidem abundè ſatis huiuſmodi munitionibus, & ornamentis conſtructa tũc temporis erat Hieruſalem, ſed de ædificatione, quæ ex Dei cultu, & miniſterio uerbi fit, loquitur Pſaltes. quibus rebus cũ diu caruiſſet Hieruſalẽ, ne ciuitas quidẽ fuit, nec appellari potuit. Qđ aũt de eiuſmodi ædificatione loquatur, id oſtendit uerbũ hebraicum בנה *quod idem ferè eſt cum uerbo,* בני *quod intelligere; & ſapere ſignificat. Tunc enim uere ædificatur ciuitas, & conuentus hominum ciuitatis nomen adipiſcitur, quãdo in ſcientia, & ſapientia rerum diuinarum proficiunt. Porrò ciuitatem ædificare idem eſt, quod domum ædificare, & ſicut domum ædificare in ſacris litteris, ſignificat familiam propagare, & florentem facere,*

ita

ita ciuitatem ædificare erit illã rebus omnibus floren tem facere. Florentiſſima autem reddita tunc fuit Hieruſalem, & omnes alias ciuitates felicitate ſuperauit, cum diuinus cultus, & miniſterium uerbi in ea floruit, & in pretio habitum fuit. his uerò ſublatis, aut corruptis, omnium egentiſſima & miſerrima facta fuit, quemadmodum ex prophetarum oraculis, et ſacra hiſtoria perſpici poteſt. Euertũtur itaq; ciuitates, quando miniſterium uerbi, & diuinus cultus aut tollitur, aut imminuitur. Ædificantur uero, eum hæc illis reſtituuntur, & florent, ut Hieruſalem exemplo declaratum eſt, quæ et ſi aliàs ſolo æquata fuerit, cum primùm tamen uerbi, & Dei cultus reſtitutus eſt, ſimul & ipſa reſtituta eſt, & florere cœpit multò magis, quàm antea, Audiens itaq; Vates à ſanctiſſimis alijs Vatibus, quòd Domus Dei in Hieruſalem eſſet conſtruenda, & in ea diuinus cultus reſtituendus, uaticinatùr eam fore omnium ciuitatum florentiſſimã propterea quadã cũ admiratione et lætitia fidei oculis intuens pulcherrimam, diuinamq; illius formam, Hieruſalem (iuquit) quæ ædificatur, ut ciuitas.

CVIVS PARTICIPATIO EIVS IN IDIPSVM.

HEbraicus textus ſonat, quæ confœderata eſt ſibi in idipsũ, uel ſimul. Vaticinatur Pſaltes, Hieruſalẽ futurã eſſe pulcherrimã, quãdiu ſyncerum diuini

ni

ni numinis cultum retinuerit, & ſanam doctrinam tutata fuerit. neq; locum in medio ſui reliquerit labijs iniquis, & doloſis linguis Prophetarum, ſed concordiam, & pacem in rebus ciuilibus, & diuinis ſeruauerit, quam præcipuè ſincera pietas ſolet conciliare, qua immutata mores etiam immutantur, ſitq́ uerum illud, Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur. Et omne regnum in ſe diuiſum diſolabitur. Conſociata autem, & confœderata ſibi in idipſum erat Hieruſalem, quando non modo ſub uno Principe, & Rege, & ijsdem legibus uiuebat, regebatur, ſed etiam eundem Deum eodem in loco, et eodem modo, ijsdem ritibus, & ſacrificijs colebat, eandem doctrinam retinens, nec diſſenſiones, ſchiſmata & ſectæ uariæ in illam irrepſerant, aliæ alia docentes, mandãtesq́, quemadmodum paulo poſt Ieroboam tempore factum fuit, ac propterea ciuitas in idipſum confœderata, et tot legibus coniuncta maximè diſiuncta fuit, et maximæ ſubortæ fuere in illa de religiõe diſcordiæ, & ſic iuxta ſeruatoris ſententiam, deſolata fuit. Quod ne uobis quoq; accidat, ſummopere cauendum eſt, ut omnes idem ſapiamus, idem dicamus, omnes deniq; idem faciamus, eundem Deum, & eundem mediatorem Dei, & hominum, et eadem fide, ijsdem ſacramẽtis, ritibus, et cæremonijs in una eccleſia ſolo uno Principe & Paſtore colentes in hoc unum omnes conſociati

ti

ti unitatem, & concordiam in uinculo charitatis, & pacis conſeruemus, alioquin ſimul omnes peribimus.

ILLVC ENIM ASCENDERVNT TRIBVS DOMINI TESTIMONIVM ISRAEL AD CONFITENDVM NOMINI DOMINI.

COEleſtem illam Hieruſalem nō quæcunq;, ſed tribus tantum domini ingrediuntur, et bonis illius fruuntur. Tribus autē domini ipſi electi ſunt, ex quibuſcunq; gentibus, & nationibus congregati, quibus ab æterno, et ante mundi conſtitutionem, ab ipſo Deo paratum eſt regnum, ut in illo cum omnibus Angelis ſuis nomē Dei collaudēt in ſeculum ſeculi. Sed ſi hæc de inferna Hieruſalem interpretemur, Pſaltes declarat quomodo ea florere, & ſimul in unum coire, et confœderari debeat, nēpè quòd omnes ſimul tribus Iſrael ſtatis temporibus ſint frequentaturæ, & ad eam confluxuræ, qua una re fieret florentiſsima, et opulentiſsima. Non ocioſè autem repetit Tribus, Tribus domini, oculis enim propheticis præuidebat defectionem decem tribuum ſub Ieroboam, qui excelſa ædificauit in Dan, & Bethel, & duos uitulos cōflauit, mādauitq; ne ultra aſcenderent in Hieruſalē, ut facerēt ſacrificia in domo domini, quo fiebat, ut populus adoraret uitulos, & adoleret incēſū ſuper altare, ꝙ ipſe erexerat. Decem itaq; Tribus ſi minus aſcenderent in Hieruſalē, nō erat mirū, non.n. tribus domini erāt,

ſed

ſed Ieroboã potius, cui libentius parerent, q̃ Deo. Nõ itaq; oẽs tribus aſcendent in Hieruſalẽ, ſed tribus tã tum domini, tribus uidelicet Iuda & Beniamin, nec oẽs ex his tribubus, ſed illi ẽt ꝙ domini ſunt, quos ipſe ſolus nouit, iuxta illud, Nouit dominus, qui ſunt ſui.

TESTIMONIVM ISRAEL.

TRibus uicib. in anno (mandat Moſes) apparebit omne maſculinum tuũ in conſpectu domini Dei tui in loco, quem elegerit in ſolennitate azimorum, in ſolennitate hebdomadarum, & in ſolennitate tabernaculorum, Aſcendat itaque ter in anno Iſrael Hieruſalem, Quod non propterea mandauit Moſes, quod noſtrorũ operũ Deus indigeat, ſed ut potius ipſe Iſrael hac rõne ſuã erga Deũ fidẽ, gratitudinẽ, & pietatem teſtatam faceret omnibus nationibus, nec pro tantis in ſe collatis beneficiis ingrata exiſteret, & ingratitudinis pœnas ꝑſolueret. Is itaq; Iſraelis ingreſſus in Hieruſalem erat in teſtimonium ſuæ fidei, & obedientiæ. quandoquidem hæ omnes ſolennitates erant perpetuum ac ſempiternum monimentum liberationis & egreſſus ex ægypto, tranſitus per mare rubrũ, ac peregrinationis ꝑ deſertũ, quibus quidẽ tẽporibus ipſe dominus ſemper affuit populo ſuo inſignis & portẽtis, eos eripiẽs nõ modo à Pharaonis tyrãnide, et maris fluctib. ac deniq; ex innumerabilib. hoſtib. &

in-

incommodis, ſed eoſdem quadraginta annorum ſpatio manna, & coturnicibus paſcens, & dulciſsima aqua potans, ueſtimenta ac calceamenta eorum conſeruans, pulſis denique et exactis omnibus hoſtibus in terram lacte & melle manantem introduxit. Tantis itaq; & innumerabilibus acceptis beneficijs, æquiſsimum fuit, nt ſolennitatum, & rituum monimēto animi gratitudinem redemptus ille populus teſtaretur. Ad conſtitutum igitur locum, quotannis aſcendebāt, quem quidem locum in Hieruſalem eſſe uoluit, quod prophetarum oraculis prædictum ante fuerat.

AD CONFITENDVM NOMINI DOMINI.

HIs uerbis declarat, quòd ſupra iam diximus, nēpe populum in Hieruſalem aſcendere, ut recordatione acceptorum beneficiorum gratias perſolueret. Confiteri nanq; nomini domini eſt Deo gratias agere, & habere, & omnia illi accepta referre. Non igitur curioſitate quadam aſcendebant in Hieruſalem, ut templi elegantiam, Vrbis opulentiam, maieſtatem, & gloriam regis admirarentur, non conſuetudine, aut ſuperſtitione aliqua, non ut more Pharisæi illius ſe iuſtificarent, & alios damnarent, & benefacta ſua iactarent, ſed ad confitendum nomini domini. Hæc enim ſola ratio erat aſcenſus tribus Iſrael in Hieruſalem, & illius ingreſſus in templum, quam

qui negligit, & alia cauſa in illud ingreditur, ab illo uacuus regreditur, quin illud uiolat, & prophanat.

QVIA ILLIC SEDERVNT SEDES IN IVDICIO SEDES SVPER DOMVM DAVID.

Mandauerat olim Deus Deut. xvi. Iudices & magiſtros conſtitui in portis, qui recto iudicio iudicarent, nec in alteram partem declinarent. Per Sedes itaq; iudices ipſos, & magiſtros, uel ipſum iudicandi, & docendi munus accipere debemus, quemadmodum & ipſe dominus accepit. Super cathedram (inquit) Moyſi ſederũt ſcribæ, et phariſei, ut nos quoque ſedem Apoſtolicã pro ſumma illa Apoſtolica authoritate in iudicando, & docẽdo accipimus, utrunq; ſiquidẽ munus penès ipſos doctores, & magiſtros ſacerdotes ſemper eſſe uoluit Deus. Vaticinatur itaq; Propheta ipſam ſedem .i. docendi, & iudicandi authoritatem diuinis rebus collocãdam, conſtituendamq́; eſſe, cum dicit, Quia illic ſederunt Sedes in iudicio, nempè magiſtri, & doctores ſuum munus explentes, & populum diuinarum rerum ſcientia imbuentes. uel dicit ipſas Sedes illic ſediſſe, i. firmas, ſtabilesq́; futuras eſſe in Hieruſalem, quod docendi munus interpratabimur, ſicuti reuera ſemper extitit, uſque ad Chriſti tempora, uerum ob illorum impietatẽ regnum Dei & miniſteriũ uerbi ab illis ablatũ eſt, et gentib. traditũ.

Fortunata igitur, & beata illa ciuitas, in qua hmői ſe des ſunt locatæ, modo hæ doctoribus ſuis uacuæ nő ſint. Nihil.n. aut parum prodeſt, Sedem .i. auctoritatem do cendi habere, niſi eadē exerceatur, & opere cõpleatur. Immo ſatius eſſet illam nõ habuiſſe, q̃ fruſtra illã acce piſſe. hi ſiquidē ſeruis iniquis cõparãtur, q̃ acceptũ ta lentum in terra ſepeliunt, quos dominus in die iræ cor ripiet iudicabitq́;.

SEDES SVPER DOMVM DAVID.

IN hebræo eſt potius Sedes domus Dauid. Significat nanq; Vates eam doctrinam, quam ipſe docebat, q̃q́; uniuerſa illius familia tenebat, obſeruabatq́;, ꝑpetuò duraturam eſſe. Ipſe nãq;, ut aliàs dictum eſt, edoctus fuerat à Samuele, Samuel à uiris magnæ ſynagogæ, ui ri magnæ ſynagogæ à patribus, patres à Ioſue, Ioſue à Moſe, Moſes à Deo. Sedes itaq; domus Dauid erat ſedes Moſis, in hanc aũt Dauid ſedē ſucceſſit Chri- ſtus: ſecũdum carnē, iuxta illud Angeli, Dabit illi do minus ſedē Dauid patris ſui, & regnabit in domo Ia cob in æternum. Succeſſit inquam, quando Dauid idē qđ Chriſtus & Chriſtus idem quod Dauid, docuit, & familia Chriſti, q̃ eſt Eccleſia, idem docet, & tenet, qđ Dauidis domus credidit, & tenuit. In hac itaq; ſede ſedet adhuc, & ab hac regnat Chriſtus in æternum ꝑ Apoſtolos ſuos, ꝑſertim ꝑ diuum Petrum Apoſtolorum Coryphæũ. et ꝑ iſtius ſucceſſores, ꝑ quos ꝑ̄dicatione uer

bi ſui ubiq; dominatur, illiq́; oē genu incuruatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Verum ſi hæc quoq; ad cœleſtem Hieruſalem referre uolumus, Sedes iſtæ illæ erunt, de quibus dominus ait, Sedebitis ſup ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael. Sancti .n. mundum iudicabunt ſecundum ſuum Euangelium, qui quidē ſancti domus Dauid, i. familia Dauid appellantur, quia licet ab eo nullā ducant originē ſecundum carnē, in familia tamen illius ob imitationem fidei recenſentur.

ROGATE QVAE AD PACEM SVNT HIERVSALEM, ET ABVNDANTIA DILIGENTIBVS TE.

CVm cœleſtis illa Hieruſalem æternis, & incōprehenſibilibus bonis ſit referta, et ad ſe adeuntes beatos efficiat, nos quoq; omni diligentia, q̄ ad conſequenda, potiendaq́; bona ptinent, curare debemus, id qđ ipſe quoq; dominus nos monet, Primum, inquit, q̄rite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcietur uobis. D. item Paulus nos hortatur, ut cœleſtia ſectemur, non q̄ ſup terrā, id qđ etiam Vates hoc loco facit. Rogate inquit, ea, q̄ ad pacem illam Hieruſalē conſequendā faciūt, ea ſit animi ueſtri ſollicitudo, illud cordis uotum, abeat, faceſſat procul ab animis ueſtris terrenarum rerum memoria, ſuppeditabit uobis rerū omnium copia diligentib. & ſectantib. bona, q̄ nos in cœlo manent. Ex his aūt, quæ ad pacem illam conſequendā pertinent, ipſa inprimis diuinæ Legis obſeruatio, ſtu

dium diuini cultus, & pietatis requiritur, iuxta illud, Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata.
Sed ſi ad inſtitutum noſtrum pergamus, & hæc ad cœleſtem Hieruſalem referamus, erit ſenſus, quòd uidelicet Vates doceat, Tribus domini templum adituras, quid in primis à Deo ſuis precibus petant, nēpè ut ea, quæ ad pacem Hieruſalem faciunt, precentur. Tunc.n. non niſi ter in anno populo mandatum erat aſcendere in locum, quem dominus elegiſſet. Cū (ait Exod. 34.) Abſtulero gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, & nullus inſidiabatur terræ, aſcendente te, & apparente corām domino ter in anno &c. Cū Itaq; Iſrael huiuſmodi mandato non eſſet obligatus, niſi tunc, cum nullus prorſus eſſet timor ab inimicis, & ſecurus urbes ſuas derelinquens unum in locū conuenire poſſet, monet Vates, ut ea, quæ ad pacem Hieruſalē pertinent, aſſiduis precibus contēdant à Deo, alioqui quamuis templum erigeretur, & in eo arca collocaretur, & altare, tamen ſi per imminentia bella illud minus adiri poſſet, fruſtra erectum fuiſſet. Hinc etiam quantum malorū ſecum afferant bella, iudicari poteſt, quorum illud eſt maximum, ꝙ uerbi Dei cultus, & uerbi miniſteriū impeditur. propterea D. Paulus monet fideles, ut pro regibus, & principibus offerant preces, ut Euāgelij doctores trāquillam, & quietam uitā agant, & pacificè, ac trāquillè munus ſuum

obeant, Idem facere uidetur hoc loco Pſaltes, cum dicit, Rogate, quæ ad pacem ſunt Hieruſalem, idq́ non ea certè cauſa, ut pace, et tranquillitate abutētes ſeſe ocio, & luxui tradāt, ſed potius ut ſtudio rerū diuinarum incumbat. Ad hunc itaq; finē pacē dat Deus ciuitatibus, & populis, qua ſi abutantur, mox bellis, diſſidijs, peſtilentia, & penuria multat. Sicuti Hieruſalem, & alijs itē ciuitatib. accidiſſe uidemus, quæ quoniā, quæ ad pacē ſuam erant, cognoſcere neglexerunt, mox ſolo æquatæ, ac funditus ſunt deletæ. Ex quo diſcimus, illā eſſe rationē ſeruandæ pacis, & introducendæ fœlicitatis in regna, prouincias, et ciuitates, ut nō turres ad ſydera educantur, nō ut arces cōſtruantur, aut mœnia erigātur, aut fortiſſimi exercitus inſtruātur, ſed ut Dei cultus inſtituatur, & uerbi miniſterium frequentetur, his etenim præſidijs urbes ſatis firmæ, & ſatis beatæ ſunt, propterea addit.

ET ABVNDANTIA DILIGENTIBVS TE.

OMnia fauſta, omniaq́ felicia pollicetur ſpiritus ſanctus his, qui Hieruſalē ibant, quo in loco cultus Dei erat conſtitutus. & contrà, Dei cultum ſpernentibus aduerſa omnia precatur. Nam ex ſacra hiſtoria apertè cognoſcitur, huic ciuitati proſpera omnia eueniſſe, quandiu in ea diuinus cultus floruit, & illius hoſtib. infeliciter omnia, licet ea uirib. multo eēt

illis inferior, ut ex hiſtoria Sennacherib uidere eſt, & aliorum Regũ, qui innumerabiles copias ad illius urbis oppugnationem adduxerant, & nihilominus à paucis fuſi, fugatiq́; fuerunt, propterea quòd pugnabat dominus pro Iſraele cõtrà illos. Cũ uerò populus ille Dei cultum cum templo contempſiſſet, Prophetas ſuos malè tractaſſet, & impietatem & ſuperſtitionem eſſet amplexus, mox malorũ, & calamitatum acie circundati fuerunt, maxima ciuium pars in captiuitatem miſerabiliter adducta fuit. Itaq; pollicetur Deus ſalutaria, & felicia omnia illis ciuitatibus, quæ ſui cultum ſtudioſè curẽt, quin eadem pollicetur his, qui huic populo bene uelint. Maledicam (inquit) maledicentib. tibi, & benedicam benedicẽtibus tibi. propterea & Vates huiuſmodi benedictiones his precatur, qui Hieruſalem ſic inſtitutam dilexerunt, ſit (inquit) abundantia rerum omnium tum terreſtrium, tum cœleſtium his, qui diligunt te ò Hieruſalem.

FIAT PAX IN VIRTVTE TVA, ET ABVNDANTIA IN TVRRIBVS TVIS.

VAtes id pſtat, ad quod alios ſupra hortatus fuit. iccircò Deum precatur, ut ſibi, & toti electorum Eccleſiæ ea tribuat, quæ ad pacem illam cœleſtis Hieruſalẽ conſequendam ſunt neceſſaria, idq́; abundè, & præſertim in turribus, i. in principibus, & Prælatis, & his omnib. qui alijs præſunt, ut illi ex ſua abundantia cõmunicare ſubiectis ſibi populis poſſint, idq́; per Mi

niſterium uerbi, & rectam uiuendi rationem. Princi pes ſiquidem, & Prælati propterea turribus comparãtur, ꝙ non modo cæteris emineant, quodq́; populum ab hoſtiũ incurſionib. tueantur, ſed qđ illi ẽt ea proſpicere debent, q̃ ad hanc alendam uitam, & ad futurã illam conſequendam ꝑtinent. Hæc ſiquidem omnia populi à Prælatis tanq̃ à publicis horreis poſſunt ſibi depromere. Quòd ſi de terreſtri Hieruſalem hæc ſunt intelligẽda, ſicut ſuperius quoq; fecimus, ꝑ uirtutem, mœnia, turres, equi, currus, exercitus, & q̃cunq; aliæ munitiones, q̃ pro defenſione urbis apparantur, ſunt accipiẽda. Hæc etenim omnia uox hebraica חיל ſignificat, & complectitur, q̃ quãuis reijci Deus nolit, immo ea requirit, uerũ monet uitæ, ſalutis, & uictoriæ ſpem in ſe uno collocandam, non aũt in huiuſmodi rebus. quandoquidem ea omnia per ſe nihil ualẽt, at ſi Deus uim ſuam illis impertiat, erunt q̃ maximè utiles. Quod cũ optimè intelligeret Vates hm̃oi munitiones non hominum inuenta, & uirtutẽ, ſed Dei potius robur, & potentiã appellat. quandoquidẽ Deus cum his uim ſuã coniungit. Quarũ qdẽ munitionũ q̃uis maximã haberet Vates, tamen ut apud ſe quieſcant, & in pace ſint, orat. ſit (inquit) quies, & pax munitionib. quibus tu hanc urbẽ muniuiſti, nõ hoſtis, nõ bellũ ea infeſtet, ut liceat tribubus Iſraelis, undiq; in eã cõfluere ad cõfitendũ nomini tuo, quo tãdẽ in cœleſti illa Hieruſalẽ te unoꝑpius frui poſſint.

ET ABVNDANTIA IN TVRRIBVS TVIS.

V*Ates pro turribus intelligit mænia, propugnacula, uel ipſas ciuium domos intelligit. Sed ſi propugnacula intelligit, precatur, ea ſic firmata eſſe diuino præſidio, ut ſi hoſtes urbem aliquando obſederint, & oppugnare cœperint, ciues ſint incolumes, & hoſtes ab eorum finibus procul arceantur. Si uero de priuatis domibus loquitur, ciuitati, & toti populo non in genere tantùm, ſed & in ſpecie proſperitatem, & pacem optat ut. ſ. nõ modo ciuitas ab hoſtibus tuta ſit, & nullo unq̃ bello infeſtetur, ſed ne etiã in ea ſint priuata diſsidia inter ciues, nec ulla in familijs diſcordia, aut aduerſantis (ut aiunt) fortunæ caſus, ſed quæq; tum publica tum priuata feliciter eueniant, ut nullo unq̃ rerũ aduerſarũ ꝑtextu à Dei cultu quiſq̃ ſe excuſare poſſit.*

PROPTER FRATRES MEOS, ET PROXIMOS MEOS LOQVEBAR PACEM DE TE. PROPTER DOMVM DOMINI NOSTRI, QVAESIVI BONA TIBI.

Q*Vi ciuitates ſuas frequentes, opulentas, & pacificas habere deſiderant, hi aut priuata ciuium commoda, aut propriã ſuam ipſorum gloriam propoſitam habent. Vates aũt cum ciuitati ſua fauſta, & felicia omnia ꝑcaretur, omnia ad ciues ſuos, quos fratres appellat, referebat. Propter fratres meos (inquit) & ꝓximos meos loquebar pacem de te. Fratres aũt, & amicos ſuos populos ſibi ſubiectos appellat, quos non ſe-*

cus ac frater fratres, & amicus amicos diligebat. quã doquidem didicerat hanc animi propenſionem requiri ab eo, qui cæteris imperat, ut .ſ. fraterna eos beneuolentia, & charitate complectatur. Nã qui ſecus ſunt affecti, tyranni potius, & domeſtici hoſtes, q̃ principes ſunt habẽdi. hi ad ſua cõmoda, ad delitias, & uoluptates ſuas quæq; referunt, & alieni commodi nullã omnino rõnem habẽt. Dicit itaq; Vates, loquar pacẽ de ea, cum Deo loquens, loquar ſimul ẽt cum hominib. & de pace agam, idq́; alieno potius, q̃ meo mihi propoſito cõmodo. Singularem aũt hanc charitatem erga populũ ſuum tunc tẽporis præcipuè declarauit, quãdo ob peccatum recenſiti populi data ſibi fuit optio, quodnam ex trib. malis deligeret famem ne, ſeptem annorum, an bellum trium menſium, an potius trium dierum peſtilentiam, poſtremum delegit, qđ ſibi cõe cum cæteris futurum ſciret, quin ut totius mali uis in ſe unum redũdaret, p̃cabatur. Vertatur, obſecro (ait) manus tua contra me, & domum patris mei, ego ſum, qui peccaui & iniquè egi, iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt?

PROPTER DOMVM DOMINI QVAESIVI, *ſiue* QVAEREBAM BONA TIBI.

N*On propter humanam gloriam, & faſtum ſuæ ciuitati bona precabatur, ut .ſ. hac ratione apud homines ſibi famam cõpararet, ſed p̃pter domum Domini. nec propter materialem tantùm illam domum,*

ſed

ſed pp̄ ea, quæ in illa exercenda erant. in domo Domini, intelligit ſyncerum Dei cultum, qui in Miniſterio uerbi, in oblationibus, & ſacrificijs poſitus erat. Vt itaque Dei cultus ſtabiliretur, proueheretur'q́;, optima quæq; ciuitati precabatur. Quod quidem ſtudium cōmune debet eſſe Regum, & Principum omniū, ut in regnis ſuis, in prouincijs, & conuentibus Dei cultus inſtituatur, & ſummo ſtudio retineatur. Nā p̄pterea
Sap. 6. *conſtituti ſunt Reges à Deo, ut ſint coadiutores Regni illius ſēpiterni, qđ ſi minus p̄ſtiterint, potētes potēter tormenta patientur. Qui uerò in eam rem toto pectore incubuerint, in ſempiternū ſunt cum illo regnaturi in cœleſti illa Hieruſalē nullo unq̄ hoſtili incurſu uiolanda, quam tam magnificauit, ut fratres, & amici, qui eodem fidei, ſpei, & charitatis nexu cōiuncti ſunt, ad eam amandam, optandam, & q̄rendam incitarentur, ut in eadem domo perpetuò manentes perpetuis laudibus Dei nomen celebrent.*

CANTICVM GRAD. IIII.
PSAL. CXXII.

AD TE LEVAVI OCVLOS MEOS, QVI HABITAS IN COELIS.

COnſtitutus Dauid in maximis afflictionibus implorat diuinum auxilium, & diuinis promiſſis iacentem animum ſuum erigit, ſeq́; totum diuinæ prouidentiæ cō-

mittit, iccircò quamuis ob pietatis cultum illudatur à ſuperbis illius contemptoribus, non tamen cadit animo, aut in eo agit remiſsius, ut ſit aliquando illum deſerturus. Sed potius in Deum defigit oculos, ab illius nutu, & uoluntate uelut fidelis ſeruus non diſcedit. Talem autem fuiſſe Dauidis ſtatum hic Pſalmus oſtendit, qui cum ob pietatis ſtudium, & ſyncerum diuini Numinis cultum probris afficeretur, & à ſuperbis, & contemptoribus ſperneretur, tollens in cœlum oculos diuinam miſericordiam implorat, dicitq́. Ad te leuaui oculos meos. &c. Oraturus Vates, oculos quidem, & faciem ad montes conuertit, vbi tabernaculum, ubi Arca, ubi altare domini fuerant conſtituta, ſed mentis aciem intendebat in Deum, ea minimè reſpiciens, quæ contra ſe molirentur impij homines, quid de ſe obtrectarent, quid denique ſentirent, minimè conſiderabat. At quid de ſe ſentiret Deus, quid decerneret, aßiduè cogitabat. quid minetur, quid polliceatur Deus, quàm iuſtus, quàm fidelis, quàm uerax in præſtandis promißis ſit animo attento meditabatur. Hæc ſibi conſideranda, amãda, metuendaq́ proponebat. in his cogitationes ſuas fixas tenebat, obtrectationes uerò, & inſidias hominũ impiorũ nihili faciebat. Hæc qui facit, leuare oculos in cœlũ dicitur. Qui uerò terrena tãtũ bona p̄catur, neglectis cœleſtib. is ad Deũ hu

ius

ius mundi, ac principem tenebrarum cõuertitur. At Dauid Deum cœli reſpicit cœleſtia, diuinaq́ bona ſibi expetit, et quæ uero Deo digna ſunt, poſtulat, Quid eſt autem ꝙ affirmat Deũ inhabitare cœlos, & illum quaſi in cœleſti illa regione releget, cum tamen cœlũ, & terrã Deus repleat, nec ullus omnino locus uacuus ille ſit? Magnus ille Rab. Moſes ægyptius ſcribit perinde accipiendum eſſe Deum cœlos inhabitare, ac Deum natura cõſtantẽ, ſtabilẽ, & incorruptibilẽ eſſe. id.n. ab ipſa cœlorũ natura declaratur, qui ijdẽ nobis ſemper ſunt, eadẽ nobis perpetuò referẽtes bona, immobiles, & incorruptibiles ſunt. Cũ uelint itaque ſignificare nobis Vates conſtantiã, & immobilitatẽ Dei in promiſſis, dicunt ipſum inhabitare cœlos. Iccirco uolens Dominus, ut firma, cõſtantiq́ fide oremus, monet, ut Patrem in cœlis commorantem nobis proponamus, dicamusq́. Pater noſter, qui es in cœlis. Vates itaq; cũ grauiſſimis morbis afficeretur ad Deum cœlos inhabitantem, & cœleſtia bona promittentem tollit oculos mentis, ut conſtantem ſe præbeat, humili oratione precatur, ut Demum ſibi liceat diuinorũ promiſſorũ exitũ & copioſã mercedẽ in cœlis ſibi repoſitã ſuſcipere.

ECCE SICVT OCVLI IN MANIBVS DOMINORVM SVORVM, ET SICVT OCVLI ANCILLAE IN MANIBVS DOMINAE SVAE, ITA OCVLI NOSTRI AD DOMINVM DEVM NOSTRVM, DONEC MISEREATVR NOSTRI.

QVo animi affectu, quouè conſilio oculos ſuos ad Deum cœlos inhabitantem ſuſtulerit, declarat cõmuni quodã, & familiariſs. ſeruorum, & ancillarum exẽplo. quippe, cum Deus ipſe ſit ſolus, & uerus omnium dominus, liberrimus, nulli prorſus addictus, ipſi omnia ſeruire iure optimo debẽt, et præcipuè homo, idq; nõ modo creationis, ſed etiam redemptionis cauſa. Is etenim & parentum, & ſuo ipſius uitio, iræ Dei obnoxius, & ſempiternæ morti addictus meritò filij Dei liberatus eſt, qui ſeſe in uitiati hominis loco conſtituens omnem ipſius culpam in ſe, qui ſumma ſanctitas eſt, tranſtulit, & ſuo ſanguine, ſuaq; nece expiauit, ut homo redemptus Deo ſeruiat. quemadmodum & D. Paulus, Liberati (ait) à peccato facti eſtis ſerui iuſtitiæ. Ea itaq; nobis cum Deo intercedit conditio, quæ ſeruis cũ domino ſolet intercedere. Seruus enim quia pretio domini ſeruatus eſt, totus ſub domini poteſtate eſt, non eſt amplius ſui iuris, ſed quicquid habet, quicquid agit, ſuo domino ſeruit, à cuius nutu omnino pendet. Quod cum Vates, & cũ eo pij quique homines intelligant, neque de malis, quæ patiuntur, aliquando conqueruntur, neq; ſi boni quicquàm contingit, ſuo merito tribuunt, ſed Deo omnia acceptum referentes ſe ipſius tantùm ſeruos eſſe reminiſcuntur, & ad Dei manus ſumma cum humilitate reſpicientes, patienter expectant, quoad illas a-

periat, ſeq́ inopes omni compleat benedictione, atq; ab improborum oppreſsione, & inſectatione eripiat, & ex omnibus denique malis amanter eripiat. Non itaque Vates arrogantia elatus tollit oculos ſuos in cœlum, oculos enim ſublimes odit dominus, ſed potius fiducia diuinæ benignitatis id facit, de ſe interim humiliter ſentiens. Quam animi ſui humilitatem hoc exemplo declarat. Ecce ſicut oculi &c. ac ſi dicat, non tollo oculos ad te domine more illius, quòd debitam ſibi mercedem abs te arroganter exigit, neque iuſtitiam tuam damno, aut prouidentiam tollo, quod mihi non opituleris, cum undique impiorum uiribus premar, ſed fide potius, & patientia fero quicquid eſt mali, quoad tu paterno conſilio me premi ſinis, paulopoſt enim, ſcio, te mihi auxilio, præſidioq́ futurũ, neq; permiſſurum, ut fruſtra benignitatem tuam implorauerim. Serui, et ancillæ læſi iniurias non ulciſcuntur, ſed ultionem dominis ſuis faciendam relinquunt, quandoquidem qui præſente domino, ſeruis facit iniuriam, is in dominos iniurius uidetur. Iccirco dominus ait, Qui uos tangit, tangit pupillam oculi mei. Exemplum autem ſerui, & ancillæ adducit, ut utrunque ſexum inſinuet, ſic curæ eſſe Deo omnium domino, ut in omnibus euentibus omnes tum mares, tum fœminæ, ſerui, & ancillæ ſe Dei eſſe reminiſcantur, cui in iuſtitia & ſanctitate ſeruiant cunctis diebus uitæ ſuæ.

DONEC MISEREATVR NOSTRI.

ITa tollendi, ita defigendi ſunt oculi in Deũ, ut piũ quenq; maximè pudeat, eos aliò conuertere. fide & patientia expectandum eſt diuinum auxilium, quòd ſi Deus ſe nobis iratum oſtendat, nec ullam opem ferat, ſed abijciat, ſed uerberet, dicẽdum tamen erit cũ Iob, uel ſi occiderit me, ſperabo in eum, hoc eſt ad Deũ oculos tollere, et fixo intuitu benignitatem illius reſpicere, donec miſereatur noſtri. Quibus uerbis uir ſanctus ſignificat, ſe maximo animi robore præditum eſſe, ut quãuis ſeruus ſit humillimus, nemini mortaliũ reſpiciendus, tamen ſperet, ſe pro diuina benignitate placidis Dei oculis reſpiciendum aliquando, & adiuuãdum eſſe. Quamuis aũt opem ſuam differat Deus, & perſæpe diſsimulet audire preces ſupplicum ſuorum, minimè tamẽ ſpes ſalutis abijcienda eſt, hoc etenim eſt hominis deſperantis, & perditi, quod Caini, & Iudæ exemplo declaratum eſt. ſed neq; arroganter, & temerario quodã auſu noſtra nobis ſalus exigenda eſt, quod eſſet hominis nimium ſibi tribuentis, utrũq; autẽ ſcopulum tutò præteruehemur, ſi nobis miſeriã noſtram ita propoſuerimus, ita cognitam habuerimus, ut tamen à domino nunquàm oculos dimoueamus, donec miſereatur noſtri.

Miſe-

MISERERE NOSTRI DOMINE, MISERERE NOSTRI, QVIA REPLETI SVMVS DESPECTIONE.

Vehementiſſimo quodam animi affectu implorat diuinam miſericordiam, & ardentiſſimum cordis ſui deſiderium emergit, cum repetitur, Miſerere noſtri domine, Miſerere noſtri. Sentit enim ſibi, & mortalibus uniuerſis maximum imminere periculum, cuius uitandi ſpes ſit in perfugio diuinæ miſericordiæ. Omnium enim tum peccatorum, tum iuſtorum vox iſta eſt; Tametſi alius alio grauius peccet, diuina tamen miſericordia eſt imploranda. Vniuerſi circumlatramur peccato, nec eſt qui de iuſtitia ſua quicquam poſſit præſumere, unicuique; clamandum eſt, Miſerere noſtri. Loquens autem Vates cum Deo utitur eo uerbo, quo nec ipſi, nec nobis aptius ullum reperiri poteſt, nempè Miſerere. ſi enim cum eo loquens alio loquendi genere uſus fueris, non intelliget, non exaudiet Deus. & niſi ipſe quoque; agat nobiſcum, ſecundum miſericordiam ſuam, perimus. Diuinam autem implorans miſericordiam omnia uno uerbo petit, quoniam in ſua miſericordia Deus omnia conſtituit. Quid autem in hanc precationem impulerit Vatem, declarat ipſe uerſu ſequenti.

QVIA MVLTVM REPLETI SVMVS DESPECTIONE.

Multa quidem, & grauia tum Vatis, tum totius populi peccata poterant ipſius animum uehementer

menter commouere, & ad diuinam miſericordiam implorandam impellere, Verùm illud uehementius cõmouebat, quod tunc temporis Prophetæ deſpicerentur, et uerbum Dei cõtemptui haberetur. quod quidem peccatum magis omnibus iram Dei meretur, quod non ſemel in explanatione Pſal. 118. oſtendimus. Hic tamen apponam Hieremiæ oraculum, cuius quidem temporibus uerbum Dei paßim non à populo ſolùm, ſed à ſacerdotibus, & prophetis ipſis onus appellaretur, iccirco ait dominus, ſi interrogauerit te populus ille, uel Propheta, aut ſacerdos dicens, quod eſt onus domini, dices ad eos, ut quid uobis onus? Proijciã uos dicit dominus, & Propheta, & ſacerdos, qui dicit, onus domini, uiſitabo ſuper uirum illum, & ſuper domum eius. Hæc dicens unuſquiſq; ad proximum, & ad fratrem ſuum, Quid reſpondit dominus, & quid locutus eſt dominus, & onus domini ultra non memorabitur, quia onus erit unicuiq; ſermo ſuus, & peruertiſtis uerba Dei noſtri. Si autem onus domini dixeritis, propter hoc dicit dominus, quia dixiſtis ſermonẽ iſtum onus domini, & niſi ad uos dicens, Nolite dicere, onus domini, propterea, ecce ego tollens uos portãs, & derelinquam uos, & ciuitatem, quam dedi uobis, & patribus ueſtris à facie mea, & dabo uos in opprobrium ſempiternum, & in ignominiam ſempiternam quæ, nunquàm obliuione delebitur. Cum uideret

itaq; Vates uerbum Dei loco moleſtiſſimæ ſarcinæ eſſe non ſolùm multitudini, ſed ipſis etiam ſacerdotibus, & Prophetis, qui pios ſacerdotes, pioſq; Prophetas ipſi impij, mendaceſq; inſectabantur, & ignominia afficiebant, diuinam iram uerbi Dei contemptoribus intentatam ualdè metuebat, iccirco ſupplex petit diuinam miſericordiam, ut miſericordiam pro miſericordia, & gratiam pro gratia impetret, ut ſcilicet populus ex tanta impietate, & cæcitate eripiatur, ut uerbum Dei, quod pietatem, & ueram lucem ſecum affert, libenter audiant, & Prophetas in honore, & pretio habeant. Hæc illa eſt miſericordia, & gratia, quam Vates ardentibus Votis afflagitat, cùm dicit, Miſerere noſtri domine, miſerere noſtri, pro Miſerere autem & peccatorum condonatio accipitur, & ſuppliciorum remiſſio. iccirco, repetit, Miſerere.

QVIA MVLTVM REPLETI SVMVS DESPECTIONE.

R*Epletur autem multum, ſeu ut uox hebraica ſonat, ſaturatur opprobrijs, & deſpectione, qui ab impijs opprobrio afficitur, cuiq; nihil integrum ab impiorum calumnijs relinquitur. quod tunc potiſſimum fit, cum genus, uita, doctrina, mores, conſilia, & actiones dantur opprobrio, quod non modo prophetis, & pijs quibuſque, ſed prophetarum, & piorum domino*

acci-

accidit. Quale autem iudicium expectent irriſores huiuſmodi, Hieremias, & alij prophetæ declararunt. Contemptores, & irriſores (ait Salomon) ſubſannabit Dominus.

QVIA REPLETA MVLTVM EST ANIMA NOSTRA OPPROBRIVM ABVNDANTIBVS ET DESPECTIO SVPERBIS.

LEgendum potius erat ſicut & D. Hieronymus legit, Repleta eſt anima noſtra deſpectione abundãtium, & opprobrio ſuperborum. Duo autem hominũ genera, qui pios uiros, & uerbi Dei miniſtros maximè oderunt, & opprobrijs quibuſcunq; afficiunt, opulenti ſcilicet, & ſuperbi: primi appellantur השאננים contra quos ait Dominus per Amos, Væh uobis, qui opulenti eſtis in Syon, & confiditis in monte Samariæ, capita populorum ingredientes pompaticè domus Iſrael. Nomen autem hebraicum tranquillos ſonat per tranſlationem autem abundantes ſignificat, & diuites, propterea quòd diuitijs abundantes tranquillam, ac ſecuram uitam agere uidentur. Qui itaque ſe ſuſpiciunt, qui ſibi fidunt, quaſi ſint iuſti, hos opulentos appellat, cum tamen nudi ſint, miſeri, & miſerabiles, ijs etiam minatur Dominus, Væh uobis qui Saturati eſtis. De quibus & beata uirgo cecinit, Diuites dimiſit inanes. Id genus erant

nit diuites dimiſit inanes. Id genus erant Phariſæi, qui ideò ſecuri, tranquillíq́; appellantur, quòd ſe peccatis oneratos non ſentiunt, ſed ſe potius abundare iuſtitijs arbitratur. iccirco ſe quaſi iuſtitiæ idolum colentes ſecuri deſpiciunt uerbum Dei, & miniſtros illius peßimè habent, & opprobrijs complent. Hi cum optimates ſint, & capita populorum, de ſe exemplum populis præbent, nam quòd illi deſpiciunt, hi deſpiciendum arbitrantur. Adde quod uerbum Dei malefacta eorum redarguit, et eorum ſecuritatem interturbat, quam ſanè interturbationem ferre nequeunt opulenti, & ſaturi, ſed פיהרלעג *ideſt uerbis, probroſa uoce, & contumelijs doctrinam, & doctores huiuſmodi perſequuntur, & omni opprobiorum genere piorum animas illam toto pectore amplexantium afficiunt, mores, actiones, conſilia, uitam denique illorum omnem damnant. Animam autem pro totius uitæ curſu ubique ferè ſacri Vates accipiunt. Et Opprobrio ſuperborum hebraicum nomen eos ſignificat, qui non uerbis, & uoce alios calumniantur, ſed qui ſecum taciti alios aſpernantur, & eos parui, aut nihili faciunt. Quorum ex numero ſunt hi; qui uerbum Dei, & doctores illius ludibrio habentes illud minimè curant. Quæ ſanè Diabolica ſuperbia eſt, quando Dei uerbum, quo pretioſius nihil habemus, pro nihilo ducitur. Quãuis enim illud apertè non calumnientur, hæc tamen*

ipſorum dedignatio iniuria maxima eſt. Qui nanq; Principem ſuum iuſto, ac debito honore nõ proſequũtur; hi iniuriam illi facere, ipſum deſpicere, ac dehoneſtare exiſtimantur. Fieri autem poteſt, quòd hæc flebiliter caneret Dauid domeſtico exemplo commotus, fortaſſe enim obliquis oculis uxorem ſuam Saulis filiam, Michol ſcilicet aſpiciebat, quæ Dauidem quaſi ſcurram contempſit, quòd ſe nudaſſet, & coràm Arca domini ſaltaſſet. Credi autem poteſt, non ipſam ſolam ſaltantem uirum ſuum deſpexiſſe, ſed opulentos, & ſuperbos alios nonnullos, quorum deriſiones æquo animo ferens Dauid diuinam ſibi, & irriſoribus miſericordiam implorabat.

CANTICVM GRAD. V.

PSAL. CXXIII.

NISI QVIA DOMINVS ERAT IN NOBIS DICAT NVNC ISRAEL.

ISraelem uniuerſum monet, & adhortatur Pſaltes, ne in ipſum Deum ingratè ſe gerat, nèue ea uiribus ſuis, & propriæ iuſtitiæ aſcribat, quæ uni ſeruatori Deo ſunt aſcribenda. Nouerat enim, quàm procliuè ad ingratitudinem ſit humanum ingenium, à quo ut Iſraelitas abſterreat; reuocat eis in memoriam pericula,

ex quibus olim diuinitus erepti fuerant. Quorum re cordatione intelligant, ſe diuina tantùm potentia, nullis autem ſuis uiribus, aut uirtutibus ſaluos, & in columes euaſiſſe. Quæ quidem beneficia tam crebrò Moſes repetit, quippe qui nonnihil uerebatur ab ingrato populo. Sciebat enim quàm facilè obrepat humanis mẽtibus diuinorum beneficiorum obliuio. Ne dicas (inquit) in corde tuo. Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt. Sed recordare, ꝙ Dominus tibi uires præbuerit, ut impleret pactum ſuum, ſuper quo iurauit patribus tuis, & paulo inferius cap. 9. Ne dicas in corde tuo propter iuſtitiã meam introduxit me Dominus, ut terram hanc poſſiderem. neq; n. propter iuſtitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, ut poſſideas terram eorum, ſed ut impleret uerbum ſuum Dominus, & quia illi impiè egerunt. Ab huiuſmodi autem gloriatione Moſes populum ſuum reuocabat, propterea quòd quãdam hãc eſſe idololatriæ ſpeciẽ intelligebat, & quaſi opera manuum ſuarum adorare, Deo autem ſuam uim, ſuãq; gloriam impiẽ adimere. Hac una re nonnihil offenditur Deus, & iram ſuam exerit. Cõuerſi ſunt (ait hic idem Vates, pſal. 77.) & tentauerunt Deum, & ſanctum Iſrael exacerbauerunt. Non ſunt recordati manus eius die, qua redemit eos de manu tribulantis. Exacerbatur itaque, & ad iram prouocatur Deus,

cum diuina illius beneficia obliuiſcimur, dicimusq́, Manus noſtræ fecerunt hæc omnia. quæ certè blaſphemia nihil ſceleratius, nihil ab omni pietate alienius excitari poſſet. Iure igitur, ut ab ea populus abſtineat, hortatur Vates, atque iccirco memoriam maximorum beneficiorum renouat, ut ex recordatione præteritorum intelligat populus, quantū de Dei liberalitate perpetua ſibi polliceri poßit, ſi gratus extiterit, ait itaque.

NISI QVIA DOMINVS ERAT IN NOBIS DICAT NVNC ISRAEL, NISI QVIA DOMINVS ERAT IN NOBIS, CVM EXVRGERENT HOMINES IN NOS.

Iſraelem uniuerſum appellat, illum ſcilicet, qui & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum ab Iſraele ducebat originem, in quo, uel qui cum potius ni Deus fuiſſet, omnino ad internecionem redactus fuiſſet. Eſt itaque Deus in toto Iſraele, ſed dißimili ratione. Cum Iſraele carnali uerſatur Deus, ſi munera illi tributa, ſi cærimonias, ritus, circumciſionem, templum, & ſacrificia conſideres. At ſi conſideres munera ſpiritus ſui, quibus electos ſuos iuſtificat, & ſanctificat, cum ſolo Iſraele ſpirituali eſt. quandoquidem carnalis ille nec ſapit, nec intelligit, ſed potius auerſatur diuini ſpiritus munera. Propterea lis maxima illi cum hoc intercedit, nihil conue-

nit alteri cum altero. Sed quemadmodum Iſmael, qui natus erat ſecundum carnem, perſequebatur eũ, qui natus erat ſecundum promiſsionem, ita & nunc, ait D. Paulus. Sic autem frater fratrem perſequitur, ut niſi dominus eſſet cum Iſraele ſpirituali, carnalis Iſrael ipſum omnino deleret, & è medio tolleret, vt exemplo Iſmaelis contra Iſaac & Eſau contra Iacobum, & decem tribuum cum tribu Iuda declaratũ eſt. Quæ ſanè lis ut peruetus, ita perpetuis durat temporibus, quod ex omnibus hiſtorijs perſpici facilè poteſt. Niſi itaque dominus tam cum Iſraele carnali, q̃ cum ſpirituali fuiſſet, à ſuis uterq; hoſtibus, & alter ab altero deletus fuiſſet. Id ita eſſe, monet Pſaltes, vt Iſrael crebris repetitis uocibus fateatur, idq; perpetuis temporibus. Propterea dictio נא *quam interpres nunc uertit, eſt potius obſecrantis, & ſonat obſecro, uel quaſo. Orat itaq;, & obſecrat Iſraelem, ut libero ore fateatur, Niſi Dominus fuiſſet ſecum &c. id autem repetit, quia id ægrè, & grauatè fatetur carnalis Iſrael, & propterea Vates uidetur illum urgere, & ſua huiuſmodi repetitione impellere, ut dicat, Niſi quia dominus erat. qua quidem confeſsione tribuitur Deo liberationis huiuſmodi gloria. Repetere rurſus ea ratione iubet, Niſi quia dominus &c. ut hac repetitione pſuadeat Iſraeli, Deũ habere pſentem, protegentem, liberantem, ſeruantem. Quod ſi quis pſuaſũ*

ha-

habeat, tantum animi robur, tantum fiduciæ cõcipit, ut timoris omnis ſit penitus expers. Id quod ſuo exemplo Dauid non ſemel teſtatur. Nõ timebo (ait) millia populi circundantis me, quoniam tu mecum es. Dicat itaq; ſibi, dicat alijs, dicat, & prædicet uniuẽrſis Iſrael, Niſi quia dominus erat in nobis. Id dicat, id fateatur, ut omnia poßit. Cum exurgerent homines in nos, forte uiuos deglutiſſent nos. Affirmat utrunq; Iſraelem cognoſcere potuiſſe, Deum præſentẽ habuiſſe, ꝗ cum homines ui maxima inſurgerent, irritos tamen fuiſſe conatus illorum. Alludit aũt Vates ad eos omnes, qui ſingulis quibusq; temporibus in utrunque Iſraelem inſurrexere, nempè ad Pharaonẽ ad Ægyptios, Iebuſæos, Philiſtæos, Chananæos, Aſirios, & Babylonios, quos omnes uno nomine complectitur אדם *.i. homines eos appellat, qui terræ filij ſint. qui terrena tantùm cògitent, & ſapiant, in quibus nihil omnino diuini Spiritus reſideat. Hoc autem nomine appellantur cunctæ gentes, quæ diuino Spiritu carent, præter Iſraelem, qui Deum uidet, & piè ueneratur, & colit.*

Nec Idolatras ſolùm gentes hoc nomine אדם *complectitur. ſed ipſum etiam carnalem Iſraelem cũ ſuis Prophetis Sacerdotibus, Sapientia, Potentia, diuitijs, & opibus præditis, perſequentem, & odio habentem Iſraelem ſpiritualem cum Prophetis, Sacerdotibus, & quicunque ex eo numero ſunt.*

Di-

Dicat itaq; (quæſo) Niſi dominus fuiſſet nobiſcum, cum exurgerent homines, Reges, & nationes omnes contra nos; uiuos profectò deglutiſſent nos. Significat igitur Iſraelis uires aut nullas, aut exiguas eſſe, ac fuiſſe ſemper; nec uiribus hominum contra ipsũ inſurgentium pares unquàm fuiſſe. Cum tamen ſuperiores ſemper euaſerint, declaratum eſt Iſraelem non humanis, ſed diuinis uiribus uiciſſe hoſtes ſuos qui terga uertentes, Fugiamus (aiebant) Iſraelem, Dominus enim pugnat pro illis cõtra nos. Quòd ſi hoſtes uim diuinam aduerſus ſe ſtantem pro Iſraele ſentiebant, & liberè confitebantur, id multo magis ſentire, & fateri Iſrael debet. Dicat itaq; ſpiritualis Iſrael non modo de externis, ſed & de domeſticis hoſtibus ſuis. Iſraelitis carnalibus, qui & ipſi meritò homines appellantur, quòd nomen tantùm Iſraelis, fidem uero, & pietatem illius non habent, Niſi quia Dominus &c.

FORTE VIVOS DEGLVTISSENT NOS:

HOc loquendi tropo ſignificat Vates non modo hoſtium ſuorũ potentiã, & robur, & ipſius Iſraelis tenuitatem, et infirmitatẽ, ꝙ illis comparatus ſit uelut paruus bolus in ore & faucibus ferociſſimorũ leonum, ſed declarat ẽt pluſquàm ferale odium hominũ Iſraelem perſequentium, quo ſic æſtuabant, ut nihil

ma-

magis quàm Iſraelem uorare, & deglutire cuperent. Hoc item odio ferebantur Iſraelitæ carnales. Quorũ odium optimè Chriſtus expreſsit, cùm impios lupis, pios uero agnis comparat. Ecce (ait) ego mitto uos ſicut agnos inter lupos, quòd ſi agni ab efferata luporũ rabie ſalui euaſerint, non ipſorum uirtuti, ſed & paſtoris uigilantiæ aſsignabitur, qua ſi carerent, dubio procul uiui deglutirentur.

CVM IRASCERETVR FVROR EORVM IN NOS.

ODium illud flagrantiſsimum eſt, quo impij pios perſequuntur, quo terreni homines in cœleſtes & Dei amicos feruntur, atq; eo fit uehemẽtius, quod religionis prætextu ſuperſtitioſi pios oderunt, quo fit, ut uel ipſo naturæ iure ſublato, parentes in filios, filij in parentes, maritus in coniugem, coniux in maritum, frater in fratrem extirpata radicitus charitate, armentur. Vſque adeo furor, quo Diabolus humanos animos incendit, æſtuat in pios, ut illo perciti impij quid agant, aut contra quos dibacchentur, & ſæuiant, minimè intelligant. Omnis profectò ira deteſtabilis eſt, at cum ea in furorem euadit, nihil deteſtabilius eſt. Huiuſmodi odio flagraſſe gentes aduerſus Iſraelem Vates teſtatur, quarum perditiſsimis conatibus ni diuina uis reſtitiſſet, uiuos iamdudum Iſraelitas in ſua uiſcera

ſcera traieciſſent. Cum itaque adhuc Iſrael ſuperſit, ideſt Catholica Eccleſia, quæ utrunq; Iſraelem cõtinet, dubitandum nõ eſt, quin nobis adſit Deus, qui ſua nos uirtute ſeruet incolumes.

FORSITAN AQVA ABSORBVISSET NOS. TORRENTEM PERTRANSIVIT ANIMA NOSRA, FORSITAN PERTRANSISSET ANIMA NOSTRA AQVAM INTOLERABILEM.

D. Hieronymus uertit, Aqua obſurbuiſſet nos, torrens pertranſiſſet ſuper animam noſtram, forſitã pertranſiſſent ſuper animã noſtrã aquæ ſuperbiæ. Particula אזי quam ubiq; interpres Forſitan uertit, et ſi potius tunc ſonat, non tamen dubitatiuè, ſed ubiq; ferè affirmatiuè accipienda eſt. Dubitandum enim non eſt, niſi Dominus cum Iſraele fuiſſet, quin homines illum deglutiſſent, & ad nihilum redegiſſent. Eſto autem, quòd contra Iſraelis uires homines ſtare non potuiſſent, negari certè non poterit Iſraelem non humana, aut naturali ui, ſed diuina per medium mare ſicco pede tranſiſſe, & rapidum Iordanem traieciſſe incolumem, & ne maris aquis obrueretur, diuinitus eſſe ſeruatum. Stabant enim undæ hinc inde diuiſæ quaſi pro muro, donec Dei populus pertranſiret. Quòd certè factum omni admiratione dignum quamuis ſint, qui naturalibus accidentibus tri-

tribuant;negare tamen hi nequaq̃ poſſent, id non ſine ſumma diuini Numinis prouidentia tunc temporis,& ea occaſione accidiſſe. Qua certè re non obſcurè ſignificatum eſt,ipſum Deum non longè, ſed propè eſſe Iſraelem,& ſingularem de eo curam habuiſſe.

Hoc itaq; tam egregium, tam mirandum factũ Vates reuocat in memoriam Iſraeli, ut ex illius recordatione intelligat,ipſum Deum eandem præſtare charitatem Iſraeli,& perpetuò ſeruaturum ab hoſtibus & malis quouis tempore ingruentibus. Pro aquis rubrum mare accipio,quod niſi diuina uirtute cohibitum fuiſſet; Iſraelitas omnes unà cum Ægyptijs obruiſſet.Pro torrẽte uerò Iordanem intelligo, qui quia rapidò curſu præterfluit,ſuperbum & elatum flumen, ſeu aquæ ſuperbæ appellatur, cùm præſertim aquæ illius; ut ſcriptura teſtatur, inſtar montis intumuiſſent,& quaſi pro muro ſtarent, donec Iſrael traijceret. Quo quidem mirando,ac prodigioſo facto declarauit dominus,ꝙ quem amorem oſtenderat erga populum ſuum,uiuo Moſe,eundem ſeruaturus ſit perpetuis temporibus. Propterea Ioſue ait, & rurſus in hoc ſcietis, ꝙ dominus Deus uiuens in medio ueſtri eſt,& diſperdet in conſpectu ueſtro Chananæum. &c. Tunc itaque teſtatus fuit,ſe populo ſuò adeſſe; ipſum potenti ſua uirtute tueri,quando nec maris, nec Iordanis aquæ obruere potuerint,ſed potius iter præbuerint

rint

rint, donec ille in ulterius littus incolumis euaſerit. Pro aqua inſuper, & ſuperbis torrentibus frequenter Prophetæ intelligūt Principes, Reges, & potentiſſimos eorū exercitus, qui quibuſq; tēporibus aduerſus Iſraele bellum ſuſceperunt, quia ceu mare, & rapidiſſimus torrens longè, lateq; ſeſe diffundunt, quicquid obuium eſt, proſternunt, & demoliuntur. Aquæ multæ populi multi ſunt, qui in Iſraelis perniciem multoties conuenerunt, Quibus quidem non poterat Iſrael uiribus ſuis obſiſtere, ut tempore Ezechiæ accidit, quando Sennacherib tam numeroſum exercitum comparauit contra Hieruſalem, ut nulla ſalutis ſpes oſtenderetur neque Regi, neque ciuibus Hieroſolymitanis, una tamen nocte tantus exercitus magna ex parte ab uno Angelo deletus eſt. Niſi itaq; Dominus fuiſſet cum populo ſuo, profectò aquæ illæ, & ſuperbiſſimi torrentes Iſraelē abſorbuiſſent. Quod autem de Iſraele dico, id multo magis de Chriſtiana Eccleſia intelligo. Cum qua niſi dominus eſſet, ſecundum promiſſum illud, ego uobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad cōſumationē ſæculi, Iamdiu quidē ex omni memoria deleta fuiſſet Eccleſia à Principib. regibus, populis, et nationib. ab hæreticis, & falſis fratribus, ſed quia ſemper ille adeſt Dominus, nec ipſæ quidē inferorū portæ præualebunt aduerſus eā, Dicat itaq;, & crebro repetat, Niſi quia dominus erat in nobis. &c. & cū Iſraele

le immortales Deo gratias agat in hunc modum.

BENEDICTVS DOMINVS QVI NON DEDIT NOS IN CAPTIONEM DENTIBVS EORVM.

QVod ſuperius adhortatus Iſraelem fuerat, ut faceret, id nunc ipſe ueluti uerus Iſraelita facit, & quod alios docuit, id ipſe præſtat. Monuerat Iſraelem, ut libero ore fateretur, ꝙ niſi ipſe Deus cum eo fuiſſet, iam dudum periſſet, propterea tanto beneficio affectus debitas gratias liberatori ſuo perſoluit, quemadmodum & ipſe facit, qui prædicat Deum benedictum .i. omnibus muneribus accumulatum, omnibus bonis plenum; immò ipſum eſſe ſummum bonum à quo uelut ab uberrimo fonte omnia bona emanant. Benedictum .n. illum appellat litteræ ſanctæ, qui bonis omnibus affluat, & ea alijs liberaliſſimè impertit. Hac uoce perſæpe utuntur Vates, quoties diuinorũ beneficiorum mentionem faciunt, & hac una complectuntur quæcunque laudes Deo tribuuntur.

QVI NON DEDIT NOS IN CAPTIONEM DENTIBVS EORVM.

QVamuis Idololatræ gentes populum Dei capitaliter oderũt, & impios pij quàm maximè ſint inuiſi, quos & ꝓpotentib. uirib. facilè poſſent opprimere, tamẽ quoniã eorũ curã Deus ſuſcepit, nõ ꝑmittit eos impiorũ libidini, non dat eos in captionem dentibus

im-

impiorum. quod tunc facere uidetur, cum pios tradit in poteſtatem impiorum, ut quæcũq; uelint, in eos faciant, ac in ſuam tandem impietatem eos pertrahant. Comparat autem impios cum belluis, cum rapacibus lupis, ſæuisq; leonibus, qui ſuis dẽtibus .i. ſua potentia pios miſerrimè diſcerpant, & neci tradant. Quod autem de impiis dico, multò magis de impiorum omnium authore, ac patre Diabolo dici poteſt, quem litteræ ſanctæ ſæuiſſimo Leoni comparant, ſemper circumſpicienti, quem deuoret. in cuius os, & rabidas fauces incidunt, qui peccato ſeruiunt. eripiuntur autem cum liberati à peccato iuſtitiæ ſeruiunt.

ANIMA NOSTRA EREPTA EST DE LAQVEO VENANTIVM, LAQVEVS CONTRITVS EST, ET NOS LIBERATI SVMVS.

IN hebraica æditione perelegans additur ſimilitudo, & ſic legitur. Anima noſtra erepta eſt ſicut auis à laqueo uenantium. Idolatræ gentes, & impii quiq; uenatoribus comparantur, qui continenter prædæ inhiant, & cœli auibus laqueos, & retia tendunt. eorum autem prædam, quam ſectantur, ipſum Dei populum eſſe dicit, ſanctos, & pios Iſraelitas, qui cœli auibus cõparantur. Quas enim non ſtruunt inſidias impii, quibus artibus, & aucupiis ad ſe pertrahere nõ conantur? Verùm (ut Salomon ait) fruſtra tenduntur

retia

retia ante oculos pennatorum. Viri enim ſancti quãuis in carne uiuant, tamen non ſecundum carnem ambulant, terrena non quærũt, ſed ea, quæ ſurſũ ſunt, ſapiunt. Aues nulli infeſtæ, ſed omnibus beneficæ ſunt, & ſuo uolatu aerem expurgant, ſuo cantu oblectant, & ſeſe in eſcam præbent. His itaq; meritò comparantur pij, qui nulli oneroſi ſunt, ſed potius ad aliorum commodum nati uidentur. Quid boni nõ afferunt & uitæ conſuetudine, prædicatione, et morum exemplo? multos habent inſidiatores, aues rapaciſsimas, ſpiritus ſcilicet nequitiæ, aucupes, & adulatores, nec ullus demum finis inſidiarum eſt, quæ aduerſus illos ſtruuntur, quemadmodum D. Antonio reuelatum fuit, omnia plena ſunt laqueis, quibus Diabolus, & ſerui ipſius illaqueare pios uiros conantur, ut nulla euadendi ſpes ſuperſit, niſi quis laqueos conterat, id quod cum pijs omnibus factum teſtatur Vates, cum quaſi uno piorum omnium ore fateatur: Anima noſtra erepta eſt de laqueo uenantium, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Anima noſtra itaque multis laqueis irretita fuerat, nec liberationis ſpes ulla oſtendebatur. Quis enim peccati nexibus nõ detinebatur? quis mortis cathenis non premebatur? quis ſempiternæ dãnationis motu non terrebatur? quis deniq; impiorum inſidijs non petebatur? Cum itaq; peccati, mortis, & Diaboli mancipia eſſemus, & impiorum libidine ue

xaremur, noſtræ libertatis uindex è cœlo uenit, qui omnibus confractis uinculis nos miſſos fecit, et in libertatem filiorum Dei uindicauit. Quod aliquando futurum pij homines proſpicientes nixi diuinis promiſsis, iam tum pro facto habebant. ideo eorum repræſentans animi gaudium Vates dicit, Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus, anima noſtra erepta eſt. Hac uero libertate non fruuntur, qui adhuc peccato ſeruiunt, qui communem ſeruatorem aut non agnoſcunt, aut ingrati impiè contemnunt.

ADIVTORIVM NOSTRVM IN NOMINE DOMINI, QVI FECIT COELVM ET TERRAM.

Declarat Vates quis laqueos ſuos cõfregerit, quis libertatis autor extiterit, nimirum Deus. Non nos (inquit), ſed brachium dexteræ tuæ nos ſeruauit ò Deus. Adiutorium itaq; hoc non à nobis, nõ ab ullis rebus creatis prouènit, ſed à יהוה *nomine uenit. i. à Deo illo, qui patribus ſe reuelauit, qui ſolus à ſeipſo eſt, & ſtat. à quo, & in quo ſunt omnia, in quo uiuimus, mouemur, & ſumus, qui eſt benedictus in ſecula. qui omnia uerbo ſuo ſuſtinet, & portat. Ab hoc (inquam) Deo nobis eſt auxilium, & præſidiũ omne aduerſus Diabolum, peccatum & mortem, & omnes impiorum conatus. Cum Deus igitur nobiſcum ſit, Dicat nunc Iſrael, Niſi quia dominus erat in nobis. hoc*

cre-

brò repetat, & liberatori ſuo immortales gratias perſoluat, qui nobis auxilium ſuum preſtò eſſe uelit, cui laus ſit & gloria in æternum. Amen.

CANTICVM GRAD. VI.

PSAL. CXXIIII.

QVI CONFIDVNT IN DOMINO SICVT MONS SYON NON COMMOVEBITVR IN AETERNVM, QVI HABITAT IN HIERVSALEM.

NOn abs re D. Paulus res aduerſas Probationes appellauit, per illas enim quaſi per ignem probat, & explorat ſuos Deus, & nos nobis ipſis oſtẽdit, ueri ne, an ficti pietatis cultores ſimus. Propterea Moſes ait, Duxit te Deus per deſertum, ut affligeret te, atque tentaret, & nota fierent, quæ in animo tuo uerſabantur, utrum cuſtodires mandatum illius, an non. Nam qui ſyncero, pioq́ animo ſunt erga Deum, hi ne tum quidem, cum aduerſis rebus premuntur, à cultu pietatis recedunt. qui uero aliter ſunt affecti, hi uel leuiter offenſi commouentur, indignantur, ac blaſphemo ore, & maledictis inceſſunt Deum, qualeſque ſint, tentationum ignis facilè probat, apparetq́;

quàm infirmis radicibus pietas in eorum animis inhæreret, qui maiorem rationem habent commodi ſui, quàm pietatis. Hi uerò qui pietatem ex animo colūt, aduerſis rebus magis in ea confirmātur, ac ueluti aurum igne purgatiores fiunt ſcientes quòd tribulatio patientiam, patientia autem ſpem operatur, ſpes aūt non confundit. Cum itaq; Vates plurimis, maximisq́; tribulationibus patientiam didiciſſet, atq; per eam in ſpem maximam euaſiſſet, docet Iſraelitas conſtanti animo perferre omnes calamitates, quæ pijs ſemper ſummum animi gaudium pariūt. Sic igitur inquit.

Qui confidunt in Domino (erunt) ſicut mons Syō, qui non nutat, in æternum (uerò) ſtat, ſeu quieſcit. Hac autem metaphora conſtantiam, & uirtutem eorum declarat, qui uerè confidunt in Domino. hi nāq; inſtar Syonis montis erunt, qui nullis unquàm temporibus, nullisq́; caſibus quatitur, aut ſi quatiatur, nunquàm nutat, nunquàm ſuo loco, & quaſi baſe mouetur, ſed perpetuò conſtans, & immobilis manet. Illi uero, qui quamuis confidentiam iactant, minimè tamē in Domino confidunt, ſed omnem ſuam ſpem aut in ſeipſos, aut in terrena bona abijciunt, non ſunt inſtar Syonis montis, ſed inſtar leuiſſimi pulueris, qui quāuis leuiſſimo uento diſpergitur, nec ullo certo in loco poteſt conſiſtere, ſed modo huc, modo illuc impellitur, & circunfertur. Illi (inq̄) (ait hic idem Vates pſal. 1.)

erunt tanquàm puluis, quem proijcit uentus à facie terræ. Montibus igitur ueri confidentes comparãtur tum propter mentis excellentiam, & animi præſtantiam, qua cœleſtia ſectantur, & iccirco cæteris eminentiores ſunt, qui terrena ſapiunt, tum etiam ob ipſorum conſtantiam, & firmitudinem, qua in percepta iam pietatis doctrina, & reiecta in Deum fiducia perſtant. quibus à rebus non modo non dimouentur, aut aliò transferuntur, ſed ne nutant quidem, quãuis tẽpeſtatibus uẽtorum, turbinibus, & omni malorũ acie impetantur. Quemadmodum aũt montes à conſtituta ſibi ſede ab æterno non mouentur, ſed perpetuò potius illam tenent, ita pij à ſibi tradita antiquitus doctrina nunquàm recedunt. Monti uerò Syoni pij potiſsimum comparantur, non autem alijs montibus, his. n. impij ob ſuam ipſorum arrogantiam comparantur, at mons Syon diuino cultui eſt conſecratus, ut ſignificet pios non modo Deo conſecratos, ſed ita in ipſo Dei cultu, ſicuti mons Syon, firmatos, & radicatos eſſe, ut ab eo ſeparari nullatenus poſsint. in quam ſententiam D. Paulus, Scio quia creatura nulla poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quòd ſi à fide, ſpe, & charitate ſiue rebus aduerſis fracti, ſiue ſecundis elati deficimus, perſpicuum eſt, nos ex animo nunquàm Deo credidiſſe, & in eo nullam certam ſpem habuiſſe. Nam qui confi-

dunt in Domino, ſicut mons Syon perſtant. Montem ait Chryſoſtomus ſpem in Domino immutabilem dixit, firmam, conſtantem, inuincibilem, & inexpugnabilem. Habent quidem electi Dei ſua errata, ideo quotidie orāt, Dimitte nobis debita noſtra, nunquàm tamen fidem, ſpem, & charitatem prorſus relinquunt, ſed in eis uſq; ad finem immobiles perſeuerant, quia Dominus cuſtodit & conſeruat eos, ut infra apertè declarat.

HIERUSALEM MONTES IN CIRCUITU EIUS, ET DOMINUS IN CIRCUITU POPULI SUI.

Dixerat ſuperiore uerſiculo eū, qui in Domino omnem ſuam ſpem locatam habet, ſtabilem, & immobilem prorſus futurum. hoc uerò uerſiculo declarat, undenàm iuſto, & pio uiro huiuſmodi conſtantia ueniat; ſumpta ſimilitudine à ſitu urbis Hieruſalē. quam iccircò uoluit Deus in medio plurimorum mōtium ædificari, ut non facilè obſideri, & expugnari poſſet. Ab illius itaq; ſitu ſibi fingit Vates tutelam Dei erga populum ſuum, ait nanq; Quemadmodum Hieruſalem montibus circunſepta eſt, quibus quaſi mœnibus munita eſt, ut hoſtiles incurſiones repellat, ita dominus eſt inſtar multorum, atq; altiſſimorum montium, dum ſua prouidentia ſæpit illum, tueturq́;, ne aliquando ab hoſtibus expugnetur. Quòd uero ſe

De-

Deus præbeat pro munimento non ſolùm populo ſuo, ſed etiam priuatim cuiq; homini pio, hiſtoria 4. Reg. 6. maximè declarat. cum orante Heliſæo ſeruus illius uidere meruit montes equorum & curuum igneorum in circuitu Heliſæi. Erant enim illi Angelorum exercitus, qui publicè populum Dei, priuatim uerò ipſum Heliſæum cuſtodientes circum ipſos caſtrametantur. quemadmodum aliàs Vates, Angelis ſuis Deus mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Quamuis igitur populus Dei, & pius quiſque ſine ullo penitus propugnatore, & conſolatore relictus uideatur; habet nihilominus inuiſibilem, & inſuperabilem propugnatorem, nempè Deum, & cum ipſo potentiſſimas illas, & inuictiſſimas Angelorum myriades, quibuſcum ſi mundi, ſi inferorum uires conferantur, pro nihilo ducuntur. Cum igitur talem, tantumq; propugnatorem Dei populus habeat, ſecuro, tranquilloq; animo eſſe poteſt, nullaq; inimicorũ uis ſibi formidoloſa eſt, propterea quòd dominus eſt circuitu populi ſui.

EX HOC NVNC ET VSQVE IN SECVLVM.

VAtes appellat Iſraelem populum Dei, propterea ꝙ is uerum Deum pro ſuo ſibi delegit, quem colat, quem piè, caſtèq; uereretur. immo is eſt, quem-

ſibi elegit dominus,quem foueat, quem tueatur, quē beatum deniq; faciat.de quo ab æterno,& uſq; in æternum paternam curam gerat,& ſua protectione defendat. Meritò igitur ſpeciem Syonis referre dicuntur, qui ſuas omnes ſpes, opesq́; in Deo, locarint quoniam inſtar Syonis in æternum non mouebuntur, quoniam fundamentum ipſorum,qui Deus eſt, non mouetur, ſed in æternum manet firmus in ſuo illo nunquàm pœnitendo propoſito,ut ſibi fidentes,& in ſe ſperātes nullo unquàm tempore deſtituat.

QVIA NON RELINQVET DOMINVS VIRGAM PECCATORVM SVPER SORTEM IVSTORVM, VT NON EXTEDANT IVSTI AD INIQVITATEM MANVS SVAS.

VIrga ſeu ſceptrum pro imperio,& dominatu accipitur, qui cum frequētius ad impios, q̄ ad pios deueniat, eo quoq; abuti ſolent ad piorum internicionem. Verum quamuis exiguo tempore id diſsimulare uideatur dominus, acrior tamen ſurgit, ut grauius caſtiget, ut eorum potentiam contundat, pios uerò ſoletur, & in meliorem ſtatum deducat. Monet itaque Dominus populum ſuum, ideſt pios omnes, ut ſi quando ſenſerint, ſe potentiorum dominatu deijci, conculcariq́;, animum tamen non abijciant, neque putent, ſe deſertos à Deo, quia non relinquet dominus uirgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum ideſt

non

non quieſcere faciet, uel non patietur ſtabile, aut diuturnum, multò minus ſerpiternum ſceptrum impiorum, ſic etenim ſonat uox hebræa. Non enim patitur Deus impios Principes, tyrannos, & hoſtes pietatis, & hominum piorum diu regnare, & tyrannidem exercere, quod exemplis multorum principum, Regum, & Imperatorum perſpici poteſt, qui uel populũ Dei, uel Eccleſiam Chriſti ſunt inſectati. Tantiſper ferenda eſt eorum uis; Quia non relinquet Dominus uirgam peccatorum, ſed illam quàm citiſſimè confringet.

SVPER SORTEM IVSTORVM.

SAnctorum, ſeu iuſtorum ſors, & hæreditas eſt ipſe Deus, Dominus (aiunt) pars hæreditatis meæ, & calcis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi: Sors item ſanctorum eſt diuinarum legum obſeruatio. Dixi, Portio mea, Domine, cuſtodire legem tuã. Pars deniq; , & ſors iuſtorum ipſa ſunt cœleſtia & ſempiterna bona ipſis in cœlis apud Deum ſeruata quibus fur non appropiat, neq; tinea corrũpit, in quibus uirga impiorum locum non habet, poſſunt quidẽ impij (quando tamen id permittit Deus) corpus piorum occidere, & quæ bona uulgò uocantur, eripere, at in animis nullum habent imperium, ſuis illos bonis exuere nequaquàm poſſunt, fide ſcilicet,

ſpe,

ſpe, & charitate, quæ diuinitus bona ſibi conceſſa fuerunt.

VT NON EXTENDANT IVSTI AD INIQVITATEM MANVS SVAS.

HOc unum gentes, hoc impij Reges, & Imperatores expectabant ab Iſraele, & ab Eccleſia Dei, ut ipſa unà cum reliquis gentibus, & nationibus ſyncero Dei unius cultu, diuiniſq; legibus contemptis, idola, & multitudinem Deorum coleret, quod quid eſt aliud, quàm manus ſuas extendere ad iniquitatē? Quid enim iniquius, q̄ deſerto Deo rerum omniū opifice mentitis, falſiſq; Diis cultum impendere? Horū Deorum leges ſtatuta, mores, & actiones iniquitatē quoq; appellat, ꝙ diuinæ Legi contraria ſint, quæ una eſt totius æquitatis regula, ad quam quicquid non dirigas, id iniquitas appellari poteſt. Omnia itaque permittuntur impijs contra pios, hoc uno excepto, ꝙ illos nulla ratione à cultu ueri Dei, & ab obſeruatione diuinæ Legis depellere poſſint ad idolatriam, & ad contemptum diuinæ Legis. Quod ſi aliquando Reges, & Principes uideantur à multis, qui Iſraeliticam pietatem profitebantur, extorſiſſe, ut pſeudoprophetarum inductionibus, tracti, uel minis, & tormentis impulſi extenderint manus ſuas ad iniquitatem, reſpondendum eſt, illos non ueros fuiſſe Iſraelitas,

tas, neq; ex numero electorum Dei. Si enim ex noſtris fuiſſent (ait D. Ioannes) utiq; nobiſcum manſiſſent. Non itaq; intelligenda hæc ſunt de quouis Iſraelita, uel in genere de uniuerſo populo Dei, i. de eo, qui Dei populus cenſetur, ſed reuera non eſt eius populus, quia in eum uere non credit, nec in percepta fide perſeuerat, ſed de illis tantùm intelligenda ſunt, qui uſq; in finem perſeuerant. quod certè faciet ſors, ſeu pars iuſtorum, & hæreditas Domini, quæ cum Deo curæ ſit, illam ita curat, ita tuetur, ut ipſa potius, ultam profundat, quàm extendat manus ſuas ad iniquitatem. Hanc uerò animi ſui conſtantiam ea acceptum refert Deo, ipſe eſt .n. qui non ſinit uirgā peccatorum diu quieſcere ſuper ſortem iuſtorū. &c.

BENEFAC DOMINE BONIS, ET RECTIS CORDE.

QVæ Vates bona precatur bonis, & rectis corde, eadem iiſdem impetrat ab ipſo Deo, à quo bonorum omnium fonte ad rectos corde, ad bonos omnia bona emanāt. quibus impij ut non benefacere, ita malefacere ſemper ſtudent, eos .n. mundus odio habet. Solus itaq; Deus iis benefacit, iis uita mortali neceſſaria ſuppeditat, & ſempiterna ſimul bona cōmunicat. Non itaq; uehemēter dolendū eſt, ſi mundus nos odio perſequatur, quādo nobis Deus bene uelit, & benefaciat. q ipsū perpetuò facturū ſperat uir ſanctus, cùm precatur.

Bene-

BENE FAC DOMINE BONIS, ET RECTIS CORDE.

BOnos, & rectos corde pios appellat, quòd nulli ſint oneroſi, nulli moleſti, ſed omnibus benefici, quòdq́; non ſint duplici corde, ſed qui opere, & ore eadem præferant, quæ in corde habeant, & in hac animi conſtãtia perſeuerant. Non enim modo Dei, modo Baal cultores ſunt, neq; in eam partem declinant, quæ ſpeciem tantùm habeat utilitatis, ſed in pietatis curſu perſiſtunt. Subdoli nanq;, uafriq́; ſunt, qui declinantes modo in hanc, modo in illam partem, prout res dant ſeſe ſiue cõmodæ, ſiue incõmodæ. Hi ſunt, quibus arridet, quibusq́; benefacit mundus, quia ſunt ex mundo, ſed eos odit altiſſimus, non benefacit; ſed tantùm rectos corde iuuat, & ſua his munera largitur, neq; patitur ſuper eorum ſortem uirgam impiorum dominari, eos ita tuetur, ut nemo ſit, qui de manu ſua poſſit eos eripere; idq́; facit Deus non ipſorum bonitate, & cordis rectitudine, ſed ſua potius bonitate, & miſericordia prouocatus.

DECLINANTES AVTEM IN OBLIGATIONES ADDVCET DOMINVS CVM OPERANTIBVS INIQVITATEM PAX SVPER ISRAEL.

QVod Vates uertit Obligatiões, ſonat potius Obliquationes, ſeu tortuoſitates, quales ſerpẽtes facere ſolent. Ad

Ad has autem declinat, qui Deo & Mammonæ, Baal & Chriſto ſeruit, qui Deo quidem placere, hominibus uerò non diſplicere uolunt, diuinam legem, & cultum idolorum ſeruant, ſuntq́ Samaritanis ſimiles, qui 4. Reg. 17. fuerunt quidem timentes Deũ, ſed nihilominus idolis ſuis ſimul ſeruierant. Probè autem ſerpentibus aſsimilantur, quia cum Dei cultores, & diuinæ legis obſeruatores uideri uelint, & in populo Dei recenſeantur, ſolo nomine, ſolisq́ ceremonijs tales ſunt, non autem opere, & ueritate. quod tũc maximè perſpicitur, quando uel ſuis concupiſcentijs illecti, uel imminentium periculorum metu perterriti, uel uento falſæ doctrinæ impulſi declinant à percepta, & ſibi à patribus tradita uera doctrina religione & pietate, idolorum uerò uanitati ſeruiunt. Hi itaq; ad ſuas tortuoſitates declinant, quibus ſe obligarunt, & à uerò Deo, ſynceroq́ illius cultu recedunt. Quæ ſit futura ipſorum merces oſtendit. Adducet dominus cum operantibus iniquitatem פעלי הארץ *idolatræ propriè appellantur. cum his itaq; conſtituit Deus portionem eorum, qui non recta incedunt mente, ſed ad ſuas tortuoſitates cum hypocritis declinant. Declarat hoc idem dominus Matt. 24. in mali ſerui parabola. Venit (inquit) dominus ſerui illius in die, qua ille non ſperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum, partemq́ eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus &*

ſtri-

ſtridor dentium. Hypocritas igitur ex Iſraele ſugillat Vates, qui ſpreta diuina Lege ad inuētiones ſuas declinant, quæ quidem ſpeciem pietais habēt, ſed uirtutem illius abnegant, quos impunitos non dimiſſurus eſt dominus, ſed pari ſupplicio cum hypocritis, et idolatris eos afficiet. Cum enim Deus cor penitus, & intimas animi affectiones inſpiciat, eos corruptos animaduertit, ideo in iudicium eos adducet, ut in ſempiternum ignem illos inijciat, iuxta illud, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. q. d. Ille certè ignis uobis deſtinatus non erat, ſed diabolo, quem quoniam æmulati ſemper fuiſtis, & à Deo receſsiſtis pari ſupplicio afficiemini.

PAX SVPER ISRAEL.

NOluit Vates tam infauſta peroratione Pſalmū concludere, ideo felicem imprecationem addidit. Pax (inquit) ſuper Iſrael, uel ſi placet hoc cum ſuperioribus coniungere, repetendum erit uerbum, Adducet, pacem ſcilicet ſuper Iſraelem. Iſraelis autem nomine electos ſuos intelligit, quod opere, & ueritate Iſraelem eorum patrem imitentur, quibus cum paratum ſit regnum à conſtitutione mundi adducett illos dominus Angelorum opera uſus. Venite (inquiet) Benedicti patris mei, poſsidete Regnum

gnum, quod uobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Hoc Regnum Pacis uocabulo repræſentatur. In illo nanque deletis funditus inimicis, expleto militiæ tempore, ſumma pax, ſumma, ſempiternaq́ tranquillitas conſequetur. Cum talia, tantaq́ bona ſciamus nobis parata eſſe à Deo, in ipſo noſtram omnem fiduciam collocemus, ab eo nunquàm per incredulitatem, & hypocriſim deficiamus, ut pace illa, quæ ſuperat omnem ſenſum, in ſempiternas ſeculorum ætates perfruamur. Amen.

CANTICVM GRAD. VII.

PSAL. CXXV.

IN CONVERTENDO DOMINVS CAPTIVITATEM SYON, FACTI SVMVS, SICVT CONSOLATI.

Qvamuis hūc Pſalmum de quauis captiuitate populi Dei interpretari poßimus, illis tamen libenter aſſentior, qui illū referunt ad generalem illam captiuitatem, in qua vniuerſum genus humanum detinebatur, à qua non ab Angelo, aut Propheta aliquo, viroq́ præſtanti, ſed ab ipſo Dei filio liberari oportuit. Illud autem potiſsimum in hanc me ſententiam adducit, quod huiuſ-

iuſmodi reductionem & liberationem ex hac captiui tate Vates aſcribit Deo, nec cuiquàm præterea alteri, Adde quòd teſtatur, gentes eadem plurimum lætaturas, illamq; annuntiaturas eſſe, quod non niſi in reductione iſta ex peccati captiuitate factum fuit. Teſtatur etiam Galatinus in ſuis commentarijs antiquos Rab. interpretatos fuiſſe de duplici aduentu Meſsiæ, ꝙ in eo bis fiat mẽtio de reductione ex captitate, quã uis recentiores ad duos Meſsias perperam referre co nentur. Pſaltes itaque poſtquàm ſuperiorbus Pſalmis, multis, firmisq; argumeniis oſtendit, qualis, quã taq; ſit cura, & prouidẽtia Dei erga populum ſuum, ſuaſitq; omnem animi fiduciam in eo locandam eſſe, nititur confirmare eundem populum in eadem fiducia, cum redemptionem ex peccati captiuitate conſiderandam proponit, huius nanque conſideratione animus in fide, ſpe, & charitate confirmatur, ingenti lætitia, ſumma, tranquillaq; pace perfunditur. ait itaque.

IN CONVERTENDO DOMINVS CAPTIVITATEM SYON.

NOn loquitur de quacũq; reductione populi Dei, quam aliàs per Moſen Deus feciſſet, cum eripuit illum ex dura illa, ac diuturna ſeruitute Pharaonis, uel quam facturus erat, cum eundem populum ꝑ Danielem, & alios Prophetas eſſet educturus ex capti-

pti-

ptiuitate Babylonica, ſed de ea præcipuè agit, quam ipſe per ſe Deus in ſua ſubſtantia facturus erat, iuxta illud Moſis, Deut. 33. Beatus tu Iſrael, quis ſimi- Deut. 33 *lis tibi, populus ſaluatus in Deo tuo? ut igitur Pſaltes innueret hanc reductionem per ipſum Meſſiam faciendam, utitur nomine Tetragrammaton, quod diuinam ſubſtantiam ſignificat, quam nulli ex creaturis communicat. ſic enim ait,* בשוב יהוה *quod eſt cõuertens Deus. De hac etiam reductione ex huiuſmodi captiuitate pſal. 68. uaticinatur, cum dicit, Aſcẽdẽs in altum captiuam duxiſti captiuitatem. quo in loco iiſdem ferè utitur uerbis. Idem ergo erit, In conuertendo dominus captiuitatem Syon, quod cum captiuam duxerit dominus captiuitatem Syon, ſignificat nanque Syon ea captiuitate detineri, ex qua non niſi ipſe Deus per ſe liberare illum poßit. quod niſi ipſe Deus faciat, de illius ſalute deſperandum eſt. Tractat igitur de ſeruitute, & captiuitate peccati, & mortis, cui obnoxij eramus omnes, ex qua ſolus Deus nos eripere poterat, quia ipſe ſolus à peccato, & morte liberare poteſt. Ego (ait) ſum, qui deleo iniquitates* Eſa. 43. *tuas propter me. De qua ſanè liberatione Rab. quoque ſcribunt notatu digna. Dixit (aiunt) Deus, uos ſeruati eſtis in ſeculo præterito per manus filiorum Adæ, & quoniam fuerunt caro, & ſanguis, fuiſtis iterum ſeruituti ſubiecti, ſed in futuro ego in ſubſtantia*

mea redimam, & ſaluabo uos, & rurſus in ſeruitutẽ non redigemini, ſicut dictum eſt Eſa.45. Iſrael ſaluabitur ſaluatione ſempiterna. Hæc ille. Nomen autẽ Iſraelis, & Syon, uniuerſum electorum numerum cõplectitur. Nã & idololatræ gentes nomine Iſraelis cẽſentur, nempè ob fidei imitationem, & diuinam promiſsionem. Vocabo (ait) non plebem meam plebẽ meã.
Oſeæ.2. *Quamuis itaque gentes ipſe non eſſent Dei populus, aut Iſrael, propterea quòd neq; circumciſionem, neque ſacrificia haberent. populus tamen Dei, & Iſrael ap-*
Zach.2. *pellantur, quòd promiſsionem ſalutis fide ſuſceperint, & ſeruatæ fuerint. Tanta autem erat huiuſce liberationis certitudo, ut de ea perinde, ac iã perfecta fuiſſet, Prophetæ loquerentur, ait itaq;, cum cõuerteret, uel conuertens dominus captiuitatem Syon.*

FACTI SVMVS SICVT CONSOLATI.

D. *Hieronymus ad hebraicam ueritatẽ transfert, facti ſumus ſicut ſomniantes, ſed interpres, ſuo more, ſenſum potius quàm uerba transferens uertit. Facti ſumus ſicut conſolati, uel ſicut lætantes. quibus idem plerunq; quod ſomniãtibus ſolet accidere. Quemadmodum enim ſomniantium ſenſus corporei grauantur, & alligantur, & anima per ſpecies ſibi ab ipſis corporeis ſenſibus impreſſas liberius uagatur, quo fit, ut ſomnians ignoret uigilet, an dormiat, ita lætan-*

tium ſenſus lætitiæ magnitudine ita opprimuntur, ut anima ab ipſis ferè ſoluta præ lætitia penè effluat. Quare legimus repentina lætitia nonnullos animam exhalaſſe. Quòd ſi minus exhaletur, ita tamen extra ſenſus fit, ut ignoret uerũ ne, an falſum ſit, quòd ſibi obijciatur. Huius rei exemplum nobis præbent tres illi Apoſtoli, qui Chriſti gloriã in Thabor mõte conſpicati ceciderunt in facies ſuas, & facti ſunt uelut mortui, ut quid loquerentur, penitus ignorarent. Quòd propterea illis accidit, quia eorum ſenſus rei magnitudine oppreſſi ſuccubuere, nec uim tantæ lætitiæ ferre potuerũt. Sic Petrus miraculi nouitate ex captis piſcibus in extaſim quandam raptus ait, Exi à me Domine, quia homo peccator ſum. Et aliàs cum ab Angelo è tetro illo carcere educeretur, eam ſenſit lætitiam, ut ſibi uideretur uiſum uidere, & more ſomniantis neſciebat, uerùm ne eſſet, quòd fiebat. Tantam itaq; dicit futuram Syonis lætitiam ob libertatẽ & redemptionem ſibi faciendam à Deo, ut cum uel ipſe de ea cogitaret, uel alios de ea concionantes audiret, ſibi potius ſomniare, quàm rem ueram enarrare aut audire uideretur. Nõ certè quòd ea ſomnium ſit, ſed quòd tãtæ præſtantiæ eſt, ut ſuperet omnes ſenſus, & quamuis quod narratur, uerum eſſe minimè dubitemus, tamẽ ſenſus id capere nequeunt, ſed ſomnium potius uidetur. Non eſt itaq; uanum quoddam phan-

Matt. 17

Luc. 5.

Act. 12.

taſma huiuſmodi reductio, ſed corporeis ſenſibus, & ſapiētiæ carnis eſt ſomnium cœlitus immiſſum. Quā uis enim ſenſus, & carnis prudentia minus percipiāt redemptionem iſtam, eam tamen ueriſſimam credimus, quin & ſomnia nobis diuinitus immiſſa uera eſſe ſentimus. Somniamus igitur, quia nunc uidemus per ſpeculum in ænigmate, ſed cum euacuabitur ꝙ ex parte eſt, & uenerit quod perfectum eſt, reuelata facie uidebimus Deum, ſicuti eſt. Interim uerò facti ſumus ſicut uera, & diuina ſomnia ſomniantes. Per omnium itaq; huiuſmodi redemptio percipitur, quia magnitudine rei compreſſis omnino corporis ſenſibus, illisq; ligatis, anima libera, & diuinitus afflata illam percipit, & ipſis etiam ſenſibus reclamantibus, ueram eſſe cognoſcit, & liberè confitetur.

TVNC REPLETVM EST GAVDIO OS NOSTRVM, ET LINGVA NOSTRA EXVLTATIONE, TVNC DICENT INTER GENTES, MAGNIFICAVIT DOMINVS FACERE CVM EIS.

D. Hieronymus uertit, Tunc repletum eſt os noſtrum riſu, & lingua noſtra laude. His antē uerſiculis lætitiam Syonis indicat, quæ ut primùm cor perfuſum eſt, ea ſtatim ſe extra in facie prodit per riſum, & in lingua per gratulationem. Propterea cum declaraſſet maximam illam lætitiam populi ex peccati, & mortis captiuitate redempti, cum dixit,

xit, In conuertendo Dominus captiuitatem Syon, facti ſumus ſicut conſolati, mox ſubdit ingentis huius lætitiæ ſigna.

TVNC REPLETVM EST RISV OS NOSTRVM.

Riſus ex hilaritate cordis aliàs afflicti, & ex epatis dilatatione oritur. Cum itaq; populus Dei miſera nimis, ac diuturna peccati, & mortis ſeruitute premeretur, in mœrore, & luctu continenter uerſabatur. At ab eo ſtatu abducebatur, cum huiuſmodi reductio ſibi prædicaretur, & in memoriam reuocaretur, iuxta illud Eſaiæ Spiritus domini ſuper me, eò Eſa. 61.
quòd unxerit me, ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo noſtro, ut conſolarer omnes lugentes, ut ponerem lugentibus Syon, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Hier. quoque cap. 31. Tunc implebitur (ait) Hier. 31.
dies luctus, & qui in mœrore fuerunt, gaudere incipient. Tunc itaque eum Syon redemptionem, & reductionem ſuam percipit, tunc os illius riſu, & os laudibus impletum eſt. Tunc facies illius tota exhilarata, & uenuſtate quadam exornata fuit. Os autem impletum riſu ideo dicit. quia in hac re-

ductione ſe uehementiſsimè amari, maximoq́ amore ſeruari perſpexit adeò, ut nihil ſibi in ulla gratia deeſſe ſentiat. Riſit quidem aliàs, & lætatus eſt Syon ob maxima, plurimaq́ in ſe collata à Deo beneficia, at non plenè lætari licuit, quòd huiuſmodi beneficijs à peccato, & morte non liberabatur, uel ſi liberabatur, id neq; plenè, neque perfectè fiebat, id quòd tantummodo ſemel factum eſt, cum ipſe Dominus per Meßiam filium ſuum illum perfectè liberauit, ſibiq́ in filij ſui morte reconciliauit, æterna redemptione inuenta. Propterea toto pectore lætari, pleno ore ridere Syon poteſt.

ET LINGVA NOSTRA EXVLTATIONE.

V*Ox hebraica* רנה *gratulationem, & ouationē ſonat. Quemadmodum enim paſtores lætiſsimũ illum ex Angelorum ore noſtræ redemptionis nuntiũ audientes reuerſi ſunt laudentes, & magnificantes Deum in omnibus, quæ audierant, & uiderant; ſicut dictum eſt ad illos; Ita populus Dei uniuerſus linguam omni gratulatione, & ouatione plenam ſoluit, & liberatori Deo immortales gratias agit pro communi, & perfecta ſalute ſibi exhibita à filio Dei. Itaq; populus Dei quacunq; ratione poteſt, magnificat, & extollit ſingulare, & omnium præſtantiſſimum beneficium, ne ingratus aliquando in diui-*

nam

nam liberalitatem appareat.

TVNC DICENT INTER GENTES.

NOn obſcurè ſignificat Pſaltes hanc liberationem adeò illuſtrem fore, ut non ab ipſis tantùm Iſraelitis, ſed & ab exteris gentibus celebretur, prædiceturq́, iuxta illud Hier. Audite (ait) uerba domini gẽtes, & annuntiate in inſulis, quæ procul ſunt, & dicite, Qui diſperſit Iſrael, congregabit eum, & cuſtodiet eum, ſicut paſtor gregem ſuum, redimet enim Dominus Iacob, & liberabit eum de manu potentioris, & uenient, & laudabunt in monte Syon. Quibus ſanè uaticinijs declaratur, quod docet D. Paulus gentes cohæredes, & participes futuras eſſe huiuſce redemptionis. Quòd autem de ea redemptione intelligat, quæ per Meßiam facta eſt, ex eo conſtat, quòd de ea ſola cum magna gentium lætitia, & gratulatione nuntiatum ſit, quod non niſi tunc faciendum erat, cum redimeret Meßias captiuitatem Iſraelis. Tunc (ait) dicent, annuntiabũt, euangelizabunt inter gentes, nempè Apoſtoli, uiriq́ Apoſtolici, quod Deus non Iudæorum tantùm, ſed & omnium gentium Deus ſit, quòdq́ Meßias in in caput earum conſtituendus erat, Iuxta illud, Eripies me de contradictionibus populi, & conſtitues me, in caput gentium, populus, quem non Hier. 31. Pſal. 17.

cognoui, ſeruiuit mihi, & in auditu auris obediuit
Pſal. 2. mihi. Nam & pſal. 2. dictum eſt ei, Poſtula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam terminos terræ. De prædicatione autem, quæ facienda erat inter gentes præclariſsimum extat
Eſa. ult. Eſaiæ uaticinium cap. ultimo. Dicit dominus: Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum uenio, ut congregem cum omnibus gentibus, & linguis, & uenient, & uidebunt gloriam meam & ponam in eis ſignum, & mittam ex eis, qui ſaluati fuerint ad gentes in mare in Aphricam, & Lydiam tenentes ſagittam. In Italiam, & Græciam ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non uiderunt gloriã meam, & annuntiabunt gloriam meam gentibus & adducent omnes fratres ueſtros de cunctis gentibus donum domino, ad montem ſanctum meum in Hieruſalem, hoc eſt autem, quod ſubdit.

MAGNIFICAVIT DOMINVS FACERE CVM EIS.

PRonomen עִמָּכֶם tam ad Iſraelitas, quàm ad gentes referri poteſt, ſignificat autem concionatores, & Euangelij prædicatores nuntiaturos eſſe gentibus magnalia Dei. Quæ enim in hac noſtri eductione ex poteſtate Sathanæ, & ſeruitute peccati operatus eſt dominus per filium ſuũ, ea uerè ſunt magnalia Dei: quemadmodum & beata uirgo cecinit. Quia fecit mi-

mihi magna qui potens eſt. & rurſus Fecit potentiam in brachio ſuo. & ut Lucas de Apoſtolis teſtatur, qui uarijs linguis loquebantur magnalia Dei, nempè & quæ nobiſcum magnificentiſsimè egit Dei filius.

MAGNIFICAVIT DOMINVS FACERE NOBISCVM, FACTI SVMVS LAETANTES.

COmmunis uox iſta eſt hebræis, & gentibus diuinam erga ſe liberalitatem extollentibus; quòd ſecum Magnalia fecerit dominus, cum eos eripuit ex ſeruitute Sathanæ, peccati, & mortis ſempiternæ. Tanta profectò ſunt, quæ nobiſcum fecit Deus per filium ſuum, cum nos redemit, ut maiora ab illo præſtari non poßint. Quid enim facere potuit, quod non fecerit? qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum pretium redemptionis noſtræ, & pignus æternæ uitæ? Vnde meritò facti ſumus lætantes, non in ſecundis modo, ſed etiam in aduerſis rebus, in quibus ſuperamus, & gloriamur propter eum, qui dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, ut nos ſibi adoptaret in populum ſanctum, & bonorum operum ſectatorem. Hæc eſt lætitia illa, ad quam nos D. Paulus excitat, cum dicit. Gaudete in domino ſemper, iterum dico gaudete. De qua item D. Petrus, Exultatis (inquit) lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei ueſtræ 1. Petri. 4.

ſa-

ſalutem animarum ueſtrarum. Ad quam lætitiam Vates alias hortatur gentes, cum dicit, lætamini gentes cum plebe eius. Vera autem, & ſolida gaudia afferre poteſt prædicatio, & annunciatio huiuſcè redemptionis, Ideo Angeli in ipſo Redemptoris ortu gaudium ſe magnum euangelizare dixerunt, quòd natus nobis eſſet Saluator mundi, tanta itaque lætitia perfuſus Vates orat.

CONVERTE DOMINE CAPTIVITATEM NOSTRAM SICVT TORRENS IN AVSTRO.

Diximus in præfatione Pſalmi huius Rab. antiquos interpretatos fuiſſe hunc Pſalmum de duplici Meſſiæ aduentu, propterea quòd bis fiat mentio de reductione Syonis. Quorum quidem ſententia, & interpretatio mihi ualdè probatur, quamuis recentiores, quia omnia inuertunt, hunc ipſum de duobus falſis, fictitijsq; Meſſijs interpretetur. In primo quidem ſuo Meſſias aduentu nos à peccati ſeruitute liberauit, ut iam non amplius nobis dominetur. Verùm illius adhuc reliquiæ, quæ militant aduerſus ſpiritum, in nobis reſident, & Diabolus circuit continenter quærens, quem deuorett. quo fit, ut non penitus ſimus liberi, ſed adhuc in captiuitate detenti ingemiſcimus libertatem filiorum expectantes. & cum

D. Paulo conquerimur, Infelix ego homo; quis me liberauit de corpore mortis huius? Quoniam uerò perfecta iſta, & exoptata libertas in futuro nos ſeculo manet, illam Vates cupit accelerari, ideo orat. Conuerte domine captiuitatem noſtram Liberum itaque, & captiuum Dei populum pronuntiat. Niſi enim liber eſſet, non utique diceret, In conuertendo captiuitatem Syon, facti ſumus lætantès; at rurſus, niſi eſſet captiuus, non utique oraret, Conuerte domine captiuitatem noſtram. ex parte itaque liber, & ex parte ſeruus. Non enim liber eſt, ut peccato quandoque non ſeruiat, neque ita ſeruit, ut ab illo liber omnino non ſit. Nihil enim damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed liberati à peccato, ſerui autem facti ſunt iuſtitiæ. Hac autem in re uerè facti ſumus ſicut ſomniantes. Quemadmodum enim qui ſomniat, animo quidem liber, & ſolutus eſt, corpore uerò ſeruus, ita nos quidem fide, ſpe, & charitate liberi ſumus, carne autem ſerui, quo fit, ut cum D. Paulo dicere omnes poßimus, Spiritu ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati: à qua quidem ſeruitute tunc liberi omnino erimus, cum quod mortale, & corruptibile eſt, induerit corruptionem, & immortalitatem, & nouißima deſtruetur inimica mors, & Deus erit omnia in omnib. & adducetur iuſ-

ti-

titia, ſempiterna, nec mors ultra nobis dominabitur, pro hac igitur reductione, quam cum iterum aduenerit Dominus, ab eo conſequemur, Pſaltes precatur. Tunc enim reformabit corpus humilitatis noſtræ conformatum corpori claritatis ſuæ.

SICVT TORRENS IN AVSTRO.

נגב *meridiem ſonat, pro qualibet autem terra horrida & ſterile meridies ponitur. Regio enim maximis ſolis ardoribus exuſta ſterilis pene eſt, & niſi crebris torrentibus inundetur, habitari non poſſet. Pios igitur, & Dei populum ex hebræis, & gentibus conſtatum comparat terræ meridionali, ſolis ardoribus exuſtæ. quod & alias facit, Anima noſtra (inquit) ſicut terra ſine aqua tibi. Meſſiæ uerò aduentum aſſimilat torrenti aridam terram inundanti, fæcundanteq;. Comparantur autem populus Dei terræ exuſtæ non modo ob ardentiſſimum amorem, & deſiderium, quo flagrat erga Deum liberatorem ſuum, quo ſine nullos fructus Deo dignos ferre poſſit, ſed etiam propter perſecutiones, & afflictiones, quibus quaſi flammis, & ſolis radijs uritur, quo fit, ut non ſecus ac terra arrida, & hiulca expectet Meſſiæ aduentũ, qui inſtar torrẽtis ſe refrigeret, ac frugiferũ efficiat, qui quidẽ illuſtratione aduẽtus ſui interficiet impiũ,*

iu-

iuſtum uerò uiuificabit, lætificabit, & beatum faciet. Chriſti itaq; aduentus expectantibus ſe eſt inſtar amnis ſuauiter irrigantis. Impijs uerò uelut clibanus ignis omnia abſumens, & deuorans. Hæc dicit dominus, Ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gentium, quã ſugetis, ad ubera portabimini, & ſuper genna blandietur uobis. Torrentis igitur comparatione ſignificat abundantiam pacis, & gloriæ, quam ſuo populo ſecum laturus erat Meßias, ut igitur talis adueniat, orat, cum dicit, Conuerte domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro. Eſa. 66.

QVI SEMINAT IN LACHRYMIS IN EXVLTATIONE METET.

QValis fuerit ſtatus populi Dei, quandiu miſera illa captiuitate premeretur, qualis item futurus eſſet tempore redemptionis, & libertatis, declarat ſimilitudine ſeminantis, & meſſoris. Significat autem populum Dei in luctu, & mœrore ſemper uerſatum fuiſſe, tum propter miſerrimam peccati captiuitatem, tum ob continentes afflictiones, quas ab hoſtibus ab impijs, & falſis fratribus patiebatur. Verùm cum in his malis uerſaretur, ſeminare uidebatur, utique iuſtitiæ ſemẽ, idq; cum lachrymis. quas n. afflictiones non patiuntur pij propter iuſtitiam? ſemi-

Iob.4. *minant quidem & impij, quia (ut Iob ait) qui opera-*
Gal.6. *tur iniquitatē dolores ſeminat, & metet eos. Videat ergo unuſquiſque quid ſeminet, quoniam D. Paulus ait, quæcunq; ſeminauerit homo, hæc & metet, qui.n. ſeminat in carne, de carne metet corruptionem, qui uerò ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet uitam æternam. Impij cum ſuo gaudio & exultatione ſempiternos dolores, pij uerò cum ſuis lachrymis gaudium &*
Luc.6. *exultationem ſeminant. Ad impios enim ait Dominus. Væ uobis, qui nunc ridetis, & habetis conſolationes ueſtras, quoniam flebitis. Ad pios autem dicit, Beati eſtis, qui nunc fletis, quia ridebitis, hoc eſt igitur, quod ait.*

IN EXVLTATIONE METENT.

MEßis tempus eſt Meßiæ aduētus, quod ipſemet teſtatur cum dicit. Ecce regiones albæ ſunt ad
Io.4. *meſſem. Meſſores autem ſunt Apoſtoli, & legittimi prædicatores uerbi Dei. Seges uerò ipſe eſt credētium populus, & electi Dei ubi ubi gentium ſint. Patres qui erant ſub priore teſtamēto, hoc ipſum tempus proſpicientes dolores ſuos huius temporis expectatione conſolabantur. Quemadmodum enim qui ſeminat, quamuis cum dolore ſemen ſpargat in terram, reſpiciens tamen tempus futuræ meßis ſeſe bona ſpe ſuſtentat, ſperatq́; ſe ſui laboris fructus uberrimos percepturum.*

rum. Icirco Eſaias ait, lætabuntur ſicut in meſſe. Eſa. 6.
quia tunc, qui ſemen uerbi Dei proiecerint non in petricoſam, aut ſenticoſam, uel conculcatam, ſed in bonam terram, ideſt in cor bonum, & perfectum, uberrimam iuſtitiæ meſſem faciet. Omnia enim in Meßia, & per Meßiam donauit nobis Deus, ut nihil nobis deſit in ulla gratia. In exultatione autē metunt, quia uident, ibi gratiam ſuperabundaſſe, ubi delictum abūdauerat, & quia pro omnibus ſuis iniquitatibus duplicia receperunt, propterea quo magis luxerunt, quo maiore in mœrore fuerunt, eò maiorem cōſolationem capiēt, iuxta illud Eſaiæ, Lætamini cum Hieruſalem, Eſa. 66.
& exultate in ea omnes, qui diligitis illam gaudete cum ea gaudio uniuerſi, qui lugetis ſuper eam, ut ſugatis, & repleamini ab ubere conſolationis eius, ut mulgeatis, & delitijs affluatis ab omnimoda gloria eius. Meßis itē tēpus ipſū futurā ſæculi cōſumationē appellat Dominus Matth. 13. quo quidē tēpore quæ Matt. 13
cunq; ſeminauerit homo, hæc & metet. Dominus.n. reddet unicuiq; pro ut geſſerit in corpore ſuo ſiue bonum, ſiue malum, quia iuſtus eſt iudex. Colligent autem ſeu metent pij iuſtitiæ meſſem, quia ad Regnum Dei ſempiternum uocabuntur. Impij uero cum dolore abeuntes fructus manuum ſuarum comedēt, quia ad tartara detrudentur, iuxta illud, Ite maledicti in ignem æternum.

Eun-

EVNTES IBANT, ET FLEBANT MITTENTES SEMINA SVA, VENIENTES AVTEM VENIENT CVM EXVLTATIONE PORTANTES MANIPVLOS SVOS.

SI uerſiculum hunc iuxta uulgatam aditionem interpretemur, in metaphora, & ſenſu ſuperiori perſiſtendum nobis erit, nempè quòd Pſaltes deſcribat ſtatum eorum, qui ſub ueteri, & eorum, qui ſub nouo
Io.4. *teſtamento ſunt, quandoquidem iuxta Seruatoris ſententiam, alius eſt qui ſeminat, alius qui metit. Seminarunt, patres doctrinam de redemptione, & ſalute futura per Meſſiam, & hanc doctriuam diſſeminando ibant, & flebant, ſcientes quòd non ſibi, ſed nobis hanc gratiam prophetarent, & eam à longè perſpicientes ſalutarent. Venientes autem nos ſumus, qui ſub nouum teſtamẽtum uenimus, qui in labores patrum introiuimus, cum exultatione lætiſſimum Chriſti Euangelium ſuſcipimus, & manipulos meritorum, & bonorum omnium colligimus. Sed ſi textum hebraicum ſequi uolumus, qui ſic habet, Eundo ibit, & flebit portans ſeminator ſemen. Veniens ueniet in exultatione portans manipulos ſuos. Hoc quoq; erit de dupli ci Chriſti aduentu interpretandum, quorum primũ in dolore, fletu, & labore, ſecundum uerò, in exultatione futurum Dauid uaticinatur. De primo dicit, Eundo ibit, Quo quidem loquendi tropo ſignificat ipſum*

Meſ-

Meſſiam inter nos nobis omnino ſimilem uerſaturum eſſe, iuxta illud, Poſt hæc in terris uiſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt & iterum, Ambulabo in medio eorum &c. & flebit, ſignificat omnem Meſſiæ uitam in afflictionibus, doloribus & lachrymis tranſigendam, iuxta illud, Laboraui ſuſtinẽs, & aliàs, Laborauit anima iſtius. Leui. 26 Eſa. 63.

PORTANS SEMINATOR SEMEN SVVM.

Seminator appellatur Meſſias, iuxta illud, Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Semen (ut ipſemet ait) eſt uerbum Dei. Seminator illius eſt ipſe Meſſias, nec non Apoſtoli, & Apoſtolici uiri. Hoc ſemen cum labore, dolore, & fletu è cœlis ad nos detulit, & Apoſtoli plurimis, maximisq́ laboribus in toto terrarum orbe diſſeminauerunt, & ad nos uſque peruenerunt. Veniens uenit cum exultatione portãs manipulos ſuos. Hoc de ſecundo Meſſiæ aduentu dicit, Veniet enim è cœlis in gloria, & maieſtate ſua, nec amplius ueniet, ut patiatur, ut doleat, ut lachrymetur, ut denique moriatur; ſed ueniet potius cum lætitia, & exultatione ſempiterna. Mat. 13

PORTANS MANIPVLOS SVOS.

Per manipulos electorum cœtus intelligit, nam & idem Dominus manipulis eos comparat, è quorũ

medio zizania, & lolium Angeli ſunt ablaturi, ut electorum manipuli cõgregentur in Arcam regni cœli. Hanc itaq; fidem, & ſpem de duplici Chriſti aduẽtu patres in ueteri teſtamento habuerunt, qua ſeſe in perſecutionibus, & in malis uniuerſis conſolabantur. Nos quoq; de priori iam certi facti, & futurum expectãtes lætitia inenarrabili, & glorificata exultamus, fidei oculis proſpicientes beatam illam ſpem, & aduentum magni Dei, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ, & æterna beatitudine nos cum Angelis ſuis donabit, cui cum patre, & Spiritu Santo ſit laus in ſæcula ſæculorum. Amen.

CANTICVM GRAD. VIII.

PSAL. CXXVI.

NISI DOMINVS AEDIFICAVERIT DOMVM, IN VANVM LABORAVERVNT, QVI AEDIFICANT EAM.

HAbet hic Pſalmus inſcriptionem inſolitam, nẽpè Solomoni, ex qua Pſalmum ipſum de Solomone alij, alij uerò de Meſsia tractare aſſerunt. Ego aũt libenter aſſentior Rab. Dauidi, qui affirmat, patres hunc Pſalmũ fuiſſe de Meſsia interpretatos. quãdoquidẽ & Meſsias ipſe in cantico canticorũ Solomon appellatur, cu

ius typum Solomon Dauidis filius geſſerit, ſiue itaq; Vates pater de conſtruendo tēplo, ſiue de inſtituenda familia Solomonem filium doceat, id metaphoricè facit, ut ſcilicet ipſum ſub metaphora templi, & domus conſtruendæ de Chriſti Eccleſia ædificanda, quæ ipſius domus eſt, erudiat, inſtituatq́;. Aptiſſimè autem poſt ipſius eccleſiæ liberationē à ſeruitute peccati, & Diaboli de ædificatione eius agit Pſaltes, quando Chriſtus poſt mortem, & reſurrectionem ſuam aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, per ſpiritum ſanctum dedit dona hominibus, quibus ſuā ipſius Eccleſiam ædificarent, quemadmodū & Dauid copioſam materiam, & ingentes theſauros pro conſtruēdo templo Salomoni filio comparauit id eſt. Par. xxviij. Docet autem, quòd quemadmodum nemo familiam, nemo ciuitatem, nemo deniq; filios procreare & rectè inſtituere poßit, niſi ipſe Deus id illi præſtiterit, ita multo minus poterit quiſq̄ ædificare Eccleſiā Dei, niſi Deus ipſe cōceſſerit, iuxta illud, ego ædificabo Eccleſiā meā. Hoc aūt multo ante promiſerat Dauidi Deus, cū dixit. Domū ædificabo tibi, quæ ſit ſtabilita in æternum. Quid uerò ſignificet, ædificare domū, notiſsimum eſt, id certè non eſt lapidibus, & calce cōſtruere habitationem aliquam, ſed liberos, & lōgam poſteritatem nanciſci à Deo, quæ in diuinarum, humanarumq́; rerum ſcientia ſit optimè inſtitu 2. Reg. 7

ta, in qua uerus Dei cultus, uera pietas, ueraq; cognitio reperiatur, in qua ſit una fides, in qua idem uelle, idem nolle, in qua deniq; ſumma charitas uigeat. Huiuſmodi domum, & familiam pollicitus olim fuit Dominus Dauidi, quæ eſſet ſtabilita in æternum. Hæc deniq; domus, & familia Dauidis eſt ipſa Chriſti Eccleſia, quæ uſq; ad ſeculi conſumationem duratura eſt, aduerſus quam ne portæ quidem inferi prævalere poßint. Chriſti autē Eccleſia ideo domus Dauidis, ſeu Solomonis appellatur, quòd in ea fides, et pietas Dauidis uigeat. Domus item appellatur Eccleſia, q in ea omnes una fide, ijsdem ſacramentis in unitate pacis, in Spiritu Sancto, per unum mediatorem Ieſum Chriſtum colant, & uenerentur uerum Deū. Docet igitur huiuſmodi ædificationē unius eſſe Dei, uniq; illi aſcribendam eſſe. Quandoquidem Solomō dicit, Sapiētia ædificauit ſibi domum. Quamuis aūt in huiuſmodi ædificio utatur Deus opera hominū, ipſe tamen eſt Eccleſiæ ſuæ fabricator, iuxta illud Pauli. Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Eſtò itaque q homines laborēt, ſudentq; ut ipſam Eccleſiam conſtruant, & in uera pietate inſtituant, irriti tamē eorum conatus, & labores erunt, niſi Dominus ipſe ædificauerit, q diſcipulis ſuis Dominus oſtendit, qui, ſe abſente, totam noctē fruſtra laborarant. Quamuis itaq; homines uniuerſi, uel ipſi et Angeli iunctis uiri

Eccleſia Chriſti ē domus Dauid.

Prou. 9.

1. cor. 3.

bus conarentur ædificare Eccleſiam Dei, nihil tamē efficerent, Niſi Dominus ipſe ædificauerit. Non eſt igitur humanarum uirium, non eſt humanæ uel ſapientiæ, uel potentiæ ædificare Eccleſiam Dei. Nam ſi humana opera ea cōſtaret, iamdudum collapſa fuiſſet, ſed quoniam ipſius conditoris ſui ope ſubnixa eſt, minimè uerēdum eſt, ut ullo unquàm tempore ea collabatur. Diſcēdum hinc etiam nobis eſt, quòd quamuis in re honeſtiſſima, maximèq́ ſalutari ſuum quis ſtudium, ſuamq́ operam locet, niſi tamen & ſtudij, & laboris ſui Deum cognoſcat auctorem, fruſtra laborabit. Totis quidem uiribus nobis eſſe laborādum docet Vates, ſed tamen ut meminerimus, quòd noſtra omnis ædificatio à Deo eſt, in quo uno gloriandū nobis, dicendumq́ eſt. Niſi Dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerunt, qui ædificant eam. Ædificat Dominus, ædificāt et miniſtri eius, ille uirtute ſpiritus ædificat, hi miniſterio uerbi, & Sacramentorum, quorum miniſterium inane eſſet, niſi Dominus ut ſpiritus in interiori homine ædificaret. niſi ſenſus 2. Reg. 7 *aperiret, ut quod externo miniſterio miniſtri agunt, auditores intelligāt. Ædificantur autem fideles tāq̃ lapides uiui ſuper fundamentū Apoſtolorum, & prophetarū, q̄ eſt Chriſtus Ieſus, ſuper quē omnis ædificatio conſtructa creſcit in habitaculum Dei. Quod autem de ædificanda Chriſti Eccleſia interpretati ſu-*

mus, id quoq; de conſtruendo templo in Hieruſalem, uel etiam de conſtituenda & ſtabilienda familia interpretari poſſumus. Id præcipuè in uotis habebat Dauid, ut ex ſacra hiſtoria uidere eſt, conſtruere templũ
2. Reg. 7 *domino. uoti autem compos fieri non potuit, oraculo enim accepit nõ ſe, ſed filium illud eſſe ædificaturum. ideo filium monitũ uoluit, quòd niſi dominus ipſe ædificaret ſibi domum, illum fruſtra laboraturum, iccircò in huiuſmodi ædificio obeundo ſentit implorãdum eſſe diuinum ſubſidium, alioquin uidet omnes conatus, omnesq; labores fore irritos. Hoc idem de qualibet inſtituenda familia dici poteſt. in ea enim re quã uis multi laborarint, nihil tamen promouerunt, ſtat enim ſententia, Niſi dominus ædificauerit domum, in uanum laborauerũt, qui ædificant eam. Id inſuper ad quoduis negotium, ad œconomiam referri poteſt, quandoquidem domum ædificare eſt in œconomicis ſe rectè, & ſapienter habere. Verbum enim hebraicum* בנה *ut alias diximus rectè ſapere, & ſuo quæq; loco diſponere ſignificat. Itaq; ſiue de Chriſti Eccleſia, ſiue de templo, ſiue tandem de inſtituenda familia hunc Pſalmum intelligamus, ædificare ſignificabit quæque prudenter, & ſapienter ſuo loco, ſuoq; tempore conſtituere.*

Ni-

NISI DOMINVS CVSTODIERIT CIVITATEM, FRVSTRA VIGILAT, QVI CVSTODIT EAM.

SVperiori uerſiculo de conſtituenda, & inſtituenda familia actum eſt. quod non humana opera, ſed diuina uirtute fieri docuit Pſaltes. Quoniam uerò ex familijs ciuitas, & reſp. conſtat, ideo mox de ciuitate, id eſt de Rep. conſtituenda pertractat. Nomine autẽ Ciuitatis intelligas quicquid ad polyticam ſpectat. Docet autem toto errare cœlo (ut aiunt) qui id ſua ſapientia, ſuaq́ uirtute præſtare animum inducat. quod non obſcuro Lacedæmoniorum, Græcorum, & Romanorum exemplo perſpici poteſt, quorum reſpublicæ tanta prudentia conſtitutæ, tãtis legibus munitæ fuere, ut perpetuò duraturæ uiderentur. Cum uerò eas dominus nõ cuſtodierit, breui tempore collapſæ, & perditæ fuerunt. Docere itaq; uoluit, ꝙ non homines, ſed Deus ipſe ciuitates, & Reſp. conſtituat, ſtabiliatq́. Inuigilare quidem debent Reip. præfecti, eãq́ ſummo ſtudio, & uigilantia cuſtodire, ſic tamen, ut ſciant non ſua, ſed domini uirtutum uirtute Reſp. cõſeruari, alioqui irriti & inanes erunt eorum conatus, fruſtra erunt omnia conſilia, & omnia ſtudia, niſi dominus cuſtodierit ciuitatem. Quod uerò de Repub. dicit, id quoque de Eccleſia, & de Republica Chriſtiana uniuerſa intelligere poſſumus, in hac etenim conſtituenda, & ſtabiliẽda quamuis præ-

fecti illius inuigilent, illius tamen conſeruatio diuinæ prouidentiæ aſcribēda eſt. Quòd igitur ſtet, ꝙ perpetuò permanſura ſit, non humanæ uirtutis eſt, ſed diuinæ, Dominus.n.eſt, qui illam ædificat ſupra firmā petrā, ipſe eſt, qui illam ab apertis, & ſimulatis hoſtibus tuetur, qui perpetuis temporibus totis illam uiribus ſic oppugnarunt, ut neceſſe ſit ſentiamus, eam diuinitus fuiſſe conſeruatam & adhuc conſeruari. Cuſtodiunt homines Eccleſiam, conſeruantq́, cuſtodit quoq; & conſeruat illam Deus, ſed fruſtra id faciunt homines, niſi diuina cura acceſſerit, ut non glorietur omnis homo coràm illo, ſed qui glorietur, in Domino glorietur.

VANVM EST VOBIS ANTE LVCEM SVRGERE, SVRGITE POSTQVAM SEDERITIS, QVI MANDVCATIS PANEM DOLORIS.

QVamuis alij aliter uertant, D. tamen Hieronymi uerſionē ſequar, ꝙ magis cum uulgata cōueniat, ſic itaq; uertit. Fruſtra eſt uobis de mane conſurgere poſtq̄ ſederitis, qui mādu catis panem dolorū. ſic dabit dilıgētibus ſe ſomnum. Significat aūt Vates uanam, & irritam omnem eſſe humanam ſollicitudinem, eamq́ ſummis cum laboribus, & doloribus coniunctam eſſe, niſi diuinum adſit præſidium. Niſi ſtudia, & conatus noſtros adiuuet Deus, qui ſumma in pa-

pace, ſummaq́; in tranquillitate ea præſtare dilectis ſuis, uel ipſis dormientibus, ſolet quæ maximis alij laboribus ſibi comparare fruſtra nitantur. Humanam autem ſollicitudinem hoc tropo exprimit, cum dicit. De mane ſurgitis, poſtquàm ſederitis, uel accubueritis. hoc enim diligentis & accurati hominis eſt. qui etiam panem doloris dicitur comedere, quia ſollicitudo ipſa plurimis animum moleſtijs, corpus uerò maximis laboribus conficit, ut qui in ſollicitudine ſit, panē quoque cum dolore comedat. Graphicè itaque ſollicitum, atque anxium deſcribit, qui exiſtimans humana negotia humanis uiribus confici poſſe, nō dormit, non quieſcit. nulla animi lætitia fruitur, nunq̃ ſuauiter comedit, ſed excruciatur animo, ſed tabeſcit, quòd res ex ſententia non fluunt. Sapiens in hanc ſententiā dicit. Cum conuertiſſem me ad opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaueram, uidi in omnibus uanitatem, & afflictionem animæ. Hanc ſcllicitudinem oſtēdit eſſe penitus inanem, quia quod ſequitur, non aſſequitur, niſi dominus ipſe præſtiterit. Damnatur autem ſollicitudo, non opera aut labor, quæ à nobis poſtulat dominus in œconomicis, & polyticis. At idem præcipit, ut de iuſtitia, ac regno Dei ſolliciti ſimus, atque ut omnem curam, & ſollicitudinem, & animi anxietatem in ſumma ipſius prouidentia figamus. Quid (inquit ipſe) ſolliciti eſtis

ſtis animæ veſtræ, quid edatis aut quo induamini? Matt.6. hæc gentes inquirunt. Scit enim pater ueſter cœleſtis quod his omnibus indigetis. Quod autem de ſollicitudine economicarum, politicarumq́; rerum dicimus, idem affirmare poſſumus de ſollicitudine rerum Eccleſiaſticarum, in quibus is fruſtra laborat, cui ſit perſuaſum, eas humana induſtria, non diuina uirtute regi, ac gubernari.

SIC DABIT DILECTIS SVIS SOMNVM.

Dilectos ſuos eos appellat, quos ante mundi conſtitutionem dilexit, quibus ea præſtat Deus per sõnum, & quietem, & animi tranquillitatem, quæ ſuperbi, ſibiq́; fidentes multa induſtria, uigilantia, & animi ſollicitudine conſequi non poſſunt. Per ſomnum autem non inertiam, & ſocordiam illam intelligit, qua in obeundis muneribus uti ſolent ocioſi, ac delicati homines, ſed eam potius animi quietem, & tranquillitatem, quam præſtat pijs fiducia, quam fixam, & locatam habent in Deo, in qua omnia poſſunt, iuxta illud, Vos tacebitis quod idem eſt uos quie Exo.14. ſcite, Dominus autem pugnabit pro uobis. De Pſal.90 hac item pace, & ſomno aliàs Pſaltes, In pace (inquit) in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe couſtituiſti me. Per

hanc

hanc itaque ſpem ea bona dat Deus dilectis ſuis, quæ alij fruſta laboribus ſuis ſibi cōparare nituntur, quā-uis dilecti Dei minime negligentes ſint, & ocioſi, ſed hac in re ab impijs tantum differunt, quòd illi in ipſo Deo, atq; in prouidentia ipſius, hi uerò in ſua ipſorum uirtute, & induſtria ſpiritum ponant, illi firmo, ſtabiliq́; fundamento, hi caduco nituntur, illi cum fructu, hi fruſtra laborare dicuntur. Illi in obeūdis negotijs pacato, trāquilloq́; ſunt animo, hi quacunque in re perturbantur. Hæc autem piorum pax, & tranquillitas ex cognitione, & ſenſu diuinæ prouidentiæ oritur, id quod etiā hic uerſiculus declarat particula.n. Sic, nō ſimilitudinē, ſed affirmationē ſignificans eſt à uerbo כן quod ratum habere, & affirmare ſignificat. Idem ergo erit, ſic dabit, quod certè, & absque ulla dubitatione dabit Deus, quæ neceſſaria ſunt dilectis ſuis, idq́; per ſomnum. Vel certe dabit Deus dilectis ſuis quietem, & pacem ab hoſtibus ſuis, & ab huius uitæ calamitatibus, cum id ipſi minimè expectent.

ECCE HAEREDITAS DOMINI FILII MERCES FRVCTVS VENTRIS.

NIhil certè proprium magis uidetur eſſe homini, quàm ipſa ſobolis procreatio. Quod ſi huiuſmodi

di

di opus eſternæ alicui cauſæ tribui debet, Soli & homini magis, quàm Deo tribuendum ſenſerunt mundi ſapientes, quorum ea eſt ſententia, Sol & homo generant hominem. Hanc autem refellit Pſaltes. Primũ n. hominem, ex quo genus humanum uniuerſum originem ducit, condidit Deus abſq; homine, quo facto declarauit hominis generationem ad ſe præcipuè eſſe referendum, ad quam quamuis Solis beneficio, & hominis opera utatur, res ipſa tamen nõ inſtrumentis, ſed Deo creatori tribuenda eſt. quòd & alibi facit Dauid, Manus (inquit) tuæ domine fecerũt me, & plaſmauerunt me. Cum itaq; ipſa filiorum procreatio, quæ propria eſſe hominis cenſeatur, Deo tribuenda ſit. A Dijs enim dantur liberi mortalibus, ait ille, fatendum omninò erit, omnia facta eſſe à Deo, & ab eo uniuerſa pendere, nihil autem proprium eſſe homini qui omnia precario accepit à Deo, ſine quo nec domum quis, nec familiam, multo minus Remp. rectè inſtituere, rectèq; gubernare poteſt, qui nec filios quidem, procreare poteſt.

ECCE (ait) HEREDITAS DOMINI FILII.

Filios fundum, & partem Dei uocat, eosq; ad illũ hæreditario iure pertinere affirmat, propterea quod ab ipſo originem ducant, & paterna ipſius prouidẽtia regãtur. Cũ igitur filios uocet Deus hereditatem

ſuam, ſcire debent parentes filios uti fundum Dei ſibi excolendos eſſe, ut uberes pietatis fructus domino ſuo ferant. id facient, ſi diuina ſcientia, ſi moribus Deo dignis eos imbutos reddiderint. Quod ſi præſtiterint, mercedem accipient à domino. Mulier (ait D. Paulus) ſalua erit per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, in dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. At ſi filiorum educatio neglecta à parentibus fuerit, illorum animas ex horum manibus requiret Deus. Ait itaq;

MERCES FRVCTVS VENTRIS.

APpellat filios uentris fructus, qui non natura quodam influxu in materno utero, ut ferè omnia alia animantia, ſed qui potius ex pacto, & promiſſione quadam diuina gignantur. Ad hominis igitur formationem, & procreationem nequaquàm motu illo generali, quo gignit alia, mouetur, ſed præcipuo quodam, & præſtātiore quadam uirtute illum format in uentre, atque educit in lucem. Hoc ipſum & Moſes ſignificare uoluit, cum dicit, Deum cuncta uerbo ſuo condidiſſe; ipſum uerò hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam feciſſe, idq; maximo cum apparatu, & quaſi manibus proprijs, cum dicit, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Filij itaq;, qui fructus uentris appellantur, ſunt merces, i.

ex-

ex peculiari pacto naſcuntur. שכר *ſiquidem conuentionem ſignificat, qua quis alium ſibi deuincit? Per matrimonium autem Deus paciſci uidetur cum homine, de ſobole ſuſcipienda, ideo pacti mercedem accipit homo, cum liberos ſuſcipit. Quòd ſi in huiuſmodi miniſterio fideles ſe exhibeant coniugati, ſalutem conſequentur à Deo. Mulier, ait D. Paulus, ſeruabitur per filiorum generationem. Quòd ſi carnalis filiorũ procreatio ad Deum referenda eſt, multo magis cœleſtis regeneratio referri ad ipſum debet. Ad hãc enim quamuis hominum miniſterio utatur per uerbum, et ſacramenta, quòd eſt cœleſte ſemen, illius tamen author eſt Deus per Spiritum ſanctum. Qui autem per aquam, & ſpiritum regenerantur, filij Dei nominantur, & ſunt, & Dei hæreditas appellantur, quia qui naturæ filij iræ eramus, meritò ſanguinis filij ſui nos ſibi filios adoptauit, & hæreditatem nos ſuam fecit. Fructus autem uentris eos appellat, quòd in terra matrẽ habent Eccleſiam, in cœlis uerò parentem Deum, qui in fide & cõiunctione illius nos ſibi filios gignit. Huic autem Eccleſiæ in utero geſtanti magna merces propoſita eſt in cœlis, quam reddet illi iuſtus iudex in die retributionis.*

Si-

SICVT SAGITTAE IN MANV POTENTIS, ITA FILII EXCVSSORVM.

CVm ſuperius attigiſſet de inſtituenda, & propaganda familia, affirmaßetq́ eam non humana tantum, ſed diuina etiam uirtute conſtitui, propagariq́, ſubinde oſtendit, quales ſint parentes, quibus de diuina uirtute in gignendis liberis perſuaſum ſit. quales rurſus liberi erga parentes ſuos, qui cum pietate omnia ad Deum referunt, & prouidentiam illius in quauis re perſpiciunt. Parentes itaque robuſtißimo iaculatori, filios uerò acutißimis ſagittis comparat. qua ſanè comparatione authoritatem, imperium, & poteſtatem declarat, quam optimus quis, piusq́ parẽs in filios ſuos habet, quem cordatum uirum, & potentem appellat. qui domi, foriſq́ filios ſuos ſuo coniunctos lateri habeat. nec unquàm eos à ſe procul dimittat, ſed uti in pharetra ſub paterna diſciplina retinet, cuſtoditq́. nec ſecus ac iaculator quò uult ſagittas ſuas dirigit, ita eos moderatur, & prompto eorum obſequio utitur. Eadem nanque metaphora promptisſimam filiorum obedientiam oſtendit erga ſuos parentes. hi nanque à parentibus piè, prudenterq́ educati in eos benè grati, ac morigeri ſunt, & eorum iuſſa libentißimis animis capeſſunt, maturèquè perficiunt, vt in illis perficiendis ſagittis

ſint

ſint comparandi, quæ celerrimè deſtinatum ferientes iaculatori ſuo parere uidentur. Filios autem ſe tales ſemper parentibus ſuis præſtare affirmat, uel cum ex ephœbis exceſſerint, quo tempore ſolent adoleſcentes iugum paternæ diſciplinæ excutere. Adoleſcens.n. ait ſapiens, iuxta uiam ſuam etiam cum ſenuerit non recedet ab ea. Cum igitur iugum paternæ diſciplinæ ab ineunte ætate ferre didicerint, uel cum ſenuerint, illud non excutient à collo, & ceruicibus ſuis. Nam ut perſtemus in metaphora, Sagitta quamuis è manu iaculatoris emiſſa libera eſſe uideatur, à iaculatoris poteſtate tamen non niſi quod iaculator deſtinauit, ea ferit, celeriter eò uolans, quò directa eſt. Filij itaque excuſſorũ, ſiue excuſſi, uel ut uertit D. Hieronymus, filij iuuentutis, aut filij iuuenes, filij appellantur, qui ad aliquod obeundum munus mittuntur à patre, cũ id præſertim ad diuinum cultum pertineat, id.n. celerrimè, & nulla interpoſita mora conficiunt. Apoſtoli ipſi, & uiri Apoſtolici excuſſi filij appellantur, quos dominus inſtar fortiſſimi iaculatoris quaſi acutiſſimas ſagittas in orbem, terramq; uniuerſum direxit, Ite (ait) prædicate Euangelium omni creaturæ. Eſaias ſe quoq; ſagittæ comparat. Poſuit (inquit) me quaſi ſagittam electam in pharetra ſua abſcõdit me. &c. Apoſtoli itaq; tanq̃ celerrimæ ſagittæ iter ſuum confecerunt, & Euangelium inuulgarunt, In omnem ter

ſonus eorum, & euangelij doctrina tanquàm ſagitta Diabolum percuſerunt, & regnum illius euerterũt idola dextruxerunt, & in uero ſinceroq; Dei cultu idolatras gentes inſtituerunt, ignorantiæ tenebras diſſiparũt, & luce ueritatis mundo uniuerſo præluxerũt, iuxta illud Abacuch, in ſplẽdore ſagittarũ tuarũ tuarum ibunt, & in lumine haſtæ tuæ fulgurantis.

BEATVS VIR QVI IMPLEVIT DESIDERIVM SVVM EX IPSIS, NON CONFVNDETVR, CVM LOQVETVR INIMICIS SVIS IN PORTA.

PErſtat in metaphora Pharetræ, & Sagittarum, beatumq; illum nominat, qui talibus ſagittis pharetram ſuam impleuit, ideſt qui plurimos filios tam bene inſtitutos, ac morigeros habet. Filius enim ſapiẽs lætificat patrem, filius uerò fatuus mœſtitiæ eſt matri ſuæ. Beatus eſt, qui beatus eſt in liberis, ait Euripides. Beatus itaq; eſt huiuſmodi pater, quia duplicem conſequitur à Deo beatitudinem, eam ſcilicet, quæ in mortali uita mortalibus poteſt contingere, & eam quã ſeruari in cœlis ſcimus parentibus liberos, & familiam ſuam rectè inſtituentibus.

NON CONFVNDETVR CVM LOQVETVR.

PIi hominis fœlicitas, ac beatitudo non caret inuidia, impij ſiquidem homines hunc acerbiſſimè

ſemper inſectantur, & animi pacem, & tranquillitatem auferre conantur. At quod uolunt impij, non aſſequuntur, ille non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta. Id unum præcipuè impij auferre conantur pijs hominibus, ut ſcilicet eos à doctrina, & confeſsione fidei abſterreant, aut ut aliquo eos dedecore, & contumelia afficiant, pij uero pudefieri, & confundi nullatenus poſſunt, qui ſciant, ſe ueram Dei ſapientiam loqui, quamuis ea ſtultitiæ loco habeatur. Libero itaq; ore pietatem profitetur optimus quiſq; pater cum filijs ſuis, nec erubeſcit, ſed in porta idest publicis in locis, palàm, ſuper tecta, & quò maxima populi frequentia conuenit, non cum amicis, & cum ſapientibus ſolùm, ſed etiam cum inimicis, et inſipiētibus loquitur. Plato, ut teſtatur Plutarchus, graues, multaq; ſapientiæ uiros uehementibus iaculatoribus comparat, quibus ineſt dexteritas iaciendi apophtegmata, & promptitudo apte retorquendi, propterea, & Pſaltes dicit, huiuſmodi uirum non confundi, aut pudefieri cum loquitur publicè inimicis ſuis in porta illius enim oratio eſt aeris, denſa, & quaſi ſagitta contorta altiſsimè penetrans. Hanc autem animi magnitudinem præſtat ea fiducia, quàm fixã habet in Deo, is enim ſibi penitus diffiſus ſe totum diuinæ prouidentiæ committit, cui ſit exploratum maxima, & minima quæq;, publica & domeſtica diuina uirtute gubernari,

nari, & nihil ab ea liberum eſſe, & propterea illi omnia aſcribenda, & de omnibus rebus gratias habendas. Quòd qui facit, utranq; beatitudinem & huius, & futuræ uitæ conſequitur, neque confunditur in æternum.

CANTICVM GRAD. IX.

PSAL. CXXVII.

BEATI OMNES QVI TIMENT DOMINVM, QVI AMBVLANT IN VIIS EIVS.

QVod ſuperiori Pſalmo tractare cæperat Dauid de œconomia, & inſtitutione familiæ, hic abſoluit recenſens promiſsionem, & mercedem, quam propoſitam habet huius uitæ genus, ſi cum pietate, & reuerentia erga Deum ſuſcipiatur. Peculiare autem eulogium, & promiſsionem habent, qui in matrimonio coniunguntur, ut uidere eſt paſsim in ſcripturis ſanctis, ut ſciant, quicunque hoc uitæ genus amplexi fuerint, ſe gratos eſſe & charos Deo, ſi in eo cum pietate, amore, & ſtudio diuinarum legum degerint. Habuit autem hoc uitæ genus plurimos, & maximos

aduerſarios,qui illud ut Diaboli commentum reiece runt,damnaruntq́. At Chriſti Eccleſia illud ſemper tutata eſt, uti antiquiſſimum Dei inſtitutum, à Chriſto Dei filio doctrina, & miraculis confirmatum. ſtatuitq́,ut in conſtitutione illius, quæ fit in nuptijs hic Pſalmus decantetur tanquàm epinecion, nuptiale,ſeu epithalamium quoddam. In primis itaque dicit, beatitudinem ex eodem fonte ad coniugatos emanare,ex quo ad alios quoſque promanat, Non enim ex coniugio,aut cœlibatu,aut ex quouis alio uitæ genere ad quempiã beatitudo prouenit, ſed in primis à cultu Dei, & ab obſeruatione ſanctiſſimarum legum ipſius. Hoc fundamentum qui prius iacit, beatitudinem facilè conſequetur, ſiue coniugatus,ſiue cœlebs ſit, quamuis alio alius præſtantiorem beatitudinis gradum obtineat.

BEATI OMNES, QVI TIMENT DOMINVM.

HOc eſt igitur totius noſtræ beatitudinis fundamẽtum,quocunque in ſtatu degamus,quo niſi quis innitatur, is Deo charus eſſe non poteſt. nempè timor Dei,& ſtudium diuinæ Legis,quibus ſi præditus fuerit coniugatus,cælebs uerò caruerit, ille Deo charus exiſtet,hic autem inuiſus,audietq́ horribilem illam uocem unà cum uirginibus fatuis, Neſcio uos, illum uerò cum virginibus prudentibus regni cœleſtis parti-

ticipem efficiet. Nam & coniugium ſuam habet pudicitiam, & uirginitatem, quam qui cuſtodierit, beatus erit. Timere autem Deum eſt ipſum ſolum Deũ colere, uenerari, & amare, in eo uno animi fiduciam locare, ſeq́; ipſi totum committere. Non enim hoc loco loquitur Vates de timore illo, qui Deum nobis inuiſum reddit, facitq́; ut nomen illius horreamus hic enim cum pœnam habeat quoq; beatum reddere nequit. Sed potius de timore illo ſancto loquitur, quo fit, ut illi ex animo adhæreamus, ut ab eo diſcedere morte peius ducamus, & peccatum deteſtemur. Iuxta illud, Dabo timorem in cordibus ueſtris, ut non peccatis. Qui timore hoc ſancto affectus eſt, quodcunque uitæ genus delegerit, beatus erit. ſummam enim animis affert pacem & tranquillitatem. Is uerò omnibus propoſitus eſt ſiue coniuges, ſiue cœlibes, mares, & fœminæ, docti, & idiotæ, domini, & ſerui, diuites, & pauperes ſint. Omnibus proponitur timor, hic beatos efficiens. alioqui non diceret, beatos omnes eſſe, qui timent dominum &c.

QVI AMBVLAT IN VIIS EIVS.

QVid ſit apud Pſaltem, ingredi uias domini, id in explanatione pſal. cxviij. interpretati non ſemel ſumus. Viæ Dei ſunt quæcunq; nobis credẽda, ſperanda, amanda, opereq́; perficienda ab eo propoſita

ſunt, in his ambulat, qui magnos quotidie in fide, ſpe, & charitate progreſſus facit, quiq́; ſibi nonnihil deeſſe fidei, ſpei, & charitatis ſentit, doletq́; ſe abeſſe ab ea perfectione, quam diuina lex exigit, quam tamen ſectatur, totoq́; animo concupiſcit. Hunc in pietate progreſſum minimè impedit coniugalis ſtatus, alioqui fruſtra proponeretur unicuiq;, & fruſtra Vates ad ipſum omnes inuitaret, hortareturq́;. Quamuis autem D. Paulus Mulierem cõiugatam dicat diuiſam eſſe, nec poſſe ſimul quæ Domini ſunt, & quæ mariti curare, eam tamen à beatitudine non excludit, nec à timore Dei, & à progreſſu in pietate eam prohiberi affirmat. Hac de re pergit Vates dicere.

LABORES MANVVM TVARVM QVIA MANDVCABIS, BEATVS ES, ET BENE TIBI ERIT.

Coniugalem ſtatum eſſe ſeminarium curarum D. Baſilius teſtatur, & D. Paulus dicit eos, qui in matrimonio ſunt coniuncti, carnis tribulationes habere, quàm uerum id ſit, ipſa docet experientia. Cum maximis igitur & laboribus, & ærumnis hoc uitæ genus prematur, æquum fuit ipſum quoq; beatitudinis promiſſionem habere, ut ſpe, & expectatione futurorũ bonorũ præſentia mala ſuſtineant patientius

coniugati. In primis aũt animaduertendũ, ꝙ qui tanta aſſeueratione beatus appellatur, eum laboribus addictum eſſe, quod tamen aduerſari beatitudini uidetur, quandoquidem ſupplicij loco lapſo in peccatum homini iniunctus eſt labor. Dictum enim illi fuit. In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo. Mũdi quoq; ſapientes dixerunt, eos eſſe beatos, qui ſunt in bonis nullo adiuncto malo. Vates autem, immò ſpiritus ſanctus in Vate teſtatur uerè ſapientem, & Deum timẽtem, diuinæq́; legis amantem, & ſequentem in ipſis etiam laboribus, & malis poſſe beatum eſſe, quandoquidem beatitudinem noſtram non bono aliquo externo, ſed cognitione, & timore Dei metimur, & eo beatiorem illum exiſtimamus, quo cognitione, Dei ac ſcientia eſt cumulatior, nullis laboribus, nullisq́; ærumnis huius eripi, ſed nec turbari beatitudo poteſt. Quamuis igitur timentes Deum, & in uijs eius ambulantes multis malis premantur, & panem ſuum cum ſudore, & dolore manducent, de gradu tamen beatitudinis non detrudentur, quia Deum ipſum ueræ fœlicitatis authorem propitium, ac beneuolẽtem agnoſcunt, amant, colũt, & ſanctiſsimas leges illius diligenter obſeruant. Infelices hi quidem, ac miſeri hominibus, carnalib. uidentur, at apud Deum beatos ſe eſſe ſentiunt. Simile itẽ

iudicium de impijs ſit, à quorum cordibus Deus receſsit, cuius uias ipſi neglig ũt, in laboribus hominum non ſunt, nec cum illis flagellantur. hi propterea fœlices, & beati habentur, cum tamen miſeri, ac infelices penitus ſint coràm Deo, aliud enim eſt iudicium Dei, aliud eſt iudicium hominis. Pius autem uir, & uerè beatus non ocioſus panem ſuum manducat, ſed in laboribus, atq; operibus manuum ſuarum, iuſta, atque honeſta aliqua induſtria ſibi, ac familiæ ſuæ uictum cõparat. Nullis malis artibus, neq; rapinis ſed ſuo labore ſibi uictum quæritat. Nec rurſus eo conſilio laborat, ut immenſas ſibi diuitias paret, ut domui domum, ut agrum agro coniungat, ſed tantùm ut manducet, nec quidem oppipare, ſed parcò, ſed ſobrio uictu cultuq; contentus. Quæ quidem pio homini, ac Deum timenti nunquàm deerunt. Diuites (aliàs ait) eguerunt, & eſurierunt inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, propterea quod his promittit Deus, quòd labores manuum ſuarum manducabunt. Christus docet primo regnum Dei quærendum eſſe ſubinde uictui neceſſaria nobis adijcienda à Deo. Sed hoc loco uidendum, ne in errorem quorundam incidamus, qui id audientes; Reſpicite uolatilia agri, quia non laborant, neque nent, ocioſam uitam, & omni labore uacuam ducebant. Non enim tollitur,

aut

aut damnatur à Deo labor,ſed eius præcepto iniungitur omnibus,uerùm damnat animi ſollicitudinem diffidentiæ plenam. Vult quidē Deus uocationis ſuæ quenq; ſatagere,uult omnes labori incumbere,ita tamen ut animus ſabbatiret, & totus in diuina prouidentia conquieſcat. Neminem uult ocioſum eſſe, Multa ſiquidem mala docuit ocioſitas,ait ſapiens. Qui igitur maritalem ſtatum deligere uult, hunc oportet uirum eſſe induſtrium, ſi talis fuerit, huius laboribus, & operibus beuedicet Deus, quo fiet, ut ſibi, ſuæquè familiæ neceſſaria facile comparet. Laborem igitur manuum, interpretabimur induſtriam, ſtudium, & diligentiam, quam quiſq; in ſua alenda familia adhibet.

BEATVS ES ET BENE TIBI ERIT.

D. Auguſtinus lib.x.Confeſſ.docet duplici modo teneri beatitudinem,ſpe ſcilicet,& re.quod & hoc loco docet Vates,Beatus es,inquit,fide ſcilicet,ſpe,timore Dei,& ſtudio diuinæ Legis,Verum tua hæc beatitudo cum laboribus & ærumnis coniuncta eſt. quamuis beatus es ſpe, re tamen nondum beatus es. quamuis animo beatitudinem poßideas,corpore tamen nondum es illam aſſecutus. Nam & hæres quamuis ſit dominus omnium, quandiu præ-

ſcri-

ſcriptum tempus & ætatem non expleuerit, nihil dif ferre à ſeruo uidetur. Cum aũt conſtitutum tempus aduenerit, tunc adire hæreditatem poterit. Ita qui timet dominum, & in uijs eius ambulat, uerè beatus eſt, ſed plena beatitudine frui non poteſt, quòd carnem interpellatricem, & intertubatricem illius circumfert. Veniet autem, ueniet tempus, cum depoſita carnis ſarcina, à laboribus quieſcet, ſumma, ſempiternaq; pace Deo coniunctus perfruetur. Hoc tempore, quamuis beati ſint, qui timent Deum, his male eſt tamen, quamuis innocẽter degant, ab omni bus partibus tamen malè audiunt, ſui inſectationem patiuntur. Impiis interim bene eſt, his omnia uiden tur arridere, paulo poſt tamen futurum eſt, ut malè habeant, erumpente germine felicitatis piorum, putreſcet granum impiorum. Cum incæperit apparere fructus piorum, flos inpiorum euaneſcet. Recordare ait Abraham ad diuitem illum in inferis cruciatum, quòd recepiſti bona in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc uerò tu cruciaris, ille uerò fruitur bonis nunquàm perituris.

Vxor

VXOR TVA SICVT VITIS ABVNDANS IN LATERIBVS DOMVS TVAE, FILII TVI SICVT NOVELLAE OLIVARVM IN CIRCVITV MENSAE TVAE.

SVperiore uerſiculo dixit de patrefamilias, ad quem in primis ſpectat curare, ut familiam iuſtis, & honeſtis ſuis laboribus alat, nam ut mulier doloribus, ita uir laboribus eſt addictus. Dicitur enim mulieri, In dolore paries, Viro autem, In ſudore uultus tui ueſceris pane tuo. ideo dixit Vates, Labores manuum tuarum quia manducabis. hoc uerò uerſiculo loquitur de uxore, de illa ſcilicet, quæ Deum timet, & in uijs eius ambulat. Sola enim quæ huiuſmodi eſt, commendatur, iuxta illud Solomonis, Mulier timens Deum ipſa laudabitur. Hanc plerunque nanciſcitur uir bonus, ac timens Deum, Mulieris bonæ beatus uir, ait Salomon, numerus annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit, pars bona mulier bona, in parte bona timentium Deum dabitur uiro pro factis bonis. Loquens itaque Vates cum viro timente Deum oſtendit, qualem habiturus ſit coniugem. Vxor, inquit, tua, non alterius, aut communis, ſed quæ tua tantum, & tecum vna caro ſit. Sicut vitis &c.

ob-

obſeruandum eſt, quod Rab. Chabila doceat in nomine mulieris, & uiri in utroque uidelicet Dei nomen יה reperiri, alter enim eſt איש alter uerò אשה ſignificat enim inter coniuges ipſum Deum intercedere, à quibus nominibus ſi י & ה abſtuleris quæ faciunt Dei nomen יה nihil aliud ab utraq; parte ſupererit, quàm אש ideſt ignis. Si itaque à coniugio Deus auferatur, inter coniuges nihil intererit niſi malorum ignis in hoc, & in futuro ſæculo. Sed ſi inter ipſos timor Dei interceſſerit, uerè beati ambo erunt in omnẽ æuum. Verè ergo eſt gratia ſuper gratiam mulier ſancta, ac pudens, qualis ea ſit in domo uiri deſcribit. Beatus enim eſt, qui habitat cum muliere ſenſata.

SICVT VITIS IN LATERIBVS DOMVS TVAE.

Solomon comparat Soli mulierem Deum timentẽ, et in uijs eius incedentem. Sicut Sol, inquit, in mundo oriens, ſic mulier prudens ornamentum eſt domus ſuæ, & rurſus, Mulier prudens ædificat domum. Vates autem comparat huiuſmodi mulierem fertiliſſimæ uiti, nec quidem ob multos fœtus, alioqui quæ uel ſterilis, aut unum tantùm, uel alterum filiũ genuit, uiti cõparari non poſſit. Sed in hac cõparatione reſpicit p̃claras mulieris uirtutes, illa non tãtũ maximo eſt ornamẽto uiro ſuo, et domui ſuæ, ſed ẽt

utili

utilitati. Rami ſiquidem illius rami longæui, rami honoris, et gratiæ, folium eius uiride, nec ab æſtu me tuit, nec à frigore, flores eius odoris pleni, & fructus dulciſſimi. Rami, & pampini optimæ ſunt mulieris actiones, & egregij mores, folia ſenſata uerba, flores uitæ exempla, fructus integerrima, ac ſanctiſſima opera. Meritò itaq; mulier timens Deum uiti comparatur, quæ & decori, & emolumento maximo eſt humanæ uitæ. Viti autem comparatur mulier, quia licet uitis commoda, & neceſſaria ſit humanis uſibus, tamen niſi colatur, & pallo ſuſtentetur, inutilis prorſus eſt, ita mulierem coli neceſſe eſt. cultor autem mulieris eſt uir. Gloria enim & caput mulieris eſt uir. colitur autem à uiro mulier, cum ab illo inſtituitur, & uictui neceſſaria ſuppeditantur. Ait enim Plutarchus de præceptis connubialibus. Niſi ſermonum optima ſemina mulieres ſuſcipiant, & participes eruditionis uirorum fiant, abſurda multa, prauaq; conſilia, atque cogitationes, & effectus malos pariunt. propterea D. Paulus mulieribus præcipit, ut domi uiros ſuos interrogent, & illis ſubditæ ſint. iccircò enim uelum geſtãt, Natura enim mulieri imperare non concedit. Sit itaque uitis mulier, quæ ſciat ſe pallo, & colono indigere, alioqui labruſcam, non autem uuam feret.

In

IN LATERIBVS DOMVS TVAE.

QVid proprium ſit pudicæ, ſanctæq́ mulieris innuit, nempè, ut domi ſuæ ſe contineat, & in ea q̃ maximè fieri poteſt lateat. mulier pudica, nec alios uidere, nec uideri ab alijs, cupit. ideo cum illi prodeundum eſt, uelata incedit, propter Angelos inquit Apoſtolus .i. miniſtros, ne fortè perſpecta illius forma, cõcupiſcentia exardeſcant. Non itaque in theatris, in foro, in publicis negotijs ſe ulli uiſendam oſtentabit pudica, & ſancta mulier, ſed in angulis, ſeu lateribus domus ſuæ degit, ut illam curet, & moribus, & honeſta diſciplina inſtituat.

FILII TVI SICVT NOVELLAE OLIVARVM IN CIRCVITV MENSAE TVAE.

POſtquàm deſcripſit patres, matresq́ familias Deum timentes, & quæ illorum ſint officia, ſubinde quales eorum liberi ſint Deum ſimiliter timentes, & in uijs eius ambulantes elegantiſſima oliuarum metaphora oſtendit. Vitæ certè, & oliua ex arboribus nulla utilior. nulla fertilior, nulla demum iucundior. Nam ex altera uinum fluit cor hominis exhilarans, ex altera oleum impinguans, nutriens, leniẽs, & optatiſſimam lucem, plurimaq́ alia præſtans commoda. Huiuſmodi arbores qui domi ſuæ habet, is ue-

uerè beatus eſt. Significat igitur Vates optimos filios emolumento, decori, uoluptatiq́ parentibus ſuis eſſe. Gloria ſi quidem patris eſt filius ſapiens. Hi nemini ſunt iniurij, aut moleſti, ſed benefici potius, chariq́ omnibus. Dociles item, & ad capeſcenda parentum iuſſa eos eſſe oſtēdit, dum nouellis plantulis illos oliuarum comparat, quæ in quam uolueris partem facilè conuertentur. Nouellis item germinibus oliuarum eos comparat, propterea q̄ quamuis perſæpe filij (ut ille ait) parētibus deteriores ſint, rarò autem meliores, illud tamen à Deo conſequuntur homines pij, ut filij ſui ſimiles ſint, ſi ſtudio, ac diſciplina eos præſertim tales formauerint. Nam niſi oliua germinibus ſuis de ſuo humore communicaret, nunquàm ea ſibi ſimilia redderet, ita niſi parentes in pietate, optimis moribus ac honeſtis diſciplinis filios imbuerint, ocioſam, & nullius frugis arborem enutrient, ſed urticam potius, miricam, ſpinam, & tribulos ſerunt, coluntq́. Qui uerè igitur Deum timet, & in uijs eius ambulat, is in primis curat, ut filijs ſuis non uiuendi tantùm, ſed benè, beateq́ uiuendi author ſit, quòd faciunt non generando ſolùm, ſed rectè illos inſtituendo.

Ec-

ECCE QVIA SIC BENEDICETVR HOMO, QVI TIMET DOMINVM.

CVm Vates perſpiceret maximam bonorum copiam, quæ pij coniuges conſequantur, admiratione quadam affectus loco miraculi oſtendit omnibus, Ecce (inquit) ſic benedicetur homo. Hoc eſt quod dixit, patremfamilias labores manuum ſuarum manducaturum, Matrem uerò inſtar fœcundæ uitis futuram, filios item ingenium, & mores parentum relaturos. Hæ ſunt ueræ diuitiæ, quibus quicunque abundant, uerè felices, uerè beati ſunt, minimeq́; illis inuident, qui terrenis diuitijs abundantes ocioſam uitam agunt. Hi coniugem prædiuitem, ac formoſam nanciſcuntur, ſed filios habent contumaces, & immorigeros, quo fit, ut ſint miſerrimi, Felicitas enim, quæ haberi in terris poteſt nulla alia re percipitur, quàm ex recta, bonaq́; conſcientiæ, & ex honeſta, ac bene inſtituta familia. quibus quidem præclaris muneribus hi donantur, qui uerè & ex animo Deum colunt. Ait igitur Vates, Ecce, ſic pater, & materfamilias, ſic ipſorum filij benedicentur, & bonis his cumulabuntur. Quanto autem metu, & Dei reuerentia ad coniugiũ accedendum ſit, docet, & ipſa Eccleſia monet, ut accedentes non maledictionem, ſed benedictionem conſequantur, Nam qui coniugium ita ſuſcipiunt (ait

An-

Angelus ad Thobiam ut Deum à ſua mente excludant, & ſuæ libidini uàcent habet Diabolus poteſtatem ſuper eos, ideo uxorem immorigeram, proteruos filios habituri ſunt, quibus certè rebus declaratur ritene, an ſecus quis matrimonij ſacrametum adierit, quod enim diuinis auſpicijs fit, id felix, ac fauſtum eſſe ſolet. Si mores noſtræ ætatis, ſi filiorum, & familiarum diſſenſiones conſideremus, mala omnia ex uiolatis Sacri matrimonij legibus proficiſci non dubitabimus. Quicunque igitur benedictionem à domino in huiuſmodi uitæ ſtatu moleſtiarum plenisſimo conſequi deſiderat, diſcat timere Deum, & in uijs illius ambulare. Hominem igitur huiuſmodi גבר *ideſt uerum appellat, quòd in hoc uitæ genere debeat ſe gerere uirum præſtantem tam in inſtituenda, & regenda familia, quàm in laboribus, & ærumnis, quas illa uitæ conditio ſecum afferre ſolet. Duram enim prouinciam cæpit, qui uxorem duxit, quam tamen cum laude adminiſtrabit, ſi Deum ueritus, ſi legis ipſius ſtudioſus fuerit, & familiam ſuam ſui ſimillimam reddere ſtuduerit.*

BENEDICAT TIBI DOMINVS EX SYON, ET VIDEAS BONA HIERVSALEM OMNIBVS DIEBVS VITAE TVAE.

DOcuit ſuperius benedictionem Dei ex uero illius timore & cultu ad coniuges proficiſci. Nunc

quis ſit hic cultus oſtendit, qua ratione, quòue in loco præſtari debeat, docet. Nempè in Syon monte, quẽ ſibi deligerat dominus, ut in eo templũ cõſtrueretur cum altari, propitiatorio, et arca. Sub nomine aũt Syonis intelligit cultũ illum, qui in eo mõte, et tẽplo Deo præſtabatur. Non.n. alio in loco, aliiſue ritibus, & ſacrificiis ſeſe coli uolebat, ꝗ ijs, ꝗ ipſe inſtituerat p Moſen, nec citra idololatriæ crimen cuiq́ licebat alio in loco Deum colere, ꝗ in Syon. Benedicit quidem Deus timentes ſe, eoſq́; ueris bonis cumulat, ſed non aliũde, ꝗ ex Syõ. Noſter autem Syon ipſa eſt Chriſti Eccleſia, in qua uerus, & ſempiternus Dei cultus permanet. Non aliunde itaq; quàm ex ipſa Chriſti Eccleſia proficiſcitur benedictio, propterea in ea perſiſtendum, & in ea ritibus diuinitus inſtitutis colendus eſt Deus.

ET VIDEAS BONA HIERVSALEM:

QVia publica pax, & tranquillitas priuatam pacem, & tranquillitatem gignit, nec optimo cuiq́ pax eſſe poteſt, niſi eadem cum ciuibus ſuis cõmunis ſit, ut igitur homines pij priuata pace fruantur, publicam pacem concedit, & in ſcripturis ſanctis uidere eſt, paucorum piorum gratia ciuitates fuiſſe bonis cumulatas id diuino oraculo comprobatum eſt, conſtat enim quòd ſi Sodomæ et Gomor-

rbæ uiri decem reperti fuiſſent, qui Deum ex animo colerent, illis peperciſſet Dominus, eaſq; uini, olei, atq; bonorum omnium copia ditauiſſet. Pio igitur cultori Vates non modo publica, ſed priuata etiã bona precatur. Et uideas (inquit) bona Hieruſalem omnibus diebus uitæ tuæ. Fortaſſe etiam loquitur Vates de ſuperna Hieruſalem, quæ Prophetas, & pios Dei cultores non inſectatur more Hieruſalem terrenæ, non reÿcit, multò minus occidit, ſed potius amanter eos excipit, charitate complectitur, & immortalis uitæ muneribus decorat, quæ ſupra ſignificauit cũ dixit. Bene tibi erit. Quæ quidem bona nunc non apparent, non uidentur. Quæ enim uidentur (ait D. Paulus) temporanea ſunt, quæ uerò non uidentur æterna, ſed ſpe habentur, in ænigmate conſpiciuntur. Caro enim non percipit ea, quæ ſpiritus ſunt, ſed fides ea apprehendit, quæ paulopoſt reipſa percepturi ſumus, ut omnibus diebus uitæ noſtræ fruamur. Bona ſiquidem cœleſtis Hieruſalem nullis miſcebuntur, aut turbabuntur malis, ſed in iuſtitia & pace ſempiterna conſtituta ſunt.

ET VIDEAS FILIOS FILIORVM TVORVM PACEM SVPER ISRAEL.

OPtat Vates, precaturq́; uiro Deum timenti diuturnam uitam, ut ipſi liceat uidere filios filiorũ

ſuorum, Quod olim uerbis Domini Moſes pollicitus fuerat. Teſtes hodie (inquit) inuoco cœlum, & terrā, quòd propoſuerim uobis uitam, & mortē, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo uitam, ut & tu uiuas, & ſemen tuum, & diligas dominum Deum tuū, atq; obedias uoci eius, & illi adhæreas, ipſe eſt enim uita tua, & longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, pro qua iurauit dominus patribus tuis. Diuturnam autem uitam Deum timenti precatur, quod in terris diu uiuere quædam beatitudinis pars ſit. quòd quandiu quis cum pietate uixerit, eam propagare ad poſteros ſuos poßit. Ideo diuturnam uitam priſcis patribus concedebat olim Deus, ut fidei, & pietatis doctrinam poſteritati traderent. Cum tales itaq; parentes reperiantur, qui filios ſuos in ſcientia, & cognitione Dei, & cultu pietatis educent, quis non optaret, ut hi longæui filios filiorum ſuorum ad tertiā, & quartam uſque generationem uideant, cum ſpes ſit poſteros horum pijs præceptionibus imbutos ab ipſis degeneres non futuros? O beatum matrimonium, beatas Ædes, in quibus parētes ita filios in pietate erudiūt, ut longæ etiam poſteritati conſulant. Hi in generationibus gentis ſuæ (ait Eccleſiaſticus) gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus, qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum. Hi ſunt uiri miſericordiæ, quorum pietates non

LL

de-

deſuerunt, cum ſemine eorum permanet bona, hære ditas ſancta nepotes eorum, in teſtamentis, ſtetit ſemen eorum, & filij illorum propter illos uſq; in æternũ manent, ſemen eorũ, gloria eorũ non derelinquetur. Qui uerò ab omni prorſus pietate abhorrentes nullã recte inſtituendorum filiorum curam ſuſcipiunt, horũ nulla eſt memoria (idem inquit Eccleſiaſticus) perierunt quaſi non fuerint, & nati ſunt quaſi non nati & filij eorum cum ipſis. Vt igitur pij partem aliquam felicitatis capiunt ex filijs in pietate inſtitutis, ita qui ſunt à pietate auerſi magnam infelicitatis partem percipiẽt ex filijs, qui multò ſint deteriores parẽtibus futuri, his nequaquam optanda eſt uitæ diuturnitas, quòd tantummodo ſint impietatis ſuæ monumenta poſteris relicturi.

PACEM SVPER ISRAEL.

NOn precatur pacem ſolùm ab externis hoſtibus utpote à Philiſtæis, & alijs nationibus, quæ continentes gerunt inimicitias, & bella cum Iſraele, ſed eam pacem, quam ſecum allaturus erat Meßias, de qua aliàs Vates, Orietur, inquit, in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, quippe qui nos è poteſtate Sathanæ erat erepturus, qui ex peccati ſeruitute, ex mortis tyrannide, ex inferorum portis in iuſtitiam, in ueram uitam, & ſempiternam libertatẽ erat uindicaturus

turus, & patri reconciliaturus. Hanc autem pacem quia priſci patres Votis omnibus exoptabant, & breui futuram ſperabant, ideo tandiu uiuere loco fœlicitatis ducebāt, quoad Meßiam uerum pacificatorem & pacis principem oculis ſuis cernerent. Super Iſraelem autem huiuſmodi uenturam pacem dicit, ideſt ſuper populum Dei, qui erat toto pectore excepturus Meßiam, nam qui illum reiecit, is adhuc Diaboli captiuus peccato, mortiq; obnoxius eſt; & ira Dei ſuper illū, & uiā pacis ignorat. Hanc igitur pacē ſi fidei oculis proſpicere nō mediocris fœlicitas fuit, quid eā præſentē habere? & optata iam frui? pax ipſa certè sūma beatitudo eſt, cuius sēſus ſuperat oēm ſenſum &c.

CANTICVM GRAD. X.

PSAL. CXXVIII.

SAEPE EXPVGNAVERVNT ME A IVVENTVTE MEA DICAT NVNC ISRAEL.

SVperiori pſalmo Sanctiß. rex Dauid decātauit beatitudinē, & fœlicitatē tum Iſraelitici populi uniuerſi, tū priuatim pij cuiusq; hominis. Hoc uero pſalmo eiuſdē, et populi, & pij cuiuſq; mala, & pſecutiones, quibus hi continenter uexari ſolent, deſcribit. ut ſciant omnes & populi Dei, & piorum omnium fœlicitatē nō in ſecundis huius uitæ rebus poſitā eſſe, aut ab illis pēdere;

qui calamitatibus preſsi beati nihilominus ſunt. Beatitudo.n. illorum nequaq̃ in ſecundis rerũ humanarũ ſucceſsibus, ſed in cœleſtibus, & diuinis rebus cõſiſtit, quæ & ſi ſummis, ac propè infinitis malis circũſepta eſt, his tamen neq; omnino tolli, neq; minui poteſt. Quãuis autẽ huiuſmodi propoſitio nõ admodum probetur carnalibus ſenſibus uerißima tamen eſt, & ſolis fidei ſenſibus congrua, quòd ſcilicet uir pius beatus ſit, & ſimul miſer, tranquillus ſit, & perturbatus, Lætus, & idem triſtis miſcet autem, Deus triſtia lætis, & amara dulcibus, idq́ eo conſilio facit, ne pijs ſecundo rerum ſucceſſu elati inſoleſcant, rebus itaq; aduerſis, quaſi Falce carnis luxuriem reſecat, quæ in poſſeſſione beatitudinis nullam partem habet, ſed ſola fides illam poßidet, & quò liberius poßidere poßit, multas cruces Deus imponit carni, ut preſſa ſpiritui minus noceat, minus interpellet, ut ille uiuat Deo, & fides exerceatur. Monet itaq; Vates Iſraelem uniuerſum ut libero ore fateatur, ſe maximas quidẽ, ac frequentes calamitates iam inde à primis ſuis temporibus paſſum fuiſſe, & multas ab hoſtibus ſuis inſectationes, & clades ſuſtinuiſſe, nunquàm tamen ſuccubuiſſe. Id quod; & ſuperius perſuadere uoluit, cum dixit. Niſi quia Dominus erat in nobis. &c. ut id populus Iſraeliticus animaduertens animi ſui gratitudinem erga Deum protectorẽ ſuum declaret, gratias

agat, nec pudeat confiteri, ſe ui diuina ſeruatum fuiſſe. Appellat autem iuuentutem Iſraelis, totum illud tempus, quod à ſui electione in populum Dei peculiarem uſque ad ipſius Vatis tempus interceſſit. quod niſi ita ſentiret Vates, nequaquam adhortaretur populum, ut dicat, Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. Oſeas etiam cap. 2. appellat Iſraelem iuuenem, propterea quòd ueram ſapientiam nondum eſſet adeptus. Iuuenis enim (ut ipſe quoq; Ariſt. ait) ſapiens eſſe nequit, quia multarum rerum experientiam nō habet, experientia autem indiget tempore. Tempus igitur quod inter Moſen & Chriſtum interceſſit, iuuẽtutis tẽpus appellatur; & Iſrael iuuenis, ſiue puer appellatur. Meſſiæ aũt tempore non puer amplius, aut iuuenis eſt Iſrael, ſed uir uera uirtute, uera ſapientia & prudentia imbutus eſt. cuius perſonā D. Paulus aſſumẽs, Cum eſſem (inquit) paruulus, loquebar ut paruulus, ſapiebam ut paruulus, quando aũt factus ſum uir, euacuaui, q̃ erant paruuli. Paruulus autem, & iuuenis erat D. Paulus, cum Meſſiam nōdũ cognoſceret, factus eſt aũt uir, cum placitum fuit Deo, ut ipſi reuelaret filium ſuum. Plurimis uerò, maximisq; perſecutionibus excreuit Deus populum ſuum, ut illum in tot, tantisq; periculis ſoruans teſtatū faceret omnibus beneuolentiam, & prouidentiā ſuam erga populum ſuum, quam cum nationes cæteræ animaduerterent

rent ueri Dei potentiam admirarentur, et charitatē adamarent, & populum Dei tutelæ, fideiq́; cōmiſſum ſuſpicerent. ille .n. licet ſæpius oppugnaretur, nullis tamen expugnari uiribus potuit, quia diuino præſidio munitus erat.

ETENIM NON POTVERVNT MIHI.

NOn potuerunt hoſtes expugnare Iſraelem, quamuis ſūmis uiribus oppugnarint, propterea quòd Deus ipſum tuendū ſuſceperat, in quo uerū ſui Numinis cultū, & promisſiones de Meſſia conſeruaret. Diabolus aūt ea de cauſa omnes ferè barbaras nationes aduerſus Iſraelem concitauit, pſeudoprophetas immiſit, ut uerum cultū deleret, & ueram cognitionem obſcuraret, & promiſſiones de Meſſia ex omni memoria tolleret, Idololatriam uerò, Dei ignorationem, impietatem deniq; omnem confirmaret, ideo patentibus portis ſuas copias eduxit, & acies inſtruxit, ut Iſraeliticum populum ad internecionem redigeret, diuinæ tamen prouidentiæ miraculo factū eſt, ut, deletis hoſtibus, Iſrael ſit ſeruatus, & in eo diuinus cultus, & de Meſia promiſſiones ratæ permāſerint, atq; inde in omnes terrarum oras propagatæ fuerint. Repetit autem primum uerſiculum, ut perſecutiones & clades ſuas repetitas crebrò fuiſſe oſtendat, Quod aūt Vates uertit Sæpe, Multum uertēdū fuit,

ut

ut grauiſsimas fuiſſe calamitates ſignificet, quod ſacram hiſtoriam legenti ita patet, ut cōmemoratione opus non ſit.

SVPRA DORSVM MEVM FABRICAVERVNT PECCATORES PROLONGAVERVNT INIQVITATEM SVAM.

INterpres plano, & paraphraſtico ſermone ſuo more explicat metaphoram quam habet hebraica æditio, ea autem iuxta D. Hieronymi tranſlationem ſic habet, Super dorſum meum arauerunt arantes, prolongauerunt ſulcum ſuum. Comparat itaq; Iſraelem fertiliſsimo fundo, qui tamen niſi ſæpius aretur, excolaturq́, ſterileſcit, urticas, ſpinas, tribulosq́ ſolùm fert. Coloni aūt, & aratores fertiliſsimi huius fundi hoſtes, & perſecutores ſunt, qui longos ſulcos ducunt ſuper dorſo Iſraelis, ideſt, qui diuturno, & aſsiduo bello ipſum perſequūtur, & more arantium iterum atq; iterum terram uerſantium mala ingemināt. ex grauibus, & aſsiduis calamitatibus, quibus Iſrael ab hoſtibus ſuis afficiebatur, argumentum elicit, Iſraelē Deo charum fuiſſe, iuxta illam Ieſu Chriſti ſententiam. Vos non eſtis ex mundo, propterea odit uos mundus. Vt fundus quò feracior eſt, eò crebrius ab aratoribus aratur, quàm qui ſterilis ſit, & ſenticoſus, ita pij quique perſecutionum uomere ſæpius proſcin

ſcinduntur, & calumniarum ſtercore impinguãtur, ideo fructus uberiores ferunt. Videtur quidẽ arator arando fundũ proſcindere, & perturbare, & ſtercorando illum dedecorare, reuera tamen illum colit, & pinguiorem reddit, ita impij calumnijs, exilio, igne, ferroq́; pios fœdare, atque etiam perimere uidentur, at clariores illos reddunt coràm Deo. Supra dorſum ſuum arare illos dicit, quia in poſterioribus ſolùm, at non in anterioribus illis permiſſa eſt poteſtas. Poſteriora autem piorum ſunt diuitiæ, honores, & ipſa corporis bona. Quæ omnia ideo Poſteriora appellantur, quòd huius generis bona, qui ueræ pietatis culto res ſunt, poſthabent, & ad anteriora, quippe quæ nos in cœlo manent, ſeſe extendunt. Supra illa igitur arant, ſed in anterioribus, quæ bona ſunt animi, nihil illis permiſſum. Non arant ſupra anteriora, quia cœleſtia, & ſemper manentia bona diripere nequaquàm poſſunt. Hanc Vatis ſententiã interpres expreſſit, cùm uertit, Supra dorſum meum fabricauerunt, quia quem continenti perſecutione deletum cupiebant, eadem ipſum ædificabant, & in pietate prouehebant. Sanguis ſiquidem Martyrum (ait D. Irenæus) ſemen eſt Chriſtianorum, qui quò latius funditur eò fertilior meſſis eſt Domini. Vox hebraica. מענית *unius diei opus, & arationem*

ſi-

ſignificat, quo quidem dicendi tropo oſtendit pios, perpetuis temporibus malè acceptos fuiſſe ab impijs, qui impiorum inſectatione & afflictione ita ſunt occupati, quaſi unius diei opus peragant, id quod Chriſtus ui detur ſignificare uoluiſſe, cũ ſuos, & Eccleſiæ ſuæ perſecutores alloquẽs dixit. Vos impletis menſurã patrũ ueſtrorũ, ut ueniat ſuper uos omnis ſãguis, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti uſq; ad ſanguinem Zachariæ, quẽ occidiſtis inter tẽplum, & altare. Ait itaq;, Prolongauerũt ſulcos ſuos. i. diẽ integrũ arauerunt, nullum tẽpus intermittentes ab aratione. i. à perſecutione Iſraelis, ut integræ operæ mercedem à Deo accipiant. q̃ uerò ea ſit, ſequenti uerſu declarat.

DOMINVS IVSTVS CONCIDET CERVICES PECCATORVM CONFVNDANTVR, ET CONVERTANTVR RETRORSVM OMNES, QVI ODERVNT SYON.

HÆc pars eſt calicis impiorum Iſraelẽ perſequentium, qui licet à mundanis hominibus minus cognoſcantur, ac propterea minus damnentur, mirum non eſt, quia ueri cognitio unius eſt propria Dei, qui quoniam iuſtus eſt, nihil boni irremuneratũ, nihil mali impunitũ abire permittit, quia ſi nulla benefactis præmia, & malèfactis ſupplicia eſſet propoſita, nec eſſet, qui debitã utriſq; mercedẽ perſolueret, nec Deus quidẽ eſſet. Qđ cũ nulla ratione dicit, aut

cogi-

ɛogitari poſſit, ſentiendum eſt ſua uirtutibus præmia & uitijs, ſua ſupplicia eſſe conſtituta, quæ iuſtus Deus unicuiq; pro meritò repenſurus ſit, Dominus (ait Vates) concidet ceruices peccatorum, uel ut D. Hieronymus tranſtulit, laqueos concidet. Vox enim hebraica עבות funes, quibus rei implicantur ſonat, ſignificant autem funes tyrannidem, qua pios ſibi ſubdunt, ſubiguntq́ impij. Docet autem Vates Deum opt. Max. confracturum potentiam, ac tyrannidem impiorum, & eos de medio ſublaturum, cum præſertim ſuis abuntantur uiribus, ut uiros pios, & ueræ pietatis cultores opprimant, id quod nonmodo in Pharaone uidere licet, ſed & in omnibus, qui aduerſus populum Dei hoſtiliter inſurrexerunt. Iuſtus ſiquidem eſt יהוה ille exiſtens, ac rerum omnium conditor, & moderator.

CONFVNDANTVR.

APpellat impios, quicunq; oderunt Syon, ideſt uerum Dei cultum, qui Deo in Syon præſtabatur, ſiue ex gẽtibus hi, ſiue ex Iſraele eſſent, qui licet multas odij ſui cauſas prætexerent, ea tamen una pro omnibus eſſe poterat, quòd uerum Deum coleret, & promiſſiones de Meſſia ſummo ſtudio conſeruaret. quæ omnia cum ſæpius ex omni memoria deleri cuperent, fruſtra conati ſunt orat Vates, ut pudeſiant,

& retrorſum conuertantur omnes, qui oderunt Syō. Pudeſiunt autem impij, cum rē minimè ex ſententia ſibi ſuccedere animaduertunt; & cum alios pudefacere conantur, ipſi re infeſta, confuſione, & ignominia afficiuntur. Conuertuntur retrorſum, cum ab incæpto deſiſtunt, & uicti potius quàm uictores abeunt dedecus, & detrimentum inde referentes, unde maximam ſibi gloriam pollicebantur. Huiuſce ueritatis tot exempla habemus paſſim in ſcripturis, ut probatione res non egeat. Horum autem qui futurus ſit exitus, ſequenti uerſiculo declarat.

FIANT SICVT FOENVM TECTORVM, QVOD PRIVSQVAM EVELLATVR EXARVIT, DE QVO NON IMPLEVIT MANVM SVAM, QVI METET, ET SINVM SVVM, QVI MANIPVLOS COLLIGET.

ESaias, nec non Salomon fœno uniuerſos homines comparant. Clama, ait dominus, & dixi, quid clamabo? omnis caro fœnū, & omnis gloria eius quaſi flos fœni, exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, uerbum autem Domini manet in æternum. Pſaltes autem cōparat impios, & ueri cultus oſores fœno, quod in planis Palæſtinæ tectis innaſcitur, & eorum exitum inſtar fœni futurum prædicat, Hac autem comparatione ſignificare uoluit, quòd quamuis ſtatutum ſit omnibus hominibus ſemel mori & omnium

glo

gloria ut flos fœni decidat, & marceſcat, impiis tamẽ, & Dei inimicis hæc multò maturius accidũt, antequàm ſcilicet ex hac uita diſcedant, ſiquidem fœnum, quod tectis innaſcitur, cum nequeat altas agere radices, nec humorem multum habeat, orto ſole, flaceſcit, ante meſſis tempus, nec colligitur, ſed euellitur potius, quòd ſi fortè colligatur, ex eo non implet ſinum ſuum, qui manipulos colligit. Impios autem comparat fœno tectis innaſcenti, quod plerumq; cæteris præſtent, ſuperbiq́, elati nimium ſint, omnibusq́ conſpicui, & ſublimes uideri uelint, hi matura morte rapiuntur, & gloria priuantur, quòd ſi qui naturali morte fungantur, & ultro naturæ concedãt ex eis tamen non implet ſinum ſuum, qui manipulos colligit. Qui homines ſerit, & plantat, idem ſtatis etiam temporibus illos colligit miniſterio utens Angelorum, & in faſces eos colligens alios in ignem, & tormenta conijciet perpetuò cruciandos, alios uerò in ſinum ſuum recipiet. Sinus autem Dei eſt locus ille indulgentiæ, & pacis, in quo qui in domino obdormierunt, placidè conquieſcũt, qui & ſinus Abrahæ ab Eccleſia appellatur, quòd in eo Abraham fidei pater, & Abrahæ filij omnes, ſcilicet credentes ante Chriſti reſurrectionem reciperentur. Si fœnum igitur ſumus non in altiſſimis, ſed in humilibus locis innatum, non eſt quòd doleamus, ſed potius quòd lætemur, quã

do quod excelſis in locis natũ eſt, per Angelos malos euellatur, & in ignem æternum conijciatur, iuxta domini ſententiam, quòd uero in humilioribus eſt, illud à ſanctis Angelis in ſinu Dei reponatur. Quòd fiet cum ſuauiſſima illa & piis optatiſſima uox inſonuerit. Venite benedicti patris mei, poſſidete regnũ, quod uobis paratum eſt à patre meo.

ET NON DIXERVNT, QVI PRAETERIBANT BENEDICTIO DOMINI SVPER VOS, BENEDIXIMVS VOBIS IN NOMINE DOMINI.

NOnnulli fauſtam, felicemq; prætereuntium imprecationem ad eos referunt, qui manipulos colligunt; quandoquidem ut Ruth. 2. habetur, Mos fuit antiquis ſimili imprecatione ſalutare meſſores. Booz enim dixit meſſoribus, Dominus uobiſcum. Qui reſponderunt, benedicat tibi Dominus. Sed magis placet, ut ea ad impiorum faſciculos referatur, qui quamuis potentia, diuitiis, opibus, & gloria floreant, nemo tamen piorum terrena omnia prætereuntium illis optat benedictionem à domino, nemo unquã piorum pro terrena impiorũ felicitate precatus eſt, propterea quòd quo magis floret, eò magis etiam inſoleſcant, & deteriores fiant. Pij itaque, qui ſic tẽporalia tranſeunt, ut æterna non amittant, piis dixerunt, Benedictio domini ſuper uos benedicimus

uobis in nomine domini, benedictio enim Domini non ad impios, ſed tantùm ad pios pertinet, ira autē, & indignatio Dei ſuper impios è cœlo reuelatur.

CANTICVM GRAD. XI.

PSAL. CXXIX.

DE PROFVNDIS CLAMAVI AD TE DOMINE, DOMINE EXAVDI VOCEM MEAM.

Conſueuit Deus multiplici tentationum, & malorum genere pios, & electos ſuos exercere, ut eos ex omni parte probatos reddat. Ad hāc autem rem utitur opera Diaboli, & malorum, qui omnem mouent lapidem, ut illos à pietatis curriculo amoueant, ut in aduerſis deſperabundos, in ſecundis elatos efficiant. Quos uerò exterioribus, afflictionibus Diabolus ſuperare non poteſt, id interioribus facere conatur. Nūquàm quieſcit, circuit quærens, quem deuoret, uel ipſas inferorū portas patefacit, ut Diabolicas inde acies euocet, & exercitum paret cōtra illos, cuius anteſignanū facit peccatū, quo pius quiſq; perterritus animo cadat, ac in deſperationem malè ſibi conſcius labatur. Foris igitur pugnas, intus timores horribiles experiūtur. Quid enim fingi terribilius poteſt teterrimo peccati aſpectu, quo ſi quis nō exanimetur, diuinæ uirtuti tribuē

dum eſt. Nam qui peccati ſenſu concutitur, uidetur uidere ſe uelut alterum Ionam in uentrem immanis piſcis coniectum, icci rco eoſdem & diffidentiæ, & fiduciæ ſenſus experitur, quos idem Ionas orõne ſua expreſsit. Proiecisti (inquit) me in profundum, in cor maris, & flumen circundedit me, omnes gurgites ſui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt, & ego dixi, abiectus ſum à conſpectu oculorũ tuorum. Huiusmodi affectus, & deſperationis ſenſus experiebatur Vates, cùm ſe uaſto malorum gurgite propè abſorptum ſentiret, quando non ſolùm ab externis hoſtibus, ſed à domeſticis etiam, & à proprio filio bello infeſtaretur, & quod multò grauius, multóq; moleſtius erat, à ſæuiente conſcientia, & peccati ſenſu cruciaretur, quippe qui Deum ſibi iratum ſentiret, ſeq; ab eo non modo deſertũ, ſed & abiectũ animaduerteret. Illud accedebat ad dolorẽ, q̀ ſeſe ſua culpa in tantas miſerias, & in tantas animi acerbitates coniecerat. Quid facit igitur Vates in calamitatũ depreſſus, & profundiſsimo malorum gurgite abſorptus? quò ſe conuertet, nũ deſperabundus ad idola confugiet? num Dei miſericordiam negabit? nequaquam. ſed de profundis (inquit) clamaui ad te domine. Impius cũ in profundum malorum uenit, contemnit. ait Salomõ, contemnit, inquã promiſsiones de diuina clementia, contẽnit pietatẽ, peccati grauitatẽ nõ ſentit. Caini, Saulis, &

Iudæ

Iudæ ueſtigijs inhæret, qui diuinæ clemētiæ diffidētes ſeſe deſperationi tradiderunt, ſentientes maiorem eſſe ſuā iniquitatē miſericordia domini. Horū exēplū nequaq̄ ſequitur Vates, qui licet ſit peccator inſignis non impiè tamen peccat in Deum, quod certè faceret, ſi nullam ſibi apud Deū reliquam eſſe miſericordiā ſentiret, ſi diuinæ illius clemētiæ & bonitati diffideret. ſed in ipſa deſperatione ſpē retinet. Fides.n.cū nō humana, ſed diuina ſit uirtus, uel in profundiſſimas profunditates iniecta caput exerit, foras exilit, nec multis tētationū fluctibus obrui pōt, ſed de uētre inferi, & de limo profundi infixa clamat, uel inuocat potius Deum, quomodo aūt inuocaret, niſi crederet. Credit igitur, pp̄ ꝙ locutus eſt. Hæc eſt uictoria, quæ uincit mundū fides noſtra, quæ Sathanæ conatus infringit, peccati aculeos retundit, & impiorum potentiam ſuperat, diuinam deniq; gratiam peccatori conciliat. Hæc itaq; Vatē in ipſis inferorū anguſtijs uerſantē extulit, & in immenſo diuinæ miſericordiæ cāpo conſtituit, in quo liberiorē ſpūm ducēs fidēter, clamore ualido, inuocat Sanctiſ. Dei nomen, ꝙ quicūq; inuocauerit, ſaluus erit. Hic itaq; fidei clamor, qui uel tacentib. nobis obſtrepit diuinis auribus, Deū nobis propitiū reddit, & ex profundis inferorū tenebris in ſplēdidiſſimā cœli lucē educit, Igitur Clamaui, ait ad te domine, ad te, inq̄, non ad humana p̄ſidia confu-

gi, cum ſciam ea omnia in hoc peccati, & fidei conflictu uana eſſe, quandoquidem maximis malorum fluctibus obruti omnes ſumus, ex quibus ut educamur, non humanis, ſed diuinis uiribus opus eſt. Non ad ſacrificia, non ad templum, non ad circunciſionem, non ad legis deniq; obſeruationem, aut ad res meas præclarè geſtas mihi reſpiciendum eſt. Nihil eſt enim rerum omnium, quod me tutò poſſit ſiſtere coràm Deo peccatis opertum, ſordidatum, & ſordidum, ſed quoniam unius eſt proprium Dei peccatorum maculas abſtergere, iuſtificare, ac ſeruare, Ad יהוה *qui rerum omnium eſt exiſtentia, quiq; à ſeipſo ſubſiſtit, qui patribus, ac maioribus meis ſe cognoſcendum aperuit, ad hunc, inquam, potentiſſimum ego infirmus, ad hũc iuſtiſſimum ego iniuſtus, ad hunc ditiſſimum ego egenus, ad hunc clementiſſimum ego omnium mandatorum ſuorum præuaricator de profundis meorum peccatorum abyſſis clamaui, in qua miſer Sathana impellente cecideram.*

DOMINE EXAUDI VOCEM MEAM FIANT AURES TUAE INTENDENTES IN VOCEM DEPRECATIONIS MEAE.

QVamuis interpres hic, & ſuperius nomẽ Dei interpretans eodem uocabulo uſus ſit, In æditione

ta-

tamen hebraica aliud nomẽ ſuperiori loco, aliud hoc ab ipſo Vate uſurpatum fuit. Ibi enim eſt nomen Tetragrammaton יהוה *hic uero nomẽ* ארני *Nomine Tetragrammatō Diuina ſubſtantia declaratur, quam creaturarum nulli communicat Deus, In eoq́; pluralitas perſonarum in ipſa diuina ſubſtantia oſtenditur. Eſt enim nomẽ plurale, & ſonat potius Domini, quàm Dominus, neque id tantùm honoris gratia, ut ait Chimhi, ſed myſterij potius Trinitatis Nomine plurali nuncupatur Deus. Hoc autem nomen, quo nũc Deũ inuocat Vates, uenit à Nomine* אדן *quod baſim, ſeu fundamẽntum ſignificat, & ipſi patresfamiliæ hoc Nomine appellantur, quod inſtar baſis, & fundamentum totam familiam ſuſtentent, alantq́;. Deum itaq; familiæ ſuæ fundamentum, & ſuſtentaculum appellat, in quam cum Vates ſe aſcitum ſciret, illi acceptum refert, quòd tantis malorum fluctibus agitatus, in fide tamen, & ſpe paternæ illius clemẽtiæ perſtiterit, & clamat, Domine exaudi uocem meam. Non orat ſimpliciter, ut uocem ſuam Deus exaudiat, ſed ut potius in uoce (ſic enim habet hebraica æditio) cor, & animum ſuplicantis, & ſpiritum clamantem in uoce Abba pater exaudiat. Niſi enim, et animus orauerit, & ipſe ſpiritus gemitibus inenarrabilibus poſtulauerit, nec ipſam uocem audit Deus.*

FIANT AVRES TVAE INTENDENTES.

CVpiens Vates optatis ſuis Deum attentum facere poſtulat, ſe potius afflari ſpiritu precũ, ut animum attentum ad ea adhibeat, quæ poſtulat, ut non ſpiritu tantùm, ſed mente etiam oret, utq́; quid oret ſciat, & quæ petat, intelligat. Quod pijs omnibus orandum eſt, ne illud aliquando nobis obijciatur, Neſcitis, quid petatis. Diuinæ itaq; aures attentæ, & intentæ fiunt, cum animus alioqui afflictus, & mærens in ſpem erigitur ſe exauditum iri à Deo. Quid autem oraturus ſit unica hac uoce declarat, nempè, ut deprecationis ſuæ uocem Deus exaudiat. precatur autem peccatorum remiſſionem, & diuinam clementiam, & benignitatem תחנוני enim uenit à uoce, חנן quæ gratiam, & gratuitam condonationem ſignificat. Vnum id itaq; contendit, ut ſibi gratuitò Deus delicta condonet, ſeq́; in fidem recipiat. Huius unius rei gratia ſollicitus eſt, & uehementer laborat, quæ quidem rebus omnibus anteferenda eſt, qua ſine uita noſtra ipſiſſima miſeria eſt.

SI INIQVITATES OBSERVAVERIS DOMINE, DOMINE QVIS SVSTINEBIT?

HIc ſe aperit Pſaltes, & ex quibus profundis clamauerit ſignificat, nempè ex profundo pecca-

torum, quorum aculeis cruciatus queribundas uoces effundit, & ad Deum ſuſtentatorem ſuum clamans eorum ueniam ſuppliciter obſecrat. Diluit autem obiecta, quæ fieri poſſent à Deo, uel quæ ſua ipſius conſcientia faciebat, demonſtrans, petita minimè cõcedi non debere, ait itaque.

SI INIQVITATES.

Loquitur non cum Deo (ut ita dicam) abſoluto, huius enim iudicium cum abſolutum ſit, nullo modo argui poteſt. Sed loquitur cum Deo conditionato, & decurtato, iccirco eum non eodem, quò ſupra nomine אדני *ſed nomine* יה *compellat, quod ſanè nomen ipſum Deum abbreuiatum, diminutum, & carne humana ueſtitum ſignificat, littera enim* י *Diuinitatem abſolutam, littera uero* ה *humanitatem aſſumptam declarat. Cum huiuſmodi itaq; Deo parumper diminuto, quippe qui factus ſit homo, agere poſſunt peccatores, iuxta illud, Venite, & arguite me, dicit Dominus, propterea nanq; uenit, & à Deo conſtitutus fuit, ut peccata noſtra repropitiaret, cum ipſo itaque loquitur Dauid in hunc ferè modum, O Deus, & hõ Meßias, qui mihi, & omnibus credẽtib. columen, & fundamentum ſalutis à Deo cõſtitutus es, audi me peccatorum meorum ueniam ſuppliciter precantem, nec mea obijcias mihi peccata. Nam*

ſi tu,cuius eſt munus ea delere,& reproptiare, ea obſeruaueris,& legis norma metitus fueris,quis ea remittet?qua ratione deleri poterunt?Niſi tu me tuendum ſuſcipias,niſi cauſam meam,qui unus es patronus optimus,egeris contra Diabolum me peccati chirographo ſibi deuinctum tenentem,quis aget,quis ſuſtinebit, quis coràm te ſtare certus ſalutis poterit? Nemo quippe mortalium ſuſtinebit. Quandoquidē nòn iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis caro. Nemo itē Angelorum,quādo nec ipſi mundi ſint coràm te. Quis ergo ſtabit?nemo certè, Nam ſi propitiator, & ſeruator peccata obſeruat, ſi damnat, quis propitiabitur?quis ſeruabit?Noli ergo perdere,quem ſeruaſti,qui ad illum, qui perierat, ſeruandum ueniſti. Neminē itaq; perdit,neminē dānat propitiator, ſed uult potius ſeruare oēs,& ad cognitionē ueritatis ſuæ uenire. Quòd ſi qui pereunt,ipſi ſuo uitio pereūt,qui propitiationem, & ſalutē ſibi propoſitā contemnunt, & aliunde illam fruſtrà quæritant morem,& exemplum impij Saulis ſecuti,qui ſacrificij potius oblatione,quàm miſericordiæ imploratione arbitratus fuit peccatum ſuum ſeſe expiare poſſe, ideo ueniam ſupplex non petijt. At contra Vates fecit, qui cum magnopere ueniā à Deo contenderet, eam ſibi præſtandam fidenter ſperat, niſi Deus ſui disſimiles eſſe uelit. Iccirco optima ſpe firmatus, arguit contra

quæ-

quæcunq; obiecta. Si iniquitates (ait) abſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit? q. d. Cum id uni tibi ſit proprium, ut miſerearis, ut peccata deleas, quomodo ea nunc obſeruare uis, ut ulciſcaris? Hoc autem irrefragabile argumento utitur Vates, non ut Deo, ſed ut ſibi, & conſcientiæ ſuæ peccati aſpectu perterritæ, & perturbatæ medeatur, in ſpem diuinæ miſericordiæ erigat, confirmetq́, quo quidem argumento, ut diuinam effert miſericordiam, ita humanam deprimit arrogantiam contra Deum ſeſe efferentem, & de meritis ſuis gloriantem, quandoquidem ſi Deus obſeruare hominum iniquitates uoluerit, nemo omnino in diſtricto illius iudicio ſeruari poſſet.

QVIA APVD TE PROPITIATIO EST ET PROPTER LEGEM TVAM SVSTINVI TE DOMINE

D. Hieronymus ad Iuniam & Fertilam ſcribens dicit Symmachũ, et Theodotionem ſimilitudinem literarum ' & ' ideſt iod, & uau deceptos, eoſq́ pro תירא legiſſe תורה ſed non ſatis apparet, quomodo in hoc decipi potuerint, cum in Fine unius dictionis ſit litera א alterius uero ה utranq́ tamen lectionem apud hebræos fuiſſe crediderim, quarum alteram ſecuti ſunt Symmachus, & Theodotiõ, alteram autem interpres noſter, ſi itaq; תורא legas ſic uertendum, & diſtinguendum erit. Quia apud te propitiatio eſt, ut

time-

timueris, ſed ſi תורה *legeris uertendum, & diſtinguendum erit, ut in æditione uulgata. Vtrãque autem lectionem piam certè proſequar, ſignificari itaque uoluit uates ſe nõn temerè, aut fruſtra confugiſſe ad Deum, peccatorum ueniam poſtulaturum, quã do propitiatio alibi nuſquam reperiri poßit, q̃ apud ipſum Deum, non apud templum, circunciſionem, & opera legis, ſed apud te unum una eſt propitiatio, iuxtà illud, ego sũ, qui deleo iniquitates tuas propter me metipſum, ſic autem dicit Propitiationem eſſe apud Deum, ut Deus ſine ipſa nunquam eſſe poßit, cũ itaq; cognoſcat illam perpetuò Deo aßidẽtem, et cum eo ſemper cõiunctam intelligat, minimè dubitat, ſed in certã ſpem uenit, peccatorum ueniã ſe facilè impetraturum, quia apud te ò Deus eſt propitiatio. Hoc eſt autem maximum, & unicum pænitentis peccatoris ſolatium de diuina clemẽtia ſpem nõ abijcere, ſed certum habere apud Deum eſſe propitiationem, & fortaſſe ad illam propitiationem alludit, de qua Ioannes in hunc modum ſcribit, Fratres hæc ſcribo uobis, ut non peccetis, ſed ſi quis peccauerit, aduocatum habemus Ieſum Chriſtum iuſtum, ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Cum itaq; pater nunq̃ fuerit, aut eſſe poßit ſine filio omnium propitiatore, ipſum adire fidenter poſſumus, peccatorum ueniam petituri.*

PROPTER LEGEM TVAM SVSTINVIT TE.

VNde autem tantam de Deo propitio ſibi futuro ſpẽ conceperit, declarat, nempè ex uerbi, & doctrinæ ipſius auditu, Propter legem tuam (ait) ſuſtinui te domine. Idem aũt eſt Suſtinui, quod confiſus ſũ, & promiſsis tuis innixus expectaui peccatorũ meorũ condonationem. Idem quoq; eſt propter legem tuam quod eſt gratia & beneficio doctrinæ tuæ, qua quiſquis piè eruditus fuerit, uera, & germana Dei cognitione imbuitur, in fide, & ſpe diuinæ miſericordiæ confirmatur. Te, inquit, ſuſtinui domine, propter legem tuam, propter cœleſtem, & diuinam tuam doctrinam, quam à maioribus de manu in manum traditam accepi. At ſi iuxta hebraicam æditionem legas, Propterea timeris, aut Vt timearis, uidebitur Vates afferre rationẽ, cur ſibi uni ſeruarit Deus peccatorũ condonationẽ, nempè ut ipſe ſolus colatur. Vbi .n. eſt peccati remiſsio, ibi eſt Deus, propterea qui alteri cuiuis rei peccatorũ remiſsionẽ acceptã refert, eã ipſe ſibi Deũ conſtituit, idololatriæ crimen incurrit. Eccleſiæ quidẽ miniſtri remittũt, iuxta illud, Quorũ remiſeritis peccata, remiſſa ſunt. at huius remiſsionis nõ ſunt ipſi authores, ſed miniſtri, & diſpẽſatores myſteriorum Dei. In hac autem re pars maxima diuini cultus poſita eſt, quod ad mortalium peccata ſæ

pè conniueat, nec ea meritis ſupplicijs ulciſcitur, ſed potius clementer ignoſcit. Non enim iuſtitia illa tantùm punitiua apud Deum eſt, ſed propitiatio quoq; apud ipſum eſt, ad quam quicunq; ſupplex conuertitur, & peccatorũ condonationẽ petit, facile eã cõſequitur. Quia beneplacitũ eſt domino ſuper timẽtes eum, & in eis, qui ſperant in miſericordia eius.

SVSTINVIT ANIMA MEA IN VERBO EIVS SPERAVIT ANIMA MEA IN DOMINO.

IVxta hebraicam aditionẽ ſic diſtinguendũ, & legẽdũ erat. Suſtinuit dominũ, ſuſtinuit anima mea, & in uerbo eius ſuperſperaui. Suſtinere autem dominum eſt toleranter expectare diuinas promiſsiones, quibus innixus, ac ſuſtentatus animus non labatur, non diffidat. Quòd autem dicit Suſtinui, ſeu expectaui, ſignificat quandam animi moleſtiam, atque impatientiam, qui diuturna ſpe productus quaſi deficeret, fatigata etenim fides labaſcit, & exigua ſpes cum deſperatione luctatur, ac propè ſuccumbit, propterea uir pius oſtendit, ſe ęgrè, ſuſtinere dilationem diuinarum promiſsionum. Non enim animalem hominem deponere uel ſanctiſsimi homines poſſunt. is in expectandis diuinis promiſſis concideret, niſi à ſpirituali homine ſuſtenta

ta

taretur. Videtur vates de hoc animali homine ratiocinari, Suſtinuit (inquit) anima mea, expectauit illa quidem, nec omnino defecit à Deo, nec promiſſiones illius inanes arbitrata eſt, at non ſine graui moleſtia dilationem earum tulit. Quid autem facit ſpiritualis homo. In uerbo tuo (inquit) ſuperſperaui, non ſimpliciter expectaui, ſed ſuperſperaui, ideſt quam maximè fiſus ſum, ſupra quàm carnalis, & animalis homo ſperare poſſet, contra omnem ſpem in ſpem credidi, fides cum infidelitate, ſpes cum deſperatione diu luctata ſuperauit. Quamuis enim in profundis malis uerſarer, nec ulla ſalutis ſpes ſeſe mihi oſtenderet, uerbo tamen, & promiſſo Dei innixus nunquàm de ſpe decidi, ſed fidei filum ſecutus ex ipſis inferorum portis euaſi. Hinc uidere eſt, quam neceſſaria ſit uerbi Dei cognitio, quando huius ſolius lumine ex profundis quorumq; malorum tenebris poſſimus in apertam cœli lucem emergere. Quanta item ſit uerbi uis & dignitas ex eo perſpici poteſt, cũ Vates ea tribuat Verbo, quæ ſoli Deo tribui poſſunt. de Deo perſæpe dicit, ſperauit anima mea in domino, idem de Verbo dicit. In uerbo eius ſuperſperaui, ſpes enim, quæ ex uerbo Dei concipitur, de Deo eſt, idem nobis eſt uerbum, quod Deus, qui ſe in uerbi myſterio nobis cognoſcendum, & amplectendum exhibet.

A CVSTODIA MATVTINA VSQVE AD NOCTEM SPERET ISRAEL IN DOMINO.

HVnc uerſum hebræi aliter diuidunt, & interpretantur, atq; etiam D. Hieronymus. nempè hoc modo, Anima mea ad dominum à cuſtodia matutina uſq; ad cuſtodiam matutinam. Quod uerò ſequitur, ſperet Iſrael in domino, id cum ſequenti uerſiculo iungunt. Quamuis aliter legant, & diſtinguant hebræi, quàm noſtra habet æditio, ſenſus tamen idem eſt. Vates autem elegantiſsima hac metaphora cuſtodum, animi ſui ſtatum exprimit, quippe quòd ſe in profundis malorum, & peccatorum uorticibus non ſecus habuerit, ac cuſtodes in profunda, ac tenebricoſa nocte. quemadmodum noctis tenebras, ac moleſtiam ſpe exorituræ paulopoſt lucis cuſtodes ſuſtinēt. Ita Vatis animus in peccatorum tenebris, in ipſa umbra mortis memor priſtinæ lucis iuſtitiæ, ac ipſius Dei beneuolentiæ erga ſe, eandem in peccatum lapſus non deſperat, ſed afflicto eandem ſibi mox affuturam ſperat, & expectat, neq; dubitat, quemadmodum dubitandum non eſt, diem nocte perpetuò ſucceſſurum. Anima (inquit) ad dominum à cuſtodia, ſeu uigilia matutina uſque ad uigiliam matutinam. Inter ambas itaque uigilias matutinas nox intercedit. Vigilia prima eſt ea lux, quæ primum cor

di

di noſtro affulget, quæ nos in Dei cognitionẽ inducit, qua præuia a regno Sathanæ ad regnũ Dei uenimus Mox luci huic ignorantiæ nox, tentationem, & malorum tenebræ ſuccedunt, quæ plerunque ſic oculos perſtringunt, ut primam illam Lucem intueri non poßimus. Quid igitur tunc nobis agendum? Verbi Lucerna ait D. Petrus in hoc loco caliginoſo accendenda eſt, & ſequendum Vatis exemplum, cum dicit, In uerbo tuo ſuperſperaui. Accendenda eſt autem, donec rurſus lucifer oriatur in cordibus noſtris, non eam deſperare, ſed potius expectare certa ſpe debemus, reuertetur enim, quia non in perpetuum iraſcitur dominus populo ſuo, nec in ira ſua miſerationum ſuarum obliuiſcetur. Quamuis igitur profundißima atq; et longißima tentationũ nox priori luci ſuccedat, cordi & tantas tenebras offundat, ut dãnati perpetuis tenebris uideamur, Non tamen deſperãdum, ſed rurſus diuinæ gratiæ lux expectanda, utendum interim face uerbi Dei, ut in tantis tenebris nõ offendamus. Ad modicum nanque derelinquit nos dominus, ut in ſempiternum miſereatur.

Spe-

SPERET ISRAEL IN DOMINO, QVIA APVD DOMINVM MISERICORDIA ET COPIOSA APVD EVM REDEMPTIO.

Vates à ſe ipſo ad uniuerſum Iſraelem orationē ſuam conuertens piè hortatur, ut eodem animo eademquè fide omnes ſint erga Deum in profundis malis, quā & ipſe in malis ſuis præſtitit. Docetq́ ſuos exemplo nequis aliquando de Dei miſericordia deſperet, neq; dicat. Non ſum ego ſimilis Dauid, qui Deo charus fuit, & ſecundum cor Dei inuentus, qui plurima,eaq́ egregia, & præclara merita habuit, ideo de diuina miſericordia ſibi plurimùm polliceri poterat, at qui ego peccatis onuſtus tantùm auſim ſperare? Nemo, inquam, ſic loquatur, nam ſi tribunali Dei ſiſtamur omnes, & diuinæ legis rei agamur, æquales omnes ſumus, nec ullus omnino eſt qui fretus iuſtitia ſua ſola ad Deum ſecurus poſſit accedere, Dauid ipſe in profundis malis nequaquā merita ſua reſpexit, in multitudine iuſtitiarum ſuarum non conquieuit, neq; rurſus in multitudine & magnitudine ſuorum peccatorum de diuina miſericordia deſperauit, ſed in Deum, & in miſericordiam illius, quam uerbo apprehendit, ſe totum coniecit. Quamuis igitur non ſimus omnes prædiuites meritis, ut Dauid, in malis, & in peccatorum ſen

ſu

ſu non eſt abijcienda ſpes, quando uideamus & ipſum Dauidem in huiuſmodi ſtatu meritorum ſuorum ob liuiſci, & in ſolo diuino uerbo ſpem ſuam ponere. Quòd autem cupiat Vates, quemcunque Iſraelitam eandem fidem, eandemq́ ſpem retinere, quam ipſe re tinuit, ex eo conſtat, quod eodem utatur uerbo, quod eſt, Speret Iſrael in Domino, quo ſupra uſus eſt, cum dixit, ſuperſperaui, ac ſi dicat, Quemadmodum ego ſperaui, uos quoque ſperate, quia non confundemini, quoniam neq; ego ſum confuſus. Iſraelem autem uni uerſum alloquitur, ſed non omnes ex Iſraele hanc uocem percipiunt, ut obtemperent, Carnalis etenim Iſrael in ſeipſo ſperat, non in Domino, ponitq́ carnem ſuam brachium ſuum, & in multitudine iuſtitiarū ſuarum confidit, circunciſionem, templum, ſacrificia & id genus alia iactat, Facit hoc autem Iſrael carnalis, quòd non apud Deum, ſed apud hæc omnia credat redemptionem, & propitiationem eſſe. At Iſrael ſpiritualis hæret uerbo, quo doctus diſcit, ſperare in Domino.

QVIA APVD DOMINVM MISERICORDIA, ET COPIOSA APVD DEVM REDEMPTIO.

HÆc eſt unica ueri Iſraelis fiducia, quia apud Deum uel (ut textus hebræus habet,) in Deo eſt

miſericordia, qua ſit maximè propenſus ad alienam miſeriam leuãdam. Quod cum Iſraeli ſit perſuaſum, uel in ſumma rerum deſperatione cum ſe maximè iratum Deus oſtendit, in ipſo ſperat, & ſub iræ uelo latentem lucem diuinæ clementiæ fidei oculis intuetur. Copioſa ſiquidem eſt apud ipſum redemptio. Quoniam iuſtus ſepties in die cadit, & freqūeter peccat, ex hac peccandi frequentia fit, ut ipſe aliquando deſpondeat animum, ac de diuina miſericordia diffidat, quaſi ſit Deus pauper in miſericordia, & miſerationibus, ideo teſtatur Vates multam, & copioſam apud eum eſſe redemptionem, de qua peccator ſibi plurimùm polliceri posſit. Quãuis.n. multa ſint, & copioſa peccata noſtra, Dominus tamen, qui diues eſt in miſericordia, ea nobis facilè, ac benignè condonat. Hanc fiduciam ut uel in profundis malorum, & peccatorum tenebris retineamus, hortatur, Abſit autem, ut diuitijs diuinæ bonitatis quis abutens in peccato ſuauiter cubet, Maledictus enim qui peccat in ſpe, dicitq́, Magna eſt miſericordia Domini. ſed illud potius agendum, ut hac ſpe nos ipſos à peccatis Sanctificemus. Sic etenim docet D. Ioannes, Qui habet, inquit, hanc ſpem, Sanctificat ſeipſum, ſicut, & ipſe Deus Sanctus eſt.

ET IPSE REDIMET ISRAEL EX OMNIBVS INIQVITATIBVS SVIS.

SVpra dixit Iſraelis redemptionem apud Deum eſſe, hic uero dicit ipſum Deum Facturum eſſe hāc redemptionem, & Iſraelem redimendum uaticinatur. Quod n. apud nos in tempore fit, id apud Deum, eſt ante omne æuum, quia Deo nihil præteritum, nihil futurum eſſe poteſt, ſed omnia ſunt præsētia. Tam itaque Iſrael redemptus, iam ſeruatus erat apud Deum ſaluatione, & redemptione æterna in Domino, ideſt in filio, & per filium. Quoniam uero hæc ſaluatio, ac redemptio ſtatuto tempore erat facienda, ad illam longè in futurum proſpicit, & hoc loco uaticinatur, Speret (inquit) Iſrael in Domino, qui ſuo tempore perficiet, redemptionem, quam apud ſe ratam, & firmam ab ipſa æternitate habet. Ipſe, ipſe (inquit) non Angelus, nō Propheta non creatura aliqua redimet Iſraelem, non certè ex ægyptiacà, aut Babilonica captiuitate, non ab hoſtibus, non ab his malis, quibus premitur caro, ſed ab iniquitatibus ſuis, in quibus uenundatus eſt, & captiuus detinetur. Ex mundana ſeruitute, ex huius uitæ malis homines ipſi uel Angeli liberare poſſunt, quorum opera perſæpe uſus eſt Deus in ſeruandis ſuis. Verùm à captiuitate peccati, & mor-

tis ipſe Deus per ſemetipſum liberare decreuerat, quandoquidem ea eſt huiuſmodi liberatio, ut ne creaturæ quidem uniuerſi illam efficere coniunctis uiribus poſſent. Ipſe itaq; redimet non quoſcunq;, ſed Iſraelem, non omnem Iſraelem, ſed Iſraelem tantùm ſperantem in Domino, & plurimùm de illius miſericordia in Chriſto reuelata fidẽtem, in ipſa gloriãtem, & ſpem gloriationis ſuæ ſanctis operibus confirmantem. Hunc itaq; Iſraelem redimet Dominus redemptione æterna atq; perfecta, ut nihil iam ſuperſit dãnationis, redimet non ab hoc, aut ab illo peccato, ſed ab omnibus iniquitatibus ſuis, ut iuſtificemur coràm Deo, iuxta illud, Iſrael in Domino iuſtificabitur. Supereſt, ut in tantis huius uitæ procellis ad hanc ſpei anchoram confugiamus, fixam, firmamq́ teneamus, nec ullo tempore dimittamus, magnam nanq; illa habet remunerationem, præſertim ſi firmiſsimo Dei uerbo ſit innixa, & benefactis confirmata.

CANTICVM GRAD. XII.

PSAL. CXXX.

DOMINE NON EST EXALTATVM COR MEVM NEQVE ELATI SVNT OCVLI MEI.

Nihil intentatum prætermittit Sathanas, ut pios homines à curriculo pietatis abducat, & tranſuerſos agat, ſi ſecundæ res illis fluant, conatur improbus proſpero rerũ ſucceſſu ita eorũ animos efferre, ut pietatis obliuiſcatur; ſin id fruſtra conatur, aduerſis rebus eos exercet, ut ad deſperationem impellat. Quod ſi uel hac ſibi non ſuccedit uia, alia aggreditur, & piorum mentibus eorum benefacta ſubijcit, fidem, pietatem, conſtantiamq́ eorum ipſis oſtentat, ut inani quadam ſui admiratione affecti ſibi placeant, de diuina uirtute nonnihil detrahant, quod ſibi impiè arrogent, et in ſe glorientur. Nulla.n.(ut ait Max) tanta eſt humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur, cũq́ ſuperbia ex benefactis naſcatur, quã Saluſtius cõmune nobilitatis malum appellauit; minimè dubitãdum eſt, ſathanam omnia molitum fuiſſe, ut in hãc animi elationem Dauidem induceret, cũ ipſum reuocaret ad ſua benefacta contẽplanda, cũ nobilitatis, & regiæ dignitatis gradum, quæ inſtru

menta ſuperbiæ ſunt, oculis eius ſubijceret. Adde uictorias, quibus plurimis, & maximis ornatus fuit. Adde etiam Prophetiæ donũ, quo maximè claruit. Huc accedebat ſumma pax, ſummaq; trãquillitas, quam ſibi, & regno ſuo bellando comparauerat. Quibus tot nominibus Dauid commẽdatus opportunus uiſus fuit Sathanæ dolis, nempè ut in ſumma fœlicitate ſumeret magnos ſpiritus, ac de ſe ſublimè ſentiret. quod tamen ſecus factum fuiſſe hoc Pſalmo oſtẽditur. Nam ipſe ſemper humilis fuit, cuius rei illud eſt argumentum, quòd uiribus, & uirtutibus ſuis nihil tribuens Deo totum tranſcribit, cuius munere tot bonis auctus, & cumulatus fuerat, Ait igitur.

DOMINE NON EST EXALTATVM COR MEVM, NEQVE ELATI SVNT OCVLI MEI.

HVmili, & obſcuro loco natus Dauid, gregem patris paſcebat. cui unà cum fratribus nulla adhuc uirtute commendatus fuerat. rudis erat, & ut ipſe fatetur, litteraturam ignorabat. At dominus de poſtfœtantibus accepit eum, nec fratribus tantùm antetulit, ſed & Regno praeſſe uoluit, fuſis tandem, ac deletis hoſtibus, pacem, ac tranquillitatem donauit. Non propterea tamen elatum eſt cor ipſius, id quod difficilè, ac penè impoſſibile eſt. nam & ipſe aliàs de uerè timente Deum loco miraculi dicit.

Glo-

Gloria, et diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. De ſe itaq; humillimè ſemper ſenſit, ſuæ conditionis memor nullos priſtinæ ſuæ ſortis contemnebat, aut cuipiam ſeſe anteferebat. Cor etenim altum, & oculos ſublimes odit altiſsimus. Illud autem diuinæ gratiæ munus agnoſcens, eo ita lætatur, ut innumerabilia penè alia ſibi cōceſſa munera taceat, hoc uno gloriabundus, quippe quòd omnibus alijs iure præferri poſsit, quãdoquidem ſine ipſo cætera conſequi non potuiſſet, quin ſine ipſo uirtutes in uitia mutantur. Per antitheſim autem ſuſuperbiæ, & elationis crimen maximè deteſtatur, quòd ea ſit omnium malorum radix, quòd Deo aduerſatur, nam quæ dona unius Dei ſunt, ea ſolet homini aſcribere, & quæ ſua ſunt mala in alios reijcit. Tam exitiali itaq; ſe morbo non laborare affirmat, & huius uirtutis laudẽ Deo tranſcribit. Domine (inquit) non eſt exaltatum cor meum, Cor autem exaltatur, quando ſe ſupra ſeipſum effert, ac de ſe ſublimius, q̃ par eſt, ſentit, non gloriabatur mundum ſe habere cor, cũ diceret, cor mũdum crea in me Deus ideo ſubmiſsè ſe geſsit, quòd cordis ſui immudiciam præ oculis ſemper habebat.

NEQVE ELATI SVNT OCVLI MEI:

EX tribus illis, quæ maximè odit Deus, ſublimes oculos eſſe Salomon ait, de quibus Eſaias, oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & incuruabitur altitudo uirorum, exaltabitur autem Deus ſolus in illa die, ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & oculi ſublimium deprimentur. Oculos autem eleuatos, ſeu ſublimes arrogantiæ uitium intelligit, quod ualde abominetur Dominus Prou. 16. Arrogantiã aũt ex copia, & rerũ omniũ affluentia enatam eſſe Cicero teſtatur, quæ quidem odioſa eſt, ſed ingenij, & ſapiẽtiæ eſt moleſtiſsima. Hæc ille. Sublimes itaq; oculos habet, qui ſibi ſapientiam arrogat, & ſapientis nomine gloriatur. Nam qui ſe ſublimè efferunt, ſublimia tantùm intuentes, humilia quæq; aſpernantur, faſtuoſo incedunt greſſu, phaleratis uerbis loquuntur, atque infra ſe omnes deſpiciunt. Humilis igitur Dauid, ſeq; humiliter gerens magnum effert diuinæ gratiæ donum, quo ornatus nulla re ſua, ſed diuinis tantùm muneribus gloriatur.

NEQVE AMBVLAVI IN MAGNIS.

VBiq; ferè in ſacris litteris hoc uerbum Ambulare pro conuerſatione, morum, actionumq́; inſtitutione accipitur. Ambulare itaq; in magnis, ſeu in magnificentijs, eſt humilia deſpicere, cum infimis, et abiectæ fortunæ hominib. nullã habere cõſuetudinẽ, ſed eã dedignari; ſed magnifica, et quæ humanæ cõditionis ſtatum excedant ſectari, id quod maximæ eſt arrogantiæ, & ambitionis indicium. Dauid uidetur confiteri nullis malis artibus ſe neque poteſtatem regiam, neq; ambitioſè propheticam uirtutem affectaſſe. Quòd in regio throno conſtitutus ſui regni finibus contentus aliena regna non inuaſerit, nec ciuiũ opes expilarit, ſed ſua ſorte contentus humilem ſeſe facilem, affabilemq́; omnibus præſtiterit, ſummis, infimisq́; æquè benignus fuerit. Non ambulaui (inquit) non ambiui magnifica, quæ conditionem, & ſtatum meum excederent.

NEQVE IN MIRABILIBVS SVPER ME.

AMbitio eſt mater hypocriſis ait D. Bernardus. Hypocritæ autem cum aliter ſibi, aliter populo uiuant, quædam præter humanæ uitæ cõſuetudinem arripiunt, quibus homines in ſui admirationem pertrahant, admirabilem enim, Sanctitatis ſpeciem præ-

ſeferunt, ut iam non homines, ſed Angeli appareant, atque huc omnia referunt, ut ſibi ſanctitatis famam concilient, & tam ſpecioſo operculo ignaros decipiant, & in eorum bonis luxurientur. Huiuſmodi autem actiones נפלאות *appellat, quia uox iſta ea ſignificat, quæ fiũt præter naturæ ordinem, & ſingularia apparent. Dicit igitur Vates, ſe non ita ambitioſum, aut arrogantem extitiſſe, ut inuſitata actionum ſuarum ſingularitate cupierit homines in ſui admirationem adducere, & falſa obiecta ſanctitatis ſpecie, ſanctitatis famam captare, quod hypocritarum eſt ſeſe, atque alios fallentium, id quod Numam Pompilium, Lycurgum, & poſterioribus temporibus Maumethum feciſſe legimus. Non itaque miraculum aliquod ſimulauit, aut egregium aliquod factum ſtudio, atque arte molitus eſt, ut ſeſe populo oſtentaret, aut aliquam de ſe ſupra ſe opinionem illi afferret. Iccircò ait, non ambulaui in mirabilibus ſuper me, ideſt non me oſtentaui mirabilem nec aliter mihi, aliter populo uixi, neque ea arroganter, ac temerè aggreſſus ſum, quæ uires meas, ſtatum, & conditionem humanæ uitæ excederent, neque mirandum me, neque quaſi Numinis loco colendum ulla in rē exhibui, quod hypocritæ faciunt, quos eo eulogio notauit Ieſus Chriſtus, ut ſub ouina ſpecie luporum ingenium, & mores imitentur.*

Si

SI NON HVMILITER SENTIEBAM, SED EXALTAVI ANIMAM MEAM.

QVamuis hebraica æditio aliter habeat, quàm uulgata, utraque tamen eundem ſenſum habent, Vates enim iureiurando affirmat de ſe ſubmiſſè ſemper ſenſiſſe, nec unquàm ſeſe ſuper ſe extuliſſe, Hunc autem animi ſui ſenſum elegantiſſimè refert hebraica æditio, quæ ita habet. Si non æquabam, & ſilere feci animam meam. Quo quidem loquendi tropo ſignificat Vates ea ſe animi humilitate ſemper præditum fuiſſe, ut quamuis cæteris dignitate, authoritate, & ſapientia præſtaret, nulli tamen ſe unquàm antepoſuerit, ſed omnibus ſeſe æqualem reddiderit, ſeq́ cum cæteris omnibus mortalem, & peccatorem appellarit, & neminem contempſerit, quemadmodum ſuperbus ille, ac ſibi nimium placens phariſæus, Qui non ſum (inquit) ſicut cœteri homines, ueluti etiam hic publicanus. Si non æquabam, ait Vates idest ſi de me ſublimius quicquàm ſenſi, quamuis enim hominum iudicio, omnibus ferè rebus præſtantior eſſem cæteris, in diuino tamen iudicio, apud quod non eſt acceptio perſonarum, in quo gloriari nemini licet, eam de me opinionem habui, quam de cæteris hominibus habeo, Æquabat item ſe Vates, quamuis enim præeſſet omnibus, iiſdem

tamen legibus uiuebat, quibus et cæteri ciues, iuxta illud, Patere legem, quam tu ipſe tuleris.

ET SILERE FECI ANIMAM MEAM.

Nulla, ut ſuperius dictum eſt, tãta eſt humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangantur. Laſciuit .n. animus in ipſis etiam Dei donis, illis ſuperbit, & gloriatur, quaſi gratuitò non acceperit, quod licet minus appareat, occultè tamen ipſe ſecũ gloriatur, illius ergo eſt compeſcenda temeritas, & luxuries depaſcenda huiuſmodi ſententijs. Quid habes, quod non accepiſti, Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis. Sileat omnis caro à facie Domini, eluat omnem propriæ uirtutis opinionem, ſua merita conticeſcat, diuinam autem, & ſolam Dei gratiam, & miſericordiam quantis poteſt maximis laudibus efferat.

SICVT ABLACTATVS SVPER MATRE SVA ITA RETRIBVTIO IN ANIMA MEA.

D. Hieronymus ueritatẽ hebraicã ſecutus uertit, ſicut ablactatus ſuper matre ſua, ita ablactata eſt anima mea. Interpres autem noſter idem nomen גמול *quod ablactatus ſignificat, retributionẽ interpretatus eſt, quia per trãſlationẽ id ẽt ſignificat, ipſa nanq;*

nãq; ablactatio quædam uidetur eſſe lactis retributio. comparat igitur Vates animum ſuum puerò ablactato, qua quidem comparatione ſignificat animi ſui humilitatem, & ſtudium, quo ſe in ea perpetuò conſeruauerit. Puerorum autem illud eſt propriũ, ut quamuis nobili genere ſint nati, & diuitijs affluant, nemini tamẽ ſeſe præponãt, & præter ea, quæ ad ſuam ætatem pertineãt, nihil curant, ſe propterea omnib. affabiles, atq; obuios exhibẽt. Iccircò et Ieſus Christus humilitatẽ docẽs, cõmendansq́; hac puerorũ ſimilitudine uſus eſt, Niſi, inquit, efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnũ cœlorum. Ablactato aũt, et ab uberibus auulſo puero ſe cõparat, ut declaret, ſeſe animi ſui aſſentatorẽ, aut adulatorem nõ fuiſſe, quod quidem uitium pernicioſiſsimum eſt. ut .n. ferarũ omniũ peſsimus eſt tyrãnus, ita cicurũ peſsimus eſt adulator. Adulamur aũt, et blãdimur nobiſmetipſis, quando de nobis magnificè ſentimus. Tunc .n. nos ipſos quaſi lactamus. q̃d ſanè uerbũ apud ſacros & prophanos authores adulãdi, ac decipiendi uim habent, iuxta illud Solom. Prou. 1. Fili mi ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis. & aliàs, Vir iniquus lactat amicũ ſuum. Oblectabatur quidem Vatis animus lacte adulationis, at cùm probè intelligeret, quàm ualdè illud ſibi nociturũ foret, ab huiuſmodi dulci, ſed pernicioſo guſtu animum

ſuum

ſuum ablactabat, & illum ceù infantem inſtar matris nutriebat ſolidiore cibo, ideſt nihil ſibi blandiebatur, quin ſe potius acriter arguebat & detrahens ueritati fucos, qui ipſiſſimus eſt animorum cibus, ipſam ſibi proponebat.

SPERET ISRAEL IN DOMINO EX HOC NVNC ET VSQVE IN SECVLVM.

TVnc nos peccatores lactant, quando ut in nobis fidentes ſimus, iubēt, ut noſtratia magnifacientes in illis ſpem ſalutis locemus. Solido autem cibo nos paſcunt ſanctiſſimi Vates, quando nos à noſtri fiducia auocant, atque ut in Domino tantum ſperemus, docent, quæ una certè ſpes nos alit ad immortalitatem & quæ nos ſanctificat, ſicut ipſe ſanctus eſt. Monet D. Paulus Timoth: ut diuitibus huius ſæculi præcipiat, non ſublimè ſapere, neque ſperare in certo diuitiarum, ſed in Deo uiuo. Sperent gentes in Diis ſuis, ſperet ſapientes in ſapientia ſua, & fortes in fortitudine ſua, ut ſpe ſua fallentur, Iſrael aūt ſperet in domino, ab illo totus pendeat, illo nitatur, in illo glorietur. Speret, in quam, Iſrael non certo quodam tempore, non hac uel illa tantum occaſione, ſed ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. Nullum ferè tempus exiſtimet Iſrael, in quò ſibi fidere poſſit, ſed ſciat, Deo perpetuò fidendum. Quandoquidem nos

ſemper exiles, ſemper tenues, ac nullius frugis ſumus, Dominus autem fortis et potens. & multæ erga nos clementiæ, & benignitatis. De ipſo igitur nunquàm deſperet Iſrael; ſed potius ſperet ex hoc nunc, & uſque in ſæculum.

CANTICVM GRAD. XIII.

PSAL. CXXXI.

MEMENTO DOMINE DAVID, ET OMNIS MANSVETVDINIS EIVS.

SVperioribus Pſalmis declarauit Pſaltes qua animi pietate, & qua fide colendus ſit Deus ab omnibus pijs, tam in aduerſis, q̃ in ſecundis rebus, tam in publicis quàm in priuatis negotijs. Hoc uerò pſalmo tractat de externo cultu, quē Deus ipſe certo in loco, certisq; ritibus, & ſtatutis ſanxerat, et per Moſen ſibi præſtandũ præceperat. Huius autem externi cultus Deo præſtãdi nõ minus ſtudioſus eſſe uir pius debet, q̃ præcipui illius interni, qui ſola fide Deo exhibetur quandoquidem utriuſque inſtitutor, & author eſt Deus. De ritibus autem, ſeu cæremonijs inſtituendis, non tractat Vates, cum hæ inſtitutæ iam per Moſen fuiſſent, ſed tractat de loco,

in quo templum diuino externo cultui ſacratum, eſſet erigendum, qui quidem locus uſque ad ipſius Dauidis tempus fuerat incognitus, nec cuiquam prolibito ſuo faserat hunc locum eligere, quia Dominus eum ſibi eligendũ ſtatuerat, ut uidere eſt Deut. 12. Vt enim non niſi à ſe inſtitutis ritibus ſe coli uoluit Deus, ita nõ niſi in loco à ſe ipſo conſtituto adorari, & inuocari uoluit. Nam ſi quis alio modo, & alio loco ueneratus Deum fuiſſet, hic non uerum Deum, ſed ſuæ mentis idolum coluiſſet, id quod à Gẽtibus factitatum uidemus, quæ quocunque loco, & quibu ſcunque à ſe excogitatis ritibus Deum colebant. Nemo erat qui ignoraret hunc locum in terra Chanaam eſſe deligẽdum, quod olim Iacob proficiſcenti Charam reuelatum fuerat, & quia, ut uetus traditio habet, eo in loco ubi præclariſſimam illam Apocalypſim habuit Iacob, Hieruſalem condita eſt, in ea item eligendum eſſe locum pro certo habebatur, in quo templum conſtrueretur, ſed quanam in parte urbis locus iſte eſſet, penitus ignorabatur. Arca quidem huc, atque illuc pro arbitrio duci poterat, Tabernaculum autem, & altare nequaquam. Iccircò cum Dauid reduceret Arcã ex Cariath in urbem ſuam, reliquit Tabernaculum, & altare in Gabaon, nec illud inde aliò transferre ſine diuino oraculo auſus fuit. ex repentino nanque Ozæ

interitu didicerat; quod quemadmodum nec ullo pa cto, nec alio quouis modo Arcam deferre licebat, quàm à Deo fuerat inſtitutum, item tabernaculum & altare non niſi in loco, quem ſibi delegiſſet Deus erigere licebat, multis uero de cauſis optabat Vates hunc ſibi locum diuinitus reuelari, id quod pius quiſ que unà cum eo optabat, quia ſi altare in Gabaō, Ar ca uerò in Hieruſalem figeretur, ſchiſma exoriturum fuiſſet in populo, & Dei cultus diuiſus eſſe uideretur cum pars populi in Gabaon, pars uerò in Hieruſalē ſua uota perſolueret, & uarijs ritibus Deum coleret, quod Roboam regnante, factum fuit. Adde quòd ta bernaculum illud Moſis ex caprinis pellibus conſta bat, ideo breui temporis ſpatio labefactari, corrūpiq; poterat, quo corrupto, & temporis uetuſtate conſum pto, ipſe quoq; Dei cultus corrūpi, atq; conſumi poſſe uideretur. Vt igitur certus Dei cultus certò aliquo loco ſtabiliretur, optabat David, ut is ſibi locus oſten deretur, in quo templum ex uiuis lapidibus conſtrue ret, & in quo Arcam, & Altare collocaret, in quod uniuerſus Iſraeliticus populus conueniret, et ijsdē ri tibus Deum coleret. Hoc ipſe ardentiſſimis ſemper uotis precatus fuit, eò autem ardentius eo tempore, cum ut 2. Reg. 24. & 1. paralip. 21. uidere eſt, uidit Angelum Domini ſæuiſſimæ peſtis gladio peccatum ſuum, & totius Iſraelis ulciſcentem, cuius iram cum

OO pla

placare cuperet ſacrificiis,& holocauſtis, nec tamen timore impeditus in Gabaon proficiſci poterat, ut ſuper altare propitiatorias hoſtias offerret, ſacco, & cilitio indutus unà cũ ſenioribus populi, Tunc, inq̃ temporis maximè optauit, & fuſis lachrymis petijt hunc ſibi locum reuelari. At Angelus domini per prophetã Gaad ſibi præcepit, ut erigeret altare in ara Ornæ Iebuſæi, & ſuper illud holocauſta inferret. Tunc ipſe intellexit aram Ornæ Iebuſæi eſſe locũ, in quo templum cũ altari eſſet conſtruendum, ut ibi in perpetuũ Dei nomen coleretur, Hic igitur pſalmus totum hoc negotium tractat, & uaticinatur de Meſſia, ac de regno illius cuius figuram tẽplum illud erigendum gerebat, Humi itaq; proſtratus, cilicio indutus, & maximo dolore confectus ob peſtem, quæ in populum ſuum dirè graſſabatur, cum lachrymis in hæc uerba prorũpit.

MEMENTO DOMINE DAVID, ET OMNIS MANSVETVDINIS EIVS.

MAximo animi dolore ſe confectum Dauid his uerbis oſtendit, cum uideret populum ſibi cariſſimum Angeli gladio cadentem, & ſæua nimis occidione occidi. Orat itaq; in hunc modum, Memento Domine Dauid, quod non eſt aliud, q̃ ſi dicat, nimio dolore premor, ac propè exanimor. Ego, ego inquam ſum qui deliqui, in me uno culpa omnis hæret, quid

iſti

iſti, qui oues ſunt, mali fecerunt? uertatur igitur in me unum, & in domum patris mei manus tua, tua in me unum ira deſæuiat, & abſumat. Id autem augebat non mediocriter dolorem ſuum, quòd non modo populum miſerè cæſum, & peſtilentia abſumptum uideret, idq́ ſua ipſius præſertim culpam, ſed quia nullus ſibi dabatur exitus, ut in Gabaon proficiſcetur diuinam iram hoſtis & ſacrificiis placaturus. Nouum erigere altare nefas erat, & piaculum nulla exprandum uictima. Ad idola confugere uanum, atque impium eſſe ſentiebat. Quid igitur reliquum erat, niſi ut ad diuinæ miſericordiæ perfugium ſeſe totum conuerteret, & oraret. Memento Domine Dauid, non illius autem Dauid, qui ſeſe adulterio, & Vriæ ſanguine contaminauit, non illius, qui ſuperbus & arrogans non ſeruato diuino inſtituto recenſeri populum iuſsit. Illius enim ſi memor ſis, pereo funditus. Nec rurſus, oro, ſis memor Dauid illius egregij pſaltis, ac multorum benefactorum authoris, quid enim uniuerſa iuſtitia meæ ſunt aliud, quàm ſtipula ad ignem furoris tui? ſed meoor ſis Dauidis, qui in uerbo promiſsi tui omnẽ ſpem ſuæ ſalutis locatam habet. Loquitur igitur de ſe Propheta nõ ut de homine abſolut peccatore, aut abſolutè iuſto, ſed de eo qui quidem grauiter peccauit, ſed qui diuini promiſsi ueritatem re-

tinet, & diuinæ miſericordiæ ſpem non abiecit. Idem eſt enim, Memento Domine Dauid, quàm ſi dicat, ne obliuiſcaris Domine miſericordiarum tuarum, quas Dauid pollicitus es. Hæc etenim uerba orans in templo Salomon in hunc ſenſum interpretatus eſt. 2. Paralip. 6. Memento miſericordiarum Dauid ſerui tui. Hæc autem oratio optima eſt Dei propitiandi ratio, qua Moſes quoque uſus fuit: Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iacob, quibus iuraſti per te metipſum dicens &c. & placatus eſt Dominus, (ait diuina ſcriptura) ne faceret malum, quod minatus fuerat populo ſuo. Mentionem autem facit nõ Abraham, Iſaac, & Iacob, ſed ſui tantummodo, in quo promiſſiones illas patribus factas Deus innouauerat, quas dum in Dei memoriam uidetur reuocare, eas potius in ſuam memoriam reuocat, ut illarum recordatione ſeſe in maximis afflictionibus ſuſtentet. Vel orat, ut ipſe Deus erga ſe more reminiſcentis agat, præſtãs ſcilicet, quod de erigendo templo iamdudum pollicitus fuerat. Afflictionum uero ſuarum eò mentionem fecit, quod multas habeant promiſſiones, iuxta illud, In tribulatione ſua clamabunt ad me, & ego exaudiam eos.

Si-

SICVT IVRAVIT DOMINO VOTVM VOVIT DEO IACOB.

D. Hieronymus uertit, qui iurauit Domino, ita etenim ſonat hebraica aditio. Iurare autem uotum eſt id quod cupimus, publicè, & quaſi Deo aſtante conteſtari נדר *enim ideſt uotum, res uoluntaria, ſeu concupita ſignificat. D. quoque Ambroſius quid propriè ſit uotum, his uerbis declarat, Votum eſt poſtulatio bonorum à Deo cum ſoluendi muneris promiſſione. Quid autem poſtulauerit, quidq; promiſerit, ſequentibus uerſiculis declarat. Deo autem uni uouendum docet, iuxta illud, Vouete, & reddite Domino Deo noſtro &c. Dicit autem ſe uouiſſe potentiſſimo Deo Iacob, ne uideatur ſe ſuis magis uiribus fretum, quàm uirtute Dei huiuſmodi uotum uouiſſe. Nemo ait. D. Auguſtinus præſumat uiribus ſuis ſe reddere, quod uouerit, qui te hortatur ut uoueas, ipſe adiuuat, ut reddas. Quamuis itaque ſciat ſibi non eſſe ſoluendo, uouens tamen potentiſſimo Deo Iacob, quòd uouit ſe perſoluturum cõfidit in Domino. Nam & Iacob alioqui debilẽ, & imbecillum Deus ipſe fortiſſimum effecit, iuxta illud, quod ei reſponſum fuit, Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? Dicit item ſe uouiſſe Deo Iacob, quod ſuũ uotum erat de loco, qui Iacob reuelatus fuit*

in quo templum conſtruendum foret, de quo, & ipſe uouens dixit: Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego ne ſciebam, pauensq́, quàm terribilis eſt, inquit, locus iſte; non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli. Vouit etiam uotum dicens. Si fuerit dominus mecũ, & cuſtodierit me in uia, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad ueſcendum, & ueſtimentum ad induendum, reuerſusq́ fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & Lapis iſte quem erexi in titulum, uocabitur domus Dei, cunctorumq́, quæ dederis mihi, decimas afferam tibi. Adhoc itaque Iacob uotum alludens Dauid uouit, & ipſe Deo Iacob, ut quod Iacob uouit, ipſe aſſequi, & implere queat.

SI INTROIERO IN TABERNACVLVM DOMVS MEAE, SI ASCENDERO IN LECTVM STRATI MEI, SI DEDERO SOMNVM OCVLIS MEIS, ET PALBREBIS MEIS DORMITATIONEM, ET REQVIEM TEMPORIBVS MEIS, DONEC INVENIAM LOCVM DOMINO, TABERNACVLVM DEO IACOB.

VOti ſumma fuit, quòd iurauit, ſe nõ prius domũ ſuam cedrinam, et apparatu regio inſtructam ingreſſurum, neq; animo, neq; corpori requiem ullam daturum, quàm locum aliàs Iacob oſtenſum, et ſibi promiſſum intra urbem monſtraretur, in quo templũ, & altare ſanctiſsimo numini erigeret, et ſup illo hoſtias,

&

& holocauſta offerret, quibus placare ſibi poſſet iratū Deum, & propitium reddere. De quo etiam uoto dixit Oruena ad ipſum David, Dominus Deus tuus ſuſcipiat uotum tuum 2. Reg. 24. Tanti igitur faciebat David, ut templum erigeret, diuinoq; cultui conſecraret, ut præ illo domum ſuam, corporis quietem, & animi pacem contempſerit, propterea quòd omnia in diuino cultu ſtabilito; & intra ſua mœnia confirmato ſibi ripoſita eſſe ſentiebat, & ſine illo uita ſibi erat acerbiſſima. Carere etenim templo, et Altari uerbo Dei conſtituto, eſt carere Deo, quo quid fingi miſerius poteſt? At contra, templum habere; eſt ipſum Deum in medio noſtri uerſantem habere, qua una re nihil felicius, nihil omnino eſſe beatius poteſt. Mirū itaq; eſſe non poteſt, ſi huiuſce erigendi templi tā cupidus Vates extiterit, ut ſtatuerit ſibi propria domo, & commodis omnibus perpetuò carendū, niſi prius inueniſſet locum domino, & tabernaculū Deo Iacob. At quis idoneus domino locus inueniri poteſt, qui nullo concluditur loco, qui potius omnia implet loca? Locus aūt Dei eſt ille, in quo ſeipſum ꝑ uerbū ſuū agnoſcēdū demonſtrat, in quo per uerbum, & ſacramenta ſua ſe nobis adeſſe ſignificat, qui ſanè locus apud nos certus eſſe debet; ne quærentibus nobis Deum illius immenſitas occurrat, per quam euagantes opprimamur à gloria maieſtatis illius. Hunc autem locum

minimè ſibi diligere ſua ſponte debebat humana temeritas, ſed expectare, ut diuina uoluntas illum ſibi conſtituat, ut certò ſciamus, ubinam uerus inueniri Deus poſſit. Cum itaq; dicit, donec inueniam locũ, ſignificat ſe à Deo illum quærere, à quo quærendo nunquã ſibi deſiſtendum decreuerat, donec inueniſſet. ideſt donec diuino oraculo doceretur, ubinàm tẽplum illud conſtrueretur. quod templum tabernaculum Dei Iacob appellat, & quòd Dei uerbum haberet, quo ſe ille Iſraeli adeſſe, preces audire, uota; & ſacrificia ſuſcipere, peccatis propitiari, & diuina ſua munera illi impartiri in eo templo pollicitus fuerat. Nunc uerò nulla habita loci ratione, quandoquidem regnum Dei non in Iudæa tantùm, ſed in orbe terrarum uniuerſo propagatum eſt, ibi eſt Dei locus, & tabernaculum eius, ubi uerbum Dei, & Sacramenta illius legitimè adminiſtrantur, iuxta illud, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mãſionem apud eum faciemus. Qui itaq; de Dei verbo, deq; diuinis Sacramẽtis nõ magis laborat, quàm de priuata ſua domo, de diuitijs & delitijs omnibus laborat, hic ne ſummis quidem labris ueram pietatem deguſtauit. ſine uerbo etenim Dei & ſacramẽtis nec ipſa quidem uita nobis chara eſſe debet, uita enim uerbo Dei deſtituta mors ipſiſſima eſt. Dicit autem ſe templum illud, & tabernaculum

lum Deo Iacob erecturam, ne quis fortaſſe exiſtimet ſe nouo alicui, & cōmentitio Deo nouum aliquē cultum inſtituere, quando illud יהוה *qui ſe patribus reuelauit, non quē gentes excogitarunt, ſe ædificaturū affirmet. Qui nanq; ſe patribus reuelauit hoc nomine, ille eſt uerus, et æternus Deus. Qui uerò mox reperti ſunt, & recens nati falsò dij appellatur. Quicquid.n. antiquū eſt, ſanctum illud etiam, et uerum eſt. Quicquid uero nouum, id profanū & falſum eſt. Verò itaq; Deo hoc ſeſe templum inuēturū ſignificat, poſtq̄ illud Deo* יהוה *et Deo Iacob, ac patrū ſuorū cōſtructurus ſit.*

ECCE AVDIVIMVS EVM IN EPHRATA, INVENIMVS EVM IN CAMPIS SYLVAE.

VEritatis pleniſſima eſt illa domini, & ſeruatoris ſententia, Omnis qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur, & petenti dabitur. Petierat Dauid, & importunè pulſauerat, & ſumma diligentia quæſierat locum, in quo domum domini cōſtrueret, in qua Arcā, & altare propitiationis collocaret, & quod petijt, eſt demum aſſecutus. Nam ut ſacra hiſtoria teſtatur, uenit ad illum in die illa Gad Propheta, dixitq́, ille. aſcēde, & conſtitue altare domino in Arca Areuena Iebuſai, cuius facti nūc ſūma animi lætitia reminiſcitur. Ecce audiuimus. Vox lætantis ſimul, & admirātis. lætatur enim ac ſerio triumphat ſe inueniſſe, quod

diu tam ſtudioſè quæſierat, Admiratur autem locum in quo templum eſſet excitandum, nempè Arcam Aruenæ Iebuſæi hominis alienigenæ, quod nunquàm quiſquàm exiſtimauiſſet. Quo facto declaratum fuit Dei cultum ad gentes eſſe aliquando transferendum quod non ſine ſumma hebræorum admiratione futurum erat. Admirabundus itaq; lætatur Vates, quòd delegerit ſibi dominus locum ſuæ domus conſtruendæ in Arca hominis Iebuſæi. Ecce (inquit) audiuimus, ego ſcilicet, & ſeniores populi ex ore Gad Prophetæ domini, hoc non mihi ipſe finxi, non ſolus hæc audiui, ſed diuino oraculo accepimus omnes Eam ſupple domum in Ephrata erigendam: Hanc uerò ſententiam conciſè pronuntiat. Fit enim perſæpe ut nimia lætitia præpedita uox effari non poſſit. Arcam autem Aruenæ Iebuſæi Ephratam appellat, quia locus ille erat ſpatioſus, & ſaltuoſus. Nam & ſeptuaginta (teſte D. Hieronymo in queſti ſuper Geneſi) Ephratam Hippodromum interpretati ſunt. Arcam igitur Aruenæ deſcribit planam illam eſſe declarans, Nomine Ephratæ, ſaltuoſam item, quia dicit, Inuenimus in campis ſiluæ, ſiue ut D. Hieronymus transfert, in regione ſaltus. Dicit autem Inuenimus, quia audito oraculo Gad Prophetæ aſcendit iuxta ſermonem Gad, & errupta Arca ædificauit ibi Altare domino, & obtulit holocauſta

pa-

pacifica, & repropitiatus eſt dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſraele, & 1. Parali. 21. dixit, Hæc eſt domus Dei, & hoc Altare in holocauſtum Iſrael. Inuenerunt itaque Dauid et ſeniores domum Domini, & Altare illius, quando non ſolùm oraculo didicerunt Arunæ arcam ab ipſo Deo electam ſibi in domum, ſed etiam cohibitione plagæ, & diuinæ iræ remiſſione comprobatum, & impletum uiderunt. Voluit enim Deus miraculo cõfirmare oraculum ſuum, ut certò ſcirent, omnes eum locum diuinitus deſtinatum templo conſtruendo; ut ſimul intelligerent, ſe ſine ulla idololatriæ ſuſpicione eo in loco poſſe offerre hoſtias, quæ ſint Domino placituræ, quod enim Dei uoce, & oraculo præcipitur, & miraculis confirmatur, id Deo gratum eſſe dubitari non poteſt.

INTROIBIMVS IN TABERNACVLVM EIVS, ADORABIMVS IN LOCO VBI STETERVNT PEDES EIVS.

PErgit declarare animi ſui lætitiam, quòd non modo audierit, ſed reipſa inuenerit, quoniam in loco domus Domini eſſet conſtruenda, ſed quòd uniuerſus etiam Iſrael illuc conuenturus ſit, ubi Deum ritè ueneretur, & colat, ubi ſteterunt pedes

eius. Dicens itaq;, Introibimus in tabernaculum eius reſpicit ad ampliſsima illa atria quorum, ideam iam ipſe animo conceperat, quæq́ non multò poſt à Salomone condenda erant. Tabernacula autem appellat, tres illas præcipuas templi partes, quarum alterã non niſi ſummo Sacerdoti fas erat ſemel in anno ingredi, alteram uerò Sacerdotes tenebant ſoli, Tertiam uerò populus. Iccircò Iſrael uniuerſus, qui ex ſummis Sacerdotibus, & Leuitis, & ex promiſcua populi multitudine conſtabat, ita aiunt, Introibimus. Summus nãq; Sacerdos, Leuitæ, & populus uniuerſus adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes eius, pro Pedibus autem Domini ſtabilimentum diuinæ uirtutis interpretatur D. Eucherius. Quod autem hanc uirtutis ſuæ ſtabilitatem, ac firmitudinem ibi eſſe uoluit Deus ubi Arca fœderis, & Altare erat, factum eſt, ut ipſa Arca nuncupata fuerit ſcabellum pedum eius 1. Paralip. 28. Cogitaui, ait David, in corde meo, ut ædificarem domum, in qua requieſceret Arca fœderis Domini Dei noſtri. Quæ quidem Arca cum modo Siloe, modo Cariath, modo uerò Gabaon deferretur, ipſe quoque Deus huc, atque illuc incerta ſede uagari uidebatur. quando uerò certa, & ſtabilita ſedes illius fuerit in Arca Arunæ, Tunc pedes illius ſtetiſſe uiſi ſunt, ac in populo illo uirtutem, ſuæquè diuinitatis præſen-

ſent iam ſeſe perpetuò firmaſſe, ac ſtabiliuiſſe Deus declarauit; id quod maximam atq; inenarrabilem lætitiam in pij cuiuſq; animo generauit. Quid n. fœlicius, aut beatius contingere cuiquàm poteſt, quàm ipſum Deum ſemper habere præſentem? ſemper propitium? Ipſa autem Arca ſcabellum pedum Domini, non autem ſedes appellatur, quandoquidem in ipſa Arca cum plenitudine diuinitatis ſuæ non aderat populo ſuo, ut in cœlis adeſt, qui ſunt ſedes illius, ſed tantum aderat pedibus, ideſt muneribus ſuis, & uirtute uerbi ſui, in Arca ſe adorari uoluit, ne piorũ mentes luce illius inacceßibili, & gloria maieſtatis offuſcarẽtur, & ꝑ immẽſum diuinitatis illius pelagus uagarentur, opprimerenturq́. Templum itaq;, Arca, & altare illud diuino oraculo conſtitutum methodus quadã fuit, per quam facilè ad Deum accedere inoffenſo pede, & in eum irreuerberata acie intueri populus poſſet.

SVRGE DOMINE IN REQVIEM TVAM TV ET ARCA SANCTIFICATIONIS TVAE.

CVm Arca è conſtituto loco ad alium locum moueretur, cecinit Moſes. Surge Domine & diſsipentur inimici tui, & fugiant qui te oderunt à facie tua Ita Dauid tranſlaturus Arcam, & tabernaculum è conſtituto loco in Arcam Aruenæ, iisdem ferè utitur

tur uerbis, Surge inquit in requiem tuã, cum id diceret Moſes ad bella, & ad hoſtium internecionem ipſum Deum inuitabat, Dauid uerò ad pacem, ad quietem ad ſalutẽ deniq; populi ſui ipſum iiſdem uerbis inuitabat. Gerebat Dauid Meßiæ typum, qui Deũ nobis placatũ, ac propitiũ reddidit, Porrò populi requiem Dei requiem appellat, propterea q ab ipſo, & per ipſum uera pax, ueraq́; requies populo accidit. Præclaro etenim Dei munere factum eſt, ut Arca, quæ tandiu incerta ſede uagabatur, demum ſtabiliretur, & certa in ſede figeretur, ut ipſe populus in ſumma fidei, & charitatis coniunctione contineretur. Lætitia itaq; exultans Vates ait, Surge Domine, tu et Arca, quod idem eſt ac ſi dicat, Age iam, Tabernaculum et Altare unà cum Arca longo temporis interuallo diſiuncta iungatur, et eodẽ tandem in loco conſtituatur, ut populo pax ſit & requies ſempiterna, Tabernaculum, et Altare ueluti Deum compellat, quoniã in illis ſeſe Deus aperiebat præſentem, & populum ſuo propitium. Arcam uerò fœderis Arcam ſanctificationis, ſeu fortitudinis, eius appellat, quòd per eam declarauit fortitudinem ſuam, cum toties fudit, fugauitq́; hoſtes populi ſui, & præclara alia facinora peregit.

Sa-

SACERDOTES TVI INDVANT IVSTITIAM ET SANCTI TVI EXVLTENT.

HActenus de loco condendi templi, de ipſo templo, de Arca, & altari tractatum eſt, in quibus præſentiam ſuam Deus perpetuam Iſraeli declararet, & cum ea gratiam, & prouidentiam ſuam. Quibus quidem rebus factum fuit, ut ille populus nationibus uniuerſis eſſet admirabilis. Non eſt alia natio, inquit Moſes, tam grandis, quæ habeat Deos appropinquã tes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ enim eſt alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, iuſtaq; iudicia, & uniuerſam legem, quam ego proponam uobis? Cum itaque gens illa tam præclaris muneribus ornata eſſet à Deo, ut taliter non fecerit omni nationi, æquum quoque fuit, ut ipſa ſe gratam Deo exhiberet, obſeruatione diuinæ legis, ut qui illam intuerentur admirabundi dicerent. En populus ſapiens, & intelligens, gens magna &c. Ad hanc itaque animi gratitudinem declarandam vates, hortatur uniuerſum Iſraelem, quem in Sacerdotes, & Sanctos diuidit, Quandoquidē Iſraelitis uniuerſis dictum eſt, Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum. Monet autem Sacerdotes in primis, ut iuſtitiam induant, ideſt ut undequaque do-

doctrina, et moribus præditos ſeſe exhibeant, ut nihil omnino in omni eorum uita appareat, quod à recto, & honeſto alienum ſit. Primò autem Sacerdotes alloquitur, quod ipſi non modò potior pars populi ſint, ſed etiam quòd ab ipſis ſi boni, iuſtiq́; ſint, ad reliquã populi partem iuſtitia, & pietas omnis emanet, qualis enim ſacerdos, talis & populus eius. Tales itaque uult eſſe ſacerdotes, ut non ephod, aut lineam tãtùm tunicam geſtent, ſed iuſtitiam in primis induant, & diuino cultui ſe totos dedant, propterea dixit, Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.

ET SANCTI TVI EXVLTENT.

Sanctos, ſeu pios reliquam populi multitudinẽ appellat, iuxta illud Exod. 19. Eritis mihi in Regnũ Sacerdotale, & gentem Sanctam. Sanctum autem ideo appellat Iſraelem, quòd à reliquis nationibus uita, moribus, doctrina, & cæremonijs eſſet ſegregatus, ueræ pietati, & diuino cultui dicatus. Hos itaque hortatur, ut laudent, & magnificent ipſum Deum, & illi ſe gratos exhibeant, Non enim uult eos ſtulta, & inani lætitia efferri, ſed ſapientia, & animi lætitia exultare in Deo, quòd templum, & domum apud ipſos ſibi delegerit, ut in medio illorum inhabitet. Quod ſi Rex talem eſſe Iſraelem uolebat, quòd templum, Arca, & altare haberet, quales nos eſſe decet, apud

quos

quos ea reperiuntur, quorum uerorum ea erant exemplaria? De qua quidem ueritate, quæ noſtris temporibus reuelata eſt, ſequentibus uerſiculis tractat.

PROPTER DAVID SERVVM TVVM NON AVERTAS FACIEM CHRISTI TVI.

PRobè nouerat ſanctiſsimi Prophetæ omnia ſibi in umbris & figuris contingere, quorum corpus, & ueritas ipſe erat futurus Meßias, & regnum ipſius unà cum ijs omnibus, quæ ſecum laturus erat. Iccircò mos fuit omnibus ſanctiſsimi vatibus, ut cũ de umbris illis tractaſſent, ad Meßiæ tandem lucem, & ueritatem deuenirent, & de ea tractarent, ut hoc loco Dauid facit, qui accepto oraculo de templo conſtruendo, ad præclariſsimam illam de Meſsia ſibi factam promißionem ſeſe conuertit, & de ea cum Deo agit in hunc modũ orans. Propter Dauid &c. Si hoc loco Dauid perſonam iſthæc ſcribentis accipiamus, idem erit propter Dauid, quod propter promißiones, non autem propter merita, aut præclara aliqua Dauidis facta, ſi uerò prò Dauide Meßiam ipſum accipis, interpretandum erit, non propter promißiones, ſed propter Meſsiæ merita. Meſsias .n. frequẽter Dauidis nomine appellatur, & præſertim apud Hierem: xxiii. Suſcitabo Dauid germen iuſtum, Dauid autem ideo appellatur, quod non modo ipſe Dauid Ieſæi filius ty-

PP pum

pum ipſius geſſerit, ſed quod ex illius lumbis oriũdus ac Dauidis filius foret appellandus. Orat itaq; ne ipſe Deus propter gratuitas, & abſolutas de Meſsia promisſiones ſibi factas, auertat faciem Chriſti ſui. Hoc autem rurſus uel de ſe ipſo, uel de Mesſia intelligit, quando Chriſti nomen in ſpecie peculiare ſit Mesſiæ nomen, in genere autem nomen ſit regum omnium Iſrael, qui ſacro oleo Regno initiabãtur. Quòd ſi hoc loco Mesſiam ipſum Chriſtum appellat, precaturq́; ne auertat faciem Chriſti ſui, Orat Sanctisſi. Rex, ut ipſe Deus maturet Mesſiæ aduentum, nec illum diutius differat, quandoquidem faciem ſuam auertere, eſt præſentiam ſuam differre, et ad uentura ſecula proſpicere. Videbant quidem Vates unà cum Moſe Meſsiæ poſteriora in figuris, & in umbris illis. Sed non faciem, propterea hanc ipſam uidere cupientes continenter flagitabant, oſtende faciem tuam, illumina faciem tuam ſuper nos. Quòd ſi hæc ad Dauidis perſonam Regno in auguratum referre uelimus, Orat, ne Deus ipſe ſe deſerat, & à ſe faciem auertat, uel potius ne ipſo Deo diffiſus auertat faciem ſuam, & ab illo deficiat, ſed in percepta pietate, & fide perſeueret.

Iura-

IVRAVIT DOMINVS DAVID VERITATEM, ET NON FRVSTRABITVR EVM, DE FRVCTV VENTRIS TVI PONAM SVPER SEDEM TVAM.

HAnc factam Dauidi promiſsionem uidere eſt 2. Reg: 7 & 1. Paralip. 17. factus eſt enim ſermo Domini ad Nathan Prophetam dicens, Vade, & loquere Dauid ſeruo meo, Hæc dicit Dominus &c. qui quidem Nathan præter alia ait, Annuntio ergo tibi quòd ædificaturus ſit tibi Dominus domum, cumq́ impleueris dies tuos, ut uadas ad patres tuos, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filiis tuis, & ſtabiliam regnum eius, ipſe ædificabit mihi domum, & firmabo ſoleum eius uſque in æternum, ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium & miſericordiam meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli ab eo, qui ante fuit, & ſtatuam eum in domo mea, & in regno meo uſque in ſempiternum, & thronus eius erit firmiſsimus in perpetuum &c. Huiuſmodi autem promiſsio Adæ primùm facta eſt, quando ei ex muliere ſemen promiſſum fuit, quod contriturum eſſet caput ſerpentis. Deinde Abrahæ confirmata eadem fuit, cum dictum ipſi fuerit, Et in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Nunc uerò ſpeciatim hãc ipſam Dauidi repetit, poſtquàm

(inquit) impleueris dies tuos, ut uadas ad patres tuos ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod erit de filijs tuis quod egredietur de utero tuo. 2. Reg: 7. Quæ quidem promiſsio nullo pacto in Salomone impleri potuit, quando ipſe ante Dauidis obitum in lucem eſſet editus, & iam regnare cœpiſſet, præterea hoc ſemen de filijs quidem Dauidis futurum erat, Sed quod non ex lumbis, ſed ex uentre tantũ eſſet oriturus, quia Meſsias quamuis matrem, eamq; uirginem iuxta Eſaiæ uaticinium habiturus eſſet, patrem tamen habiturus non erat præter Deum, iuxta illud, ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem. Hanc itaque promiſsionem ſibi de Meſsia factam hoc loco tractat, cũ dicit. Iurauit dominus Dauid ueritatẽ. Primùm obſeruandum eſt in ſacra hiſtoria de huiusmodi iuramento nihil conſtare, ſed de ſimplici tantummodo promiſsione mentionem fieri. Quò fit, ut quæ Deus abſolutè, & ſine aliqua conditione promittit, ea non ſecus eſſe habenda, ac ſi iure iurando adhibito ea nobis ipſe polliceatur. Quod enim Deus, qui ipſiſsima eſt ueritas, promittit, nullo pacto irritum eſſe poteſt, Iurat enim quoties promittit, & quod iurat temerari non poteſt. Propterea ait, & non fruſtrabitur eam. Vt autem quod promittit, firmius, ac certius habeamus, hanc promisſionem appellat ueritatem, quæ neminem fallere poteſt.

cu-

cuius uim cum uellet Dauid oſtendere, ait, non fruſtrabitur eam. fidelis eſt enim, qui repromiſit, nec illius fides noſtris malefactis, aut infidelitate euacuari, aut obliterari p oteſt, propterea quamuis inimici eſſemus, quod tamen nobis pollicitus eſt, non negauit, ſed miſit filium ſuum, quem iam inde ab orbe condito promiſerat.

DE FRVCTV VENTRIS TVI PONAM SVPER SEDEM TVAM.

MEſſias appellatur Semen, quod ex utero egreditur, quia mulieris tantùm ſemen futurus erat, iuxta illud, Semen illius conteret caput tuum, quia ex ſola muliere citra uiri commercium humanam carnem ſuſcepturus erat, quemadmodum & Rabbini interpretati ſunt ſuper illud Gen: 15. generatione quarta reuertetur huc. Numerant autem quartam generationem ab ipſo Adam incipientes, qui abſque mare, & fœmina conditus eſt. Secundam uerò generationem ab Eua, quæ ex mare creata fuit. Tertiam, quæ cõmunis omnium eſt, ex mare, & fœmina, Quartam, quæ ex fœmina eſt ſine mare, quæ in Meſſia completa eſt, à quo mox redempti ſumus à captiuitate peccati, & mortis, & in libertatem filiorum Dei uindicati. Solus itaque mulieris uenter, & ſemen illius in generatione Meſſiæ locum habuit

non autem ſemen maris, & lumbi uiri, ut per hanc nouam generationem nos in filios Dei regeneraret. Nec obſtat, quòd Abrahæ dictum fuerit, In ſemine tuo benedicentur &c. Quonia id ad ipſam Meßiæ genitricem pertineat, quæ ex ſemine Abrahæ, & ex familia Dauidis originem duxit, quæ ex utroque ſemine fuit concepta maris ſcilicet, & feminæ.

PONAM SVPER SEDEM TVAM.

ANgelus loquẽs ad uirginem Meßiæ genitricem ait, Dabit illi dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum. Quæ autem ſit hæc ſedes Dauid, Natham ille explicuit, Statuam (inquit) eum in domo mea, & in regno meo uſque in ſempiternum, & tronus eius erit firmißimus in perpetuum. Hæc neque ad Salamonem, neque ad quemuis alium regem, aut ad terrenum regnum accommodari poſſunt, quoniam et Salomon, & cum eo reliqui omnes Reges ſucceſſores habuerint, & ut habeant, neceſſe eſt, nec ulla omnino regna in terris perpetuò duratura ſunt. Rex autem, qui Dauidi promittitur, cum perpetuò regnaturus, & Regnum ipſius perpetuò duraturũ ſit, neceſſe eſt, ut & Deus ſit, & regnum ſuum non terrenum, ſed ſpirituale, & cæleſte ſit. Hic eſt autem Chriſtus Deus noſter, cuius poteſtas poteſtas æter-

na

na, & cuius Regnum eſt Regnum omnium ſæculorum. Hic non ſemetipſum exaltanit, ut rex fieret, ſed qui dixit ad illum, Poſtula à me, & dabo tibi geutes hæreditatem tuam, illum ēt conſtituit Regem ſuper montem ſanctum ſuum. Iccircò ait, Ponam ſuper ſedem tuā &c. Non enim humana induſtria, ſed diuina uirtute conſtitutus eſt rex in æternum. Regnat autem Meſsias uirtute uerbi ſui per illud enim ſibi nationes omnes ſubiugauit, & in obſequium ſuum omnem mentis altitudinem redigit, aduerſas poteſtates debellat, & Dei Regnum profert, atque confirmat. Hæc autem uerbi ſui uis ſedis nomine ſignificatur, propterea quòd quemadmodum cæteri Reges in ſede regnāt, ita Meſsias per uerbum Angelis, homnibus, & Dæmonibus dominatur. In nomine etenim Ieſu omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.

SI CVSTODIERINT FILII TVI TESTAMENTVM MEVM, ET TESTIMONIA MEA, HAEC, QVE DOCEBO EOS, ET FILII EORVM VSQVE IN SAECVLVM SEDEBVNT SVPER SEDEM TVAM.

PRædixerat Natham multos futuros Dauidis

 filios

filios, id quod etiam ipſemet Vates explicuit, ſed unũ tamen inter illos futurum Meſsiam dicit, qui non ex lumbis, ſed ex utero eſſet egreſſurus, quiq́; perpetuò regnaturus ſit, cuiusq́; thronus ſit in ſempiternum permanſurus, & à quo miſericordiam ſuam nunquàm ſit Deus ablaturus, quemadmodum à Saule abſtulerat, ſed quem ſemper ſit filium habiturus, à quo rurſus, & ipſe pater ſit habendus. Quæ ſanè promiſſio abſoluta fuit, nulla abhibita conditione. Cum enim Deus, & homo eſſet Mesſias, ſub aliqua conditione concludi non poterat, quando Deus ab omni conditione ſit prorſus abſolutus, & liber. Sed quæ ad reliquos Dauidis filios, & Mesſiæ fratres promiſſio facta eſt, ſub conditionem cadit, iccircò promiſſionem de Mesſiæ Regno illis factam recenſens, eam cum conditione coniunctam explicat. Si custodierint filij tui teſtamentum meum, et teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos. Pro filijs autem Dauid intelligit omnes, quicunque in Regno Mesſiæ ſunt, ſiue illi circumciſi, ſiue præputium habentes ſint, eos enim & filios Dauid, Meſsiæ fratres, ac Regni eius conſortes agnoſcit, qui teſtamentum illius cuſtodierint, quæq́; præcepturus Mesſias eſſet, diligenter ſeruauerint. Nullum autem diſcrimen facit Iudæi, & Græci, maris, & fœminæ, In

Chriſto

Chriſto enim Ieſu nullus eſt delectus perſonarum, neque in Regno illius. Teſtamentum autem, Dei illud eſt, quo ſuam nobis uoluntatem teſtatam facit, quæ immutari nulla ratione poteſt. illud autem ſe per Meßiam facturum pollicitus eſt, cuius rei teſtis eſt Eſaias. & uoluntas mea (inquit) in manu eius dirigetur, quòd re ipſa Meßias Diuinis ſuis operibus ex doctrina cœleſti præſtitit. Ideo doctrinæ, & actionum eius liber teſtamentum appellatur, Hoc itaque teſtamentum eſt, de quo Vates hic loquitur, cuius & apud Hieremiam 31. huiuſmodi ſit mentio, Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra ægypti, pactum quod irritum fecerunt; & ego dominatus ſum eorum. Hoc itaque teſtamentum, de quo loquitur, non eſt uetus teſtamentum, quod Deus cum patribus iniuit per Moſen, ſed teſtamentum nouum, quod per Meſsiam conditurus erat, illud nimirum, de quo idem Hieremias teſtatur, Poſt dies illos, dicit Dominus; Dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum, & non docebit ul-

tra

tra uir proximum, & fratrem ſuum dicens, Cognoſce Dominum, Omnes enim cognoſcent me à minimo,uſq; ad maximum, quia propitiabor iniquitati eorum,et peccati eorum nõ memor ero amplius. Teſtamentum igitur nouum per Meßiam factum, & uulgatum eſt, per quod illius gratia peccatorum remißio nuſquàm ante illum uulgata donatur in illum credentibus. Qui itaque uitam, mortem, & reſurrectionem Chriſti, necnon actiones omnes illius, doctrinam de remißione peccatorum, & de hominis iuſtificatione,fide,ſpe,& charitate ſeruauerit, hic in ſemine Dauid computabitur, & diuinam promißionem,cuius mox Vates meminit,aſſequetur.

ET TESTIMONIA MEA HAEC QVAE DOCEBO EOS.

QVod ſuperius paulò obſcurius dixerat,hic apertè declarat,quandoquidem idem eſt teſtamentum Dei,quod teſtimonia Dei. licet teſtamentum per mortem teſtatoris confirmetur,Diuina autem teſtimonia ſunt ipſius Dei oracula, atque opera, iuxta illud, Opera quæ ego facio,teſtimonium perhibent de me. Duplex eſt autem genus teſtimoniorum Dei, ſicut duplex eſt etiam teſtamentum, uetus ſcilicet, & nouum. ſunt itaque teſtimonia uetera, & noua. In ueteribus,ait D. Auguſtinus habentur, lex, & prophetæ, in nouis Euangelium, & Apoſtolicæ lit-

teræ. At non hic loquitur Deus de ueteribus, ſed de nouis, propterea ait. Hæc quæ docebo eos, uetera enim iam docuerat, & ea prius per Moſen, & prophetas tradiderat, Noua uerò per Meſſiam, & per Apoſtolicos uiros traditurus ait, hæc quæ docebo. Ego, inquam, docebo, quod ad illud Hieremiæ alludit, Erunt omnes edocti à Deo, Nam & in Deut. 18. de Meſſia loquens Dominus, Ponam (inquit) uerba mea in ore eius, loqueturq́ ad eos omnia, quæ præcepero illis, qui autem uerba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultrò exiſtam. Propterea Dominus perſæpè doctrinam ſuam non ſuam, ſed patris eſſe teſtatur, quia ut docet D. Paulus, Multifariam, multisq́ modis olim locutus eſt Deus patribus in prophetis, nouisſimè autem diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem uniuerſorum, per quem fecit, & ſecula. Meſſiæ itaq; tum opera, tum etiam doctrinam de diuina ſua erga nos uoluntate, qui ſeruauerit, ea conſequetur bona, quæ ſequentibus uerſiculis explicantur.

Et

ET FILII EORVM VSQVE IN SECVLVM SEDEBVNT SVPER SEDEM TVAM.

OStendit Vates Meſſiæ Regnum perpetuò duraturum, & per filiorum ſucceſſionem propagandum. Ipſius autem Meſſiæ filij, de quibus ſuperius dixit, ſi cuſtodierint filij tui, ipſi Apoſtoli fuere, quos ſæpè filios compellauit, Non poſſunt (inquit) lugere filij ſponſi, quandiu cum illis eſt ſponſus. Et rurſus, Filioli mei adhuc modicum uobiſcũ ſum, hoc non enim ſibi in filios ui uerbi ſui regenerauit, Filij autem Apoſtolorum fuerunt Apoſtolici uiri, qui patres noſtros ex ſemine incorruptibili uerbi, & ſacramentorum in filios Dei regenerarunt, à quibus, & nos eadem ratione effecti ſumus filij illius, & nos rurſus alios concipimus, & parturimus, iuxta illud D. Pauli. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in uobis. Hanc autem filiorum Dei ſucceſſionem, & propagationem futuram eſſe ſempiternam ita teſtatur Spiritus Dei, & filij eorum ſedebunt ſuper ſedem tuam uſque in ſeculum, & Dominus pollicitus eſt, ſe perpetuò Eccleſiæ ſuæ affuturum, Ecce ego (inquit) uobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſæculi. Sedere autem ſuper, Sedem

Chri-

Chriſti eſt, Chriſti uirtute, & Verbi ſui prædicatione cœlo, terra, & inferis dominari, & cum illo in Regno patris perpetuò beatum, ac felicem eſſe, Iuxta illud, Cũ uenerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis, & uos iudicantes duodecim tribus Iſrael. Conſedere etenim (ut ait D. Paulus) nos fecit in cœleſtibus in Chriſto. Quod autem pro ſede docendi, & iudicandi poteſtas ſignificetur, interpretatione non eget, illud enim uel mediocriter uerſatis in ſacris litteris notiſſimum eſt.

QVONIAM ELEGIT DOMINVS SYON, ELEGIT EAM IN HABITATIONEM SIBI.

MOns Syon in ſcripturis ſanctis celeberrimus eſt, in quo urbs ipſa Hieruſalem condita eſt, in qua cum legitimus Dei cultus conſtitutus eſſet, appellabatur ſedes, & habitatio Dei, cum uerò ſincerus diuinus cultus ſuperſtitione, & idololatria corrumperetur, Vrbs eadem Sodoma, ac Gomorra, ac idolorum receptaculum appellabatur. Vbicunque igitur uerus, ac germanus Dei cultus, qui ut ſuperius docuit Vates, in obſernatione teſtamenti, ac teſtimoniorum Meſſiæ poſitus potiſſimùm eſt, reperitur, Mons Syon appellatur, & eum ſibi locum Deum delegiſſe dicere poſſumus. Quia uerò in Meſ-

Meſſiæ Regno, & in ipſa Eccleſia uera teſtamenti ipſius, ac teſtimoniorum obſeruatio reperitur, ea meritò mons Syon appellatur, quamuis in illo monte minimè inhabitet. Vbique enim locorum ea diffuſa eſt. Montem itaque Syon intelligimus quamcumque ciuitatem, & quemcunque locum, in quo Dei cultus per Meſſiam conſtitutus uigeat, ſiue ſit apud hebræos, ſiue apud gentes, Scythas, & barbaras nationes. Vbi enim fuerit nominatum de eo, ibi eſt populus eius, iuxta illud Oſeæ, & erit in loco ubi dictum eſt eis, Non plebs mea uos, ibi uocabuntur filij Dei uiui. Ibi itaque eſt uera Chriſti Eccleſia, ubi uerus, & legitimus Dei cultus, qui in uerbi, & ſacramentorum miniſterio conſiſtit, reperitur. Neque omnia loca ſibi delegit Deus ad hunc ſuum cultum, ſed iuſto quidem, nobis autem occulto iudicio, reiectis alijs, alia ſibi delegit, quæ ſint in habitationem ſibi. Non enim omnes credunt Euangelio, aut illud ex animo amplectuntur. Eligit autem alia ad tempus, alia uero ſecundum æternum uoluntatis ſuæ propoſitum. Elegerat aliàs Iudæam, mox uerò Græciam in habitationem ſibi, Iudæo enim, & Græco primùm euangelizatum eſt. Sed eorum incredulitate, & peccato factum eſt, ut ab illis Regnum Dei

tran-

tranſlatum ad nos ſit. Cauendum item nobis eſt, quòd ſi naturalibus ramis non pepercit, nobis quoq; non parcet, ſi eodem incredulitatis uitio laborauerimus. Nam apud poſteros Dauid, ut ſupra dictum eſt, ea conditione manet Regnum Dei, ſi cuſtodierint filij tui teſtamentum &c. Stabit quidem perpetuò Chriſti Eccleſia, nec portæ inferorum præualere aduerſus illam poterunt, ſed apud eos tantùm ſtabit, apud quos conditio illa ſeruabitur, Cum dicat igitur, Quoniam elegit Dominus &c. excludit omnia, & præcedentia, & ſubſequentia merita, quoniam ipſius electio merita omnia præuenit, & gratuita ſit. Sed ut ſuperius diximus, alia eſt electio ſecundum illius propoſitum, alia uero ſecundum tempus, alia (ut D. Ambroſij uerbis utar) de præſenti iuſtitia alia de pſentia illius, ſecundũ tẽpus, & de pſenti iuſtitia elegit Saulem, Iudam, & quotquot externa tantùm facie in Eccleſia commorantur. Secundum uero propoſitum ſuum elegit Dauidem Petrum, & omnes quicunq; uiua fide, & p dilectionem operante in Eccleſia Catholica uiuunt, & moriuntur. Hi ſunt, quos nemo rapiet de manu Domini. Quamuis enim ad tempus, & ſecundum præſentem iuſtitiam non eſſe, ex electorum numero uideantur, eos tamen prædeſtinauit Dominus conformes,

fieri

ſieri imagini filij ſui, & quos prædeſtinauit, hos & uocauit, iuſtificauit, magnificauit.

HAEC REQVIES MEA IN SECVLVM SECVLI, HIC HABITABO QVONIAM ELEGI EAM.

ILlic quieſcere Deus uidetur ubi legitimè colitur, nec prophanis ritibus deturbatur, nam ubi ſuperſtitioni, et idololatriæ locus eſt, inde Deus recedit, et quaſi uagari uidetur, cum modo has, modo illas nationes adit. Illic itaque ſe perpetuò quieturum eſſe dicit, ubi Sacramentorum, & uerbi uſus frequens, & legitimus eſt. Quieſcere item, & habitare uidetur Deus in Eccleſia, cum in ea pax, tranquillitasq́, non autem opinionum uarietas reperitur. Vbi itaq; dogmatum, & fidei conſenſus in Spiritu Sancto, ubi ſacramētorum uſus eſt, ibi habitare, & quieſcere Deus uidetur, eſt enim Deus pacis, non diſsidij.

QVONIAM ELEGI EAM.

AFfirmat D. Auguſtinus nullum eſſe electorū meritum, niſi eos eligentis Dei gratia præueniret, quacunq; itaque ratione, & quoſcunq; eligat Deus, libera ſua uoluntate eligit, nullis omnino præuenientibus meritis. Ter aut repetit Vates hoc uerbum eligit, ut ſignificet ex omnibus nationibus Deum quoſdam ſibi deligere, iuxta illud, Non fecit taliter omni

natio-

nationi &c. ex electis autem nationibus rurſus aliquos ſibi deligit ad tempus in habitationem ſibi. alios uerò deligit, qui ſint in habitationem ſibi in ſeculum ſeculi, iuxta illud ſeruatoris. Multi ſunt uocati, pauci uero electi, quicunq; enim ait D. Auguſtinus electi ſunt, ſine dubio etiam uocati ſunt, Non autem quicunque uocati, electi ſunt, illi ergo electi ſunt, qui ſecundum propoſitum uocati ſunt etc. Dei autem gratia (ait D. Ambroſius) hoc bonum praſtare uidetur per fidem Chriſti, quòd ut ipſa Eccleſia perpetuò fateatur, monet Vates iterum, ac tertio repetens cauſam praſtantiſſimi huius boni, quòd ſcilicet in populum Dei ſit electa, ut propterea diuina electioni uocationem, & ſanctificationem ſuam aſcribat, iuxta illud, quod ipſe Seruator Apoſtolis, et in perſona eccleſia uniuerſa dixit. Non uos me elegiſtis, ſed ego elegi uos. Quod ſi etiam ipſum elegerunt (ait D. Auguſtinus) qui a electi ſunt, elegerũt, non quia elegerunt, electi ideo ſunt. Gratias igitur immortales agamus Deo, qui nos elegit in Chriſto ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate: Hic habitabo (ait Dominus) quoniam elegi eam.

VIDVAM EIVS BENEDICENS BENEDICAM, PAVPERES EIVS SATVRABO PANIBVS.

D. Hilarius teſtatur apud ſept. legi θήραν ſed D. Hieronymus apud eoſdem alijs in codicib. χήραν ſcriptum reperiri affirmat, et librariorum errore factum eſſe, ut pro χ littera θ legeretur. Quam quidem lectionem cum hebraicæ lectioni magis conueniat, ego quoque ſequar. Significat autem uox hebraica Cibum labore, & induſtria partum, qualis uenatus eſſe ſolet. Iccircò alij Venationem uertunt. Cibi itaque nomine totius uictus rationem Vates complectitur, quem quidem uictum abundè ſatis ſeſe populo ſuo, & Chriſti Eccleſiæ daturum pollicitus eſt Deus, quemadmodum olim Iſraelitico populo pollicitus fuerat, ſi uerba mea inquit ſeruaueritis, bona terræ comedetis. Ipſe etenim uerus Dei cultus coniunctam habet, promiſsionem rerum uictui neceſſariarum, Illic enim Deus mandauit benedictionem, Quandiù terra Chanaam uerum Dei cultum retinuit, fertiliſsima fuit, eadem fuit, & Græcia, ſed poſtquàm ab his prouincijs Regnum Dei ablatum fuit, ſalſuginoſæ, ac ſteriles factæ fuerunt. Affert itaque ſecum Dei cultus benedictionem, ſicuti & Arca Domini domui Obed attulit, Benedictio autem Dei (teſte D. Auguſtino) in mul

tipli-

tiplicatione ſolet propriè, & maximè intelligi, ſicut uidere eſt Gen. Benedixit eos Deus dicens, Creſcite, & multiplicamini, & implete terram. Illius ergo benedictio ad multiplicationem ualet. Cum dicit igitur, Cibum eius benedicens benedicam, Significare uoluit Deus, ipſam Christi Eccleſiã nequaq̃ de cibo, et potu ſollicitam fore, ſed tantummodo Regnum Dei eſſe quæſituram, Cuius alendæ, & ſuſtentandæ curam Deus ſuſcepit, iuxta ſeruatoris ſententiam, Primum quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Cibum autem, ſeu uictũ uenationẽ appellat, ne quis fortaſſe ita in diuina prouidentia quieſcendum exiſtimet, ut eſſe ocioſum liceat, & ab omni labore feriatũ. Aperit quidẽ Deus manum ſuam, & implet omne animal benedictione: At non interim nos eſſe deſides uult, ſed potius ut in ſudore noſtro ueſcamur pane noſtro. hunc uero laborem Venationis nomine ſignificat, nam cibus ſi huiuſmodi laboribus paretur, honeſtè & iuſtè paratus eſt, honeſto enim labori præſto adeſt benedictio Domini, propterea minimè dubitandum eſt, ea nobis non eſſe defutura, quæ uictui neceſſaria ſint.

PAVPERES EIVS SATVRABO PANIBVS.

IN Regno Chriſti, plurimos fore pauperes, perpaucos uero diuites etiam D. Paulus teſtatur. Videte (inquit) uacationem ueſtram, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi patentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus. et D. Iacobus ait. Non ne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes Regni, quod promiſit Deus diligentibus ſe. Quin & Dominus beatos pauperes dixit, quòd illorum ſit Regnum cœlorum, & ad eos potiſſimum pertinere lætiſſimum Euangelij nuntium, Eſaias docuit, & cum eo D. Ioannes, Pauperes (inquit) Euangelizantur. Hos igitur pauperes, et eſurientes ſe ſaturaturũ fore, Dominus pollicetur. id qđ ipſe quoq; ſeruator reipſa comprobauit, qui ſe ſequentes, & Regnum Dei ex doctrina ſua quærentes corporalibus etiam alimentis non deſtituit, Si n. (ait) pater ueſter cœleſtis uolatilia cœli paſcit, & lilia agri tanta induit gloria, quanto magis uos modicæ fidei? Promittit autem ſe eos ſaturaturum non coturnicibus, aut exquiſitiſſimis epulis, ne quis exiſtimet oneratas dapibus menſas, & oppipara conuiuia Regnum eſſe Christi, quorum adipiſcendorum gratia Chriſtum ſequatur, qui non terrenas, & maturè perituras diuitias, & delitias, ſed cœleſtes, & ſempiternas,

ternas largiatur, quarum ſpe, & expectatione homines Sancti quandiu in terris uiuunt, uictu, & cultu contenti ſunt, & omnem animi curam in prouidentia, & charitate illius ponunt, qui dixit: Non te deſeram, neq; derelinquam. Pauperes etiam Meſſiæ fideles appellat, quod & ſi diuitijs abundant, non tamẽ cor apponunt, ſed ſpiritu pauperes ſunt, iuxta illud, Beati pauperes ſpiritu.

SACERDOTES EIVS INDVAM SALVTARI, ET SANCTI EIVS EXVLTATIONE EXVLTABVNT.

SVperius de Meſſia rege, & de poſteritate illius, de Regno, & fœlicitate Regni tractauit, Nunc de Sacerdotibus, & miniſtris, & de reliqua populi multitudine tractat. Nam quemadmodum Moſes in teſtamẽto illo ueteri ſuos habuit Leuitas, & miniſtros diuini cultus, ſic eoſdẽ habiturus erat Meſſias in nouo teſtamẽto, nec ſimiles quidem prioribus, quã do neq; nouum Teſtamẽtum ſit uetere ſimile. tranſlata etenim Lege ueteri, neceſſe fuit Sacerdotij legalis tranſlationẽ fieri. Superius dixit de Sacerdotib. Moſaicis, Sacerdotes tui induant iuſtitiã. De Sacerdotibus aũt Meſſiæ dicit, Sacerdotes eius induant ſalutẽ. Quare uidetur inter utroſque diſcrimẽ facere, quod quãuis Moſaici Sacerdotes Legis iuſtitiam doce-

rent, inculcarent, & modis omnibus illam præſeferrent, per eam tamen dare alicui ſalutem non poterant, Ad perfectum etenim neminem lex adduxit. At Meßiæ Sacerdotes, & miniſtri ſalutem induunt, in morte, & reſurrectione Meßiæ, & per uerbū, & ſacramenta ſalutem in Meßiæ morte paratam ad homines, reipſa afferunt. non autem ut legales Sacerdotes pollicentur tantùm. Ex omnibus igitur partibus Meßiæ Sacerdotes ſpirare ſalutem debent, uerbo ſcilicet, & uitæ innocentia, ut ne minima quidem peccati, aut turpitudinis nota in illis appareat.

ET SANCTI EIVS EXVLTATIONE EXVLTABVNT.

LEx uetus ſuos habet Sāctos, Euangelium rurſus habet Sanctos ſuos. Illi ſpe in Chriſtum uenturū hi fide in eundem, qui iam uenit ſanctificantur. Qui enim habet hanc ſpem (ait D. Ioannes) ſanctificat ſeipſum, ſicut ille ſanctus eſt. Quamuis autem utrique per eandem fidem in Chriſto ſanctificātur, non paria tamen dona conſecuti ſunt. Multò nanq; præſtātiora munera largitus eſt ſanctis ſuis Meſsias q̄ Moſes, illi quidem donis ſuis lætantur, ſed hi exultatione exultant, & glorificato gaudio conplentur, quandoquidem non inanem bonorum umbram, ſed ipſiſsimam ueritatem in Chriſto accipiunt, & eam

ac-

acceptam ad populos afferunt. Meßiæ tempus lætitiæ & gaudij tempus appellatur, iccircò D. Paulus nos iterum atque iterum in domino gaudere, et exultare præcipit; Ad quod ſanè tempus porſpiciẽs Vates, & Sacerdotes huius temporis contemplãs, Exultatione (inquit) exultabunt, propterea quòd duplicia de manu Domini acceperint.

ILLVC PRODVCEAM CORNV DAVID, PARAVI LVCERNAM CHRISTO MEO.

OMnes ferè Prophetæ comparant Regna belluis cornua habentibus, Daniel præſertim regnorum præfectos beſtiarum cornibus comparat. Ipſi dignitate, authoritate, & potentia quaſi cornibus Regna ſua non modo tuentur, ſed aliena etiam inuadunt. Pro Cornibus autem ideo præfecti & reges accipiuntur, non modo quia ut illa belluis fortitudinẽ præſtant; ſic præfecti, & reges populis ſuis robur ſint, ſed etiam quòd oleo ex cornu effuſo regnis reges ipſi initiabantur. Cornu itaq; Dauid eſt ipſe rex Meſſias, qui ex Dauid originẽ ſuam ducturus erat, De quo Dauid ſcribit, quòd Deus dedit illi poteſtatem, honorem, & Regnum, ut omnes populi, nationes illi ſubijciantur, & ſeruiant, cuius poteſtas, poteſtas æterna, quæ non auferetur; & cuius Regnum non corrumpetur, quemadmodum Cornu illud, quod

regnũ adumbrabat, in corruptibile erat. Hoc itaq; cornu David, ideſt Meſsiam cum Regno ſuo illi (ait Dominus) producam, ideſt germinare faciam illic, ideſt in Syon, uel ubicunq; de eo annuntiatũ fuerit, illic (inquam) germinare faciam; ideſt in aſpectum, lucemq́; producam regnum ſcilicet, & poteſtatem eius. Cum dicit Serminare faciam, ſignificat Regnũ illius parua habere initia, atq; Iudææ tantũ modo finibus contineri; ſed mox proferendum longè lateq́; ad omnes terrarum oras dilatandum. Quod uidetur Daniel uaticinatus fuiſſe, cum uidit paruulum lapidem in maximum montem excreſcere, ac totam terram occupare. Significat itaque Vates Regnum Christi aliquãtiſper fore anguſtum, mox uerò in immenſum delitandum. Id etiam futurum ſignificauit Eſaias, cum dixit, Radicem Ieſſæ germinaturam, radix enim in terra latitat, nec conſpicitur, paulo poſt uirgulam germinat, quæ in maximam, & proceram arborem mox adoleſcit. propterea & idem Meſsias Regnum cælorum grano ſinapis comparauit, quod cum ſit granorum minimum, in latiſsimam tamen arborem excreſcit. Huiuſmodi autem cornu non modò Regnum ſuum tuetur Deus, ſed alienum etiam ideſt Diaboli, peccati, & mortis inuadit, Reges ipſos uel ſæuiſsimos potius tyrannos hoc cornu ferit, conterit, & proſte-

ſternit, ut ab eorum cornibus confractis nihil iam ſit nobis metuendum; nam eorum poteſtas Chriſti cornu ita debilitata, ita contrita eſt, ut nihil damnationis ſit his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant.

PARAVI LVCERNAM CHRISTO MEO:

Pro lucerna intelligit regiam poſteritatem, id enim ſacræ litteræ oſtendunt, ut uidere eſt 3. Reg. 11. ubi Achias Salomoni minatur ob peccatum illius Regnum ſuum ab eo auferendum, ac Ieroboam filio tradendum, illiq; unam tantum tribum relinquendam. Vt remaneant (ait) Lucerna Dauid, & rurſus Cap. 15. de Abia ſcriptum eſt, propter Dauid dedit tibi Dominus Lucernam in Ieruſalem, ut ſuſcitaret filium eius poſt eum, Cum dicat igitur Vates, Paraſſe Deum Lucernam Chriſto ſuo, ſignificat poſteritatem illam regiam nunquam deſituram ex qua ſit oriturus Meſſias, quòd Meſſias aduentaret, cui in ea dignitate nullus alius eſſet ſucceſſurus; quando ſolus in omnes ſæculorum ætates eſt regnaturus. Hanc autem Lucernam extinguere Diabolus conatus perſæpe eſt, & Diaboli miniſter Herodes idem fruſtra tentauit, qui ipſam Dauidis poſteritatem funditus delendam curauit, propterea cum ex Magis illis audiſſet natum eſſe Regem Iudæorum

rum

rum, turbatus fuit, & ad illius necem animum adiecit, ſed quoniam parauerat Deus lucernam Chriſto ſuo, Mariam ſanctiſsimã uirginem unà cum Ioſeph qui ambo ſtirps ex radiee Dauidis erant, prolem inclytam cõſeruauit, ex qua natus eſt Chriſtus, qui uocatur Ieſus. Nullo pacto extiugui hæc Lucerna poterat, quæ mundum uniuerſum eſſet illuminatura, cuius adiuti lumine illud inacceſibile lumen uiſuri ſumus. Amen.

INIMICOS EIVS INDVAM CONFVSIONE, SVPER IPSVM AVTEM EFFLOREBIT SANCTIFICATIO MEA:

PLurimos, & maximos hoſtes habet Meſsias, qui Regno, & ſubditis illius inſidientur. Quid intentatum reliquit Diabolus, ut Lucerna Dauid extingueretur, ne ipſe Meſsias diu expectatus aliquando naſceretur? Quid Horodes, quid ſummi ſacerdotes, pontifices, ſcribæ, & phariſæi, qui nunquam animo conquieuerunt, quoad illum in crucem egerint. Quid deinde terrarum Reges, principes, & mundi ſapientes molliti non ſunt, ut Chriſtum cum doctrina, & Regno ſuo extinguerent? Quid hæretici? quid hypocritæ? quid malignantium Eccleſia non fecit, ut Chriſti Regnum uel deleat, uel obſcuret? De his omnibus quid actum, quidue futurum ſit, Andiamus

diui-

diuinum oraculum. Inimicos eius induam confuſione, ideſt omni uituperationum genere operiam, turpiſſimos eos, omniq́ dedecore digniſſimos declarabo, id quod reipſa teſtatum uidemus, ſi Herodem ſi pontifices illos, ſi ſcribas, phariſæos, et Iudaicam illam turbam Chriſto inimicam ſpectemus unà cum his, qui quacunq; ratione Chriſtum extinctũ, et Regnũ illius euerſum uoluerunt, ut teſtimonio res ipſa non egeant.

SVPER IPSVM AVTEM EFFLOREBIT SANCTIFICATIO MEA.

HEbraica æditio habet, Diadema, ſeu corona eius &c. Diadema autem, & corona regum sũt & ſacerdotum inſignia, Hac tamen corona, qui ſuperiores in certaminibus fuerant, uel qui pro rep. maximos labores ſuſtinuiſſent, donabantur. Dicens itaq; Vates futurum, ut Diadema, & Corona Meſſiæ floreat, ſignificat, illum gloria, & honore ab omnibus gentibus proſequendum, hoſtes uerò ſuos Imperio ipſius ſubigendos, iuxta illud, Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Vaticinatur igitur Dauid futurum, ut Meſſias de uniuerſis inimicis ſuis triumphet, ut gloria, & honore ab omnibus decoretur, & perpetuò celebretur. Iuxta illud, Gloria, & honore coronaſti eum, & conſtitui-

ſti

ſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum. Quem ſcripturæ locum D.Paulus interpretans ait, Nunc autem ne dum ei omnia ſubiecta uidemus, eum autē qui modicum, quàm Angeli minoratus eſt, uidemus Ieſum propter paßionem mortis gloria, et honore coronatum. Vidimus (ait D.Ioannes) gloriam eius gloriam quaſi unigeniti à patre plenum gratia, & ueritate &c.

CANTICVM GRAD. XIIII.

PSAL. CXXXII.

ECCE QVAM BONVM, ET QVAM IVCVNDVM HABITARE FRATRES IN VNVM.

SVperiori pſalmo tractauit Pſaltes de templo, quod Iſraeliticus populus erat frequētaturus, ut una fide, ijſdem ritibus, ac ſacrificijs unum Deum coleret. Sub typo aūt templi illius uaticinatus fuit de Meßiæ, & Regno illius, quod eſt Eccleſia, quæ ex utroque populo hebræorum ſcilicet, & gentium erat congreganda. Hoc uerò pſalmo decantat fœlicitatem utriuſque populi, quam ſecum affert ſpiritualis cōiunctio. Vtitur au-

autem elegantiſſimis tropis, figuris, & tranſlationibus ſumptis cum ab unctione Aaron, tum à rore cadente ſuper mortem Hermon, & Syon. Magnitudinem bonorum ex hac populorum coniunctione affluẽtium lætabundus deſcribit, atque ita effatur. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum. Hi Fratres appellari ſolẽt, qui non ſolum cõſanguinitate, & affinitate, uel cognatione aliqua ſunt coniuncti, ſed etiam hi, quos uera religio in fidei ſocietate copulauit propterea hebræi ſeſe inuicem fratres appellabant Exod. 2. & pluribus item locis. Cumq; alij populi cultu, & religione ab hebræis diſſentirent, non appellabantur fratres, ſed per contemptum גוים *ideſt gentes. Quando uerò Meſſiæ opera, & doctrina gentes fidei cultu, & religionis uinculo cum Iudæis iungendæ erant, iuxta illud Lætamini gentes cum plebe eius, Fratrum Nomine uocandæ erant. Quod cum proſpiceret Vates gentes, & hebræos dulciſſimo fidei, & charitatis uinculo copulandos, eas fraterno nomine dignatur, Quia ut docet D. Paulus, omnes fratres ſumus in Chriſto Ieſu, Iam enim non ſunt duo populi, ſublato interſtitio, quo diſiungebantur, lege ſcilicet, & in Chriſto in unum populum coiuere, eadem in domo habitantes, ijſdem legibus, & ritibus unũ Deum per Ieſum Chriſtum colentes. Quid autẽ dicitur unum, niſi charitas*

qua

quæ facit unum? ait D. Auguſtinus. Habitare itaq; in unum eſt unum Deum diligere, unum in illo eſſe, uni ipſi adhærere, & illo uno frui. In unum habitare eſt idem uelle, idem nolle, eſt ſumma diuinarum, & humanarum rerum cum charitate conſenſio, eſt cor unum, & animam unam eſſe. Vnum etenim fiunt cum Deo, & inter ſe inuicem pij, neque tamen inter ſe confunduntur, non aliter, ac multæ lineæ à circumferentia in centrum reflexæ, ſed unum fiunt cum centri puncto. Hinc illud Mercurij, ex diuinitatis, et mentis conſpiratione unum ſpiritum coaleſcere. Huiuſmodi unitas in Meſſiæ Eccleſia reperitur, propterea quòd in ea omnia omnibus æquè miniſtrantur, nec in ea inæqualitas diſſidiorum ſeminarium inuenitur. In Chriſto enim Ieſu nulla eſt acceptio perſonarum. In hac autem Eccleſia in unum habitare bonū, & iucundū eſſe Vates prædicat. Nam ſi (teſte Platone) nil eſt melius, quàm unio, ita nihil perniciosius, quàm diuiſio. Concordia nanq; in ciuitate idem eſt, quod harmonia in Muſica. Dulce ſiquidem eſt nomen pacis, res uerò ipſa tum iucunda, tum ſalutaris. Habitare itaq; extra Eccleſiæ unitatem neque bonum, neq; iucundum, ſed letale, & pernicioſum eſt. Bonum autem, & iucundum ideſt ipſa beatitudo, & felicitas eſt in Eccleſiæ unitate habitare. Bonum niſi & iucundum ſit, moleſtiam parit, iucundum uero niſi

ſi bonum ſit, ſalutare eſſe non poteſt. habitare igitur in Eccleſia ipſa ſalus, ipſa ſuauitas, ipſa iucunditas eſt. Permaneamus itaq; unum, uni hæreamus, ut uno bono omnes fruamur, nempè Deo per Ieſum mediatorem, in unitate Spiritus Sancti.

SICUT UNGUENTUM, QUOD DESCENDIT IN BARBAM BARBAM AARON, QUOD DESCENDIT IN ORAM VESTIMENTI EIUS.

MAndauit olim Deus Moſi Exod. ca. 30. ut ex oleo mirrhæ cinamomi, calami, & caſſiæ unguẽtum conficeret, quod ſanctificationis unguentum appellabatur, quo tabernaculum, menſam, Arcam, candelabrum, altaria, & omnia tabernaculi uaſa inungeret, ac de eo in conſecratione Aaronis, & filiorum eius ſuper eorum caput infunderet, & omnia eorum ueſtimenta imbueret in odorem ſuauiſſimum Domino, id quod etiam Leuit. 8. factum fuit. Quare omnia in templo ſuauiſſimam fragrantiam redolebant, qua animi popularium recreabantur, quo facto declarare uoluit Deus, ut hoc loco teſtatur Vates, q̃ bonum, & quàm iucundum futurum eſſet hebræos, & gentes ſimul habitare, concordes, atque unanimes uirtute Spiritus Sancti fieri. Voluit item ſignificare undenam tanta Chriſtianæ Eccleſiæ profectura

fectura eſſet coniunctio, tantaq́; in membra illius pax defundenda, nempè ex effuſione olei ſuper caput Aaron. Hæc eſt noſtra ſententia ait Philo, pontificē hunc non hominem, ſed Dei uerbum eſſe, quod expers eſt peccatorum omnium, Aaron autem ſūmum & æternum illum ſacerdotem Chriſtum ſecundum ordinem Melchiſedech adumbrat, qui non per ſanguinem hircorum, & uitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta. Hunc unxit Deus præ participibus ſuis oleo lætitiæ, quemadmodum Eſaias teſtatur, Spiritus Domini ſuper me (inquit) eò quòd unxerit me, Perungitur oleo (ait Philo) quia principatus eius ſplendido circumfulget lumine. De quo & D. Petrus Act. 10. Vnxit eum Deus Spiritu Sancto. Ideo autem ſpiritus Sanctus oleo comparatur, quod ſuper omnia humida emineat, nam & de illo teſtatur Moſes, quòd ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas eminet enim ille ſuper omnes creaturas uiuificās eas, impinguat præterea oleum, lenit, ſanat, nutrit, atq; exhilarat, eſt enim Spiritus Paracletus à quo omnia bona promanant. Vnguentum hoc erat apud patrem, & filium quaſi in uaſe repoſitum, cœlos ipſos ſua fragrantia perfundebat, & Angelicos illos ſpiritus uiuificabat, exhilarabatq́;. At poſtquam Dei filius ad nos deſcendit, unà cum illo & Spiritus Sanctus à

pa-

patre deſcēdit, & effuſum eſt unguentum hoc ſuper caput Meſsiæ, atque etiam ſuper omnem carnem, iuxta illud Ioelis 2. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij ueſtri, & filiæ ueſtræ &c. Vnde in Cant. Meßiæ nomen oleum, ſeu unguentum effuſum appellatur. Spiritus enim ſancti muneribus per Chriſtum terra uniuerſa perfuſa eſt. Vnguentum igitur hoc eſt Spiritus ſanctus, quo res, & Sacerdos æternus inunctus eſt Dei filius, quem dedit Deus caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus illius, quæq́ odore unguentorum illius illecta illum diligit, & ſumma charitate ſectatur. Iuxta illud, In odorē unguentorum tuorum curremus. Quin & ipſa hoc lætitiæ oleo pfuſa facta eſt bonus odor Chriſti. A capite autem ad barbā, & à barba ad ueſtimenta defluxit unguentum hoc, & oleum ſanctificationis, quia à Chriſto ad Apoſtolos, ab Apoſtolis ad reliquas omnes Eccleſias bonus Sancti ſpiritus odor, & bonorum omnium fragrantia dimanauit. Apoſtoli autem ob uirilitatem, & animi fortitudinem Chriſti, ſeu Aaronis barba appellantur. Barba etenim uirilitatis eſt indicium. Propterea rogatus Diogenes cur prolixam barbam nutriret, reſpondiſſe fertur, ut eam tangendo me uirum eſſe recorder. Eccleſia itaque Chriſti uno ſpiritu uiuificatur, nulla in ea diſcordia, nullum dißidium inuenitur, quamuis in

ea aliud ſit caput, aliud barba, & aliud ueſtimētum, ideſt quamuis diuerſa habeat membra, omnia tamen eādem redolent ueritatis, & unitatis fragrantiam. Vt enim in multorum unguentorum fragrantia, ita multorum munerum unitas eſt in Eccleſia. in Chriſto (ait D. Auguſtinus) multi unū ſunt, & ſi alius aliud, & alius aliud, aut alius aliter & alius aliter, uera tamen omnes dicunt, nec ſibi ullo modo contraria, ſi pius lector accedat, ſi mitis legat, ſi non hæretico animo unde rixetur, ſed fideli corde unde ædificetur, inquirat. Nulla itaq; in Chriſti Eccleſia diſcrepatio, quoniam ea una eſt, uno ſpiritu agitur, & in ea omnia ordine fiunt. Affirmat autem Pſaltes, omnes quicunque ſint in Eccleſia, Spiritus ſancti muneribus ornari, modo capiti hæreant, quandoquidem non caput ſolum Aaronis, & barba, ſed ueſtimenta etiam ipſius unguento perfunduntur uſque ad oram, quo ſignificatur quicunque uſque ad nouiſſima tempora, in Chriſtiana Eccleſia, & fidei unitate uixerint, Spiritus ſancti oleo inungendos. Significat item Vates hac Aaronis, & unguenti metaphora ea omnia, quæ diuinitus olim patribus præcepta erant, typum eſſe earum rerum, quæ Meſsiæ tempore in Regno ipſius, & Eccleſia futura erant, eaq́; aliud in fronte, aliud in receſſu habere, quæ non omnibus,

ſed

ſed iis tantùm, qui exercitatos haberent ſenſus, nota erant.

SICVT ROS HERMON, QVI DESCENDIT IN MONTE SYON.

HIc rurſus comparat Eccleſiam Chriſti duobus montibus, quorum alter erat extra terræ ſanctæ limites, ideſt citra Iordanem, Hermon ſcilicet, Alter uerò in ipſa terra ſancta, in quo metropolis Iudææ Hieruſalem condita erat. Duobus autem his montibus ſignificat duos populos, quorum alter extra fines Regni Dei erat, & in Diaboli ditione, ac tyrannide tenebatur, Alter uerò nempè Iſraeliticus, habebat oracula, uerum Dei cultum, & ueram Dei cognitionem. Qui quidem populi quamuis aliàs fide, religione, & ritibus eſſent diſsimiles, & alieni, Meſsiæ tamen tempore eodem cæleſti rore fœcundandi erant, quia in omnes nationes gratia Dei diffundenda erat, cuius rei myſterium ſub Gedeone præceſſerat, qui prius petijt uellus totum, non autem reliquam Areæ partem, Mox uerò totam aream, non autem uellus cæleſti rore madefieri, quia gratia Spiritus ſancti, & uerbum Euangelij pacis ad Iudæos primùm, non autem ad gentes, paulò poſt uerò ad gentes etiam delatnm eſt. Vellus

itaque, & Arca uno rore madefacti docebant gentes ſimul, & hebræos uno ſpiritu coniungendos, Ad quod Vates alluſiſſe uidetur Pſalmo. 71. cum dicit, Deſcendit ſicut pluuia in uellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Super utrunque igitur montem Hermon, & Syon, ideſt tam ſuper gentes quàm ſuper hebræos gratia ſpiritus ſancti per uerbũ Dei deſcenſura erat, quæ duos inter ſe populos copularet, & cum Deo coniungeret, fæcundos, & feraces efficeret, ut pænitentiæ, & iuſtitiæ fructus efficerent. Rori autem cœleſti Spiritus ſanctus, & uerbũ Dei comparatur, quia (ut Philo ait) per circuitum totam animã complectitur, & nullam eius partem ſui expertem relinquit, eſtq́ tenuis, qui percipiatur, & intelligatur, pellucidusq́ ualdè, ac purus aſpectus, coriano ſimilis, cuius particulæ non minus quàm integer germinare ſolent, Sed Pluuiæ etiã uerbum Dei comparatur, iuxta illud Moſis, Deſcendat ſicut pluuia eloquium meum, propterea quòd terram noſtram arentem irroret ab æſtu imminentium malorum, & tentationum, quòd corda noſtra fœcundet, & in ipſis fidei radices, ramos ſpei, & charitatis fructus enutriat, ac omnia nobis bona communicet. Pluuia nanque quamuis una ſit, multiplices tamen fructus parit abſque diſcordia, Ros enim è cœlo cadens aliter in radi-

ce,

ce, aliter in ramis, aliter in floribus, aliter denique in fructibus agit, nec eodem ſemper modo in his agit, idem tamen eſt ſemper in omnibus, & omnia inter ſe ita conciliat, ut nullum ſit inter ipſa diſsidium, ſed potius ſumma concordia, quemadmodum metaphora humani corporis D. Paulus declarat, in quo quamuis multa, diuerſaq́; ſint membra, quæ uarios habent actus, ſumma tamen concordia, & quaſi harmonia quadam coniuncta ſunt, ut quodq́; aſſignatum ſibi munus obiens alterius nihil uſurpet. Ita in Chriſti Eccleſia alij alia habent munera, hic mas, illa fœmina, hic pauper, ille diues, hic ſacerdos, ille popularis, uno tamen cœli rore omnes renaſcimur, Dei filijs adoptamur, eoq́; cultu nutrimur, ut dignos pœnitentiæ, & fidei fructus ferre poſsimus.

QVONIAM ILLIC MANDAVIT DOMINVS BENEDICTIONEM, ET VITAM VSQVE IN SECVLVM.

VEriſsimum illud ſeruatoris dictum, Omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur, ut enim concordia paruæ res creſcunt, ita diſcordia maximæ dilabuntur. Vbi igitur fratres in unum habitant, & cum ſumma animorum coniunctione degunt, ibi ideſt in Chriſti Eccleſia eſt Deus, ubi uerò ipſe eſt, ibi rerum omnium tum cœleſtium, tum terreſtrium benedictio

eſt, ibi Spiritus Sãctus diuina ſua munera largiſſimè impertit, ibi uerbum, ibi Sacramenta ſunt, Nõ enim de concordia impiorum hæc intelligi poſſunt, quæ coniuratio poſſit, & Synagoga Sathanæ appellari. Nam ubi impiorum cætus eſt, nulla illic benedictio, ſed maledictio, nulla gratia, ſed ira Dei, ſed poteſtas Sathanæ, & ſempiterna mors eſt.

ET VITAM VSQVE IN SECVLVM.

EXtra Chriſti Eccleſiam poſſunt eſſe diuitiæ, honores, & dignitates, extra Eccleſiam reperiri facilè poteſt rerum omnium abundantia, ac diuturna uita. At benedictio illa in cœleſtib. qua nobis in Chriſto benedixit nuſquàm reperietur, niſi in Eccleſia, extra quam nulla uita, ſed mors eſt potius ſempiterna. Illic enim tãtummodo benedictionem eſſe uoluit, ubi fratres eodem fidei, & charitatis nixu iunguntur per unum mediatorem Dei, et hominum Ieſum Chriſtum, quos ille dilexit, & tradidit ſeipſum pro eis. Nec mirum ſi extra Eccleſiam non benedictio, ſed maledictio, non uita, ſed mors eſt, quoniam in ea Deus tanquàm in domo ſua reperitur, Deus ſtetit in medio Deorum, extra Eccleſiam exulat Diabolus peccati, & mortis author, & oberrat quærens, ſi quem extra Eccleſiam, quaſi agnum ab ouili aberrantem deuoret. Reſtat, ut idem ſentiamus omnes, coniun-

cti fidei, & amoris uinculo maneamus, ut Diaboli inſidias deuitemus, ut unum cum Deo patre ſimus, qui idem eſt cum filio & Spiritu Sancto Amen.

CANTICVM GRAD. XV.

PSAL. CXXXIII.

ECCE NVNC BENEDICITE DOMINVM OMNES SERVI DOMINI.

INnumerabilia quidē, et maxima beneficia ſunt, quibus nos continenter cumulat Deus, pro quibus maximè atq; immortales agendæ ſunt largitori gratiæ. Illud uerò unum omnium maximum, quòd nos in Regni ſui conſortium aſciuerit. Nosq́; Reges, et Sacerdotes cōſtituerit, qua de re quantas maximas poſſumus illi habere, & agere gratias debemus, cuius ſanè debiti officij ſine intermiſſione colendi nos admonet D. Paulus, Gratias (inquit Coloſſenſibus) agentes Deo patri, qui idoneos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in Regnum filij dilectionis ſuæ, quibus quidem uerbis huius loci ſententia declarata eſt.

Quid enim aliud eſt, Ecce nunc &c. quàm ſi dicas, Ecce nunc tempus acceptabile, dies ſalutis, annus retributionis. Poſtquàm plenitudo temporis uenit. Poſtquàm ad bonorum omniũ faſtigium euecti eſtis, (qui enim filium nobis dedit, quomodo non omnia ſimul cum illo donauit) nihil deeſt uobis in ulla gratia, diuites facti eſtis in illo, omnia in illo, & per illum feliciſſimo hoc tempore accepiſtis. Ecce nunc ſerui Domini, qui aliàs Diabolo uenundati, peccati, mortisq́ mancipia eratis, nunc à miſerrima illa, & duriſſima ſeruitute uindicati ſerui facti eſtis iuſtitiæ, ut ſeruiatis Deo, apud quem non eſt miſera conditio ſeruiendi, quandoquidem illi ſeruire regnare eſt, eſt Diabolum, peccatum, & mortem ſeruitute premere, eſt inimicis, & tyrannis crudiliſſimis dominari, eſt demum uerè liberum eſſe. En igitur rem admiratione lætitia, & omni acceptione dignam, Serui Domini benedicite Domino: Hoc unum pro muneribus tantis à uobis exigit Deus, idq́ non ſuo, ſed noſtro potius beneficio, ne in tam largum, & munificum Dominũ ingrati aliquando ſimus, ne fortè noſtra ingratitudine fiat, ut quibus nos cumulauit bonis, ea amittamus, & ſempiternis ſupplicijs digni reperiamur. Benedite itaque Dominum, ideſt omnes illi laudes perſoluite, omnes gratias agite, illi omnia acceptum referte, Omnia illius miſericordiæ aſcribite, nihil

uobis arrogate, ab illo toti pendete, ille fidite, illum amate, illum imitemini, in illo tantùm, et in Cruce illius gloriamini. Hoc demum eſt Dominum benedici, ſi ſic uiuatur, ut per cuiuſq; mores ille laudetur. Nam qui uerbis tantùm benedicit Dominum, factis autem maledicit, non benedicit, ſed execratur potius, iuxta illud, propter uos nomen meum blaſphematur inter gentes.

QVIS STATIS IN DOMO DOMINI:

QVi extra Eccleſiam ſunt, non ſerui ſed hoſtes ſunt, ſeruus enim manet in domo, ut Domino ſeruiat, extra Eccleſiam nulla benedictio, nulla Domini laus exaudieur, ſed blaſphemia, ſed hominum, & creaturarum laus, In domo autem Domini non niſi Dominus celebratur. Qui habitant in domo tua (ait aliàs Vates), in ſeculum ſeculi laudabunt te, Extra domum Domini uel ipſi Dæmones laudibus tolluntur, & pro Dijs coluntur, uirtutes & hominum merita magnificantur, In domo autem Domini ſolus dominus magnificatur, iuxta illud Eſaiæ; Exaltabitur autem dominus in die illa, quod non faciunt infideles, neque hebræi, neque hæretici, hi nanque ſeipſos tantùm, & quæ ſua ſunt celebrant, & laudibus efferunt. Laudare igitur dominum nō ſacerdotū, aut leuitarum tantùm eſt, quamuis eorum in primis

mis illud interſit, ſed & omnium eſt, quicumque in Chriſti Eccleſia renati ſunt.

IN NOCTIBVS EXTOLLITE MANVS VESTRAS IN SANCTA ET BENEDICITE DOMINVM.

CVm nullū ſit temporis ſpatium, quo diuinis beneficiis non fruamur, æquū eſt, ut perpetuas benefactori gratias agamus, quando referre nullo modo poßimus. Benedicam (inquit alias Vates) dominum in om̄ni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Non interdiu, ſed noctu etiam in agendis gratiis nos occupari conuenit, Nunquam interiora noſtra (ait D. Auguſtinus) ſilere debent à benedictione Domini, alternent pro tampore ſonos uocū, perpetua ſit uox interiorū, cum conuenis ad eccleſiam, hymnum dicere, ſonet uox tua laudes Dei, dixiſti quantum potuiſti, diſceßiſti, ſonet anima tua laudes Dei, negotium agis, laudet anima tua dominum, cibum capis, uide quid præcipiat Apoſtolus, ſiue manducatis, ſiue bibitis, omnia in gloriam Dei facite, Audeo dicere, cum dormis benedicat anima tua Dominum innocentia tua etiam in dormiēte eſt uox animæ tuæ. Hæc ille. In noctibus itaq; (ait) Extollite manus ueſtras in ſancta, & beuedicite Dominum. Tertullianus in apologetico aduerſus gentes teſtatur, Plinium ſecundum Traiano ſcripſiſſe, nihil aliud de Chriſtia-

norum

norum ſacris comperiſſe, quàm cætus ante lucanos ad canendum Chriſto & Deo, & ad confæderandam diſciplinam, Quo quidem teſtimonio comprobatur conſuetudinem illam canendi matutiuas horas non eſſe nuper in Eccleſiam inuectam, ſed à ſanctis patribus initium habuiſſe, ut non modò interdiu ſed noctu etiam benedicerent dominum. Ad Sancta autem ideo iubet manus extolli, ut ab ipſo templo, uel à cultu potius, qui Deo præſtabatur in templo, omnem opem auxilium, & præſidium expectarent, & ſublatis ad cœlum manibus omnia Deo accepta referrent. Orando autem iccirco manus leuabant, ut ſimul etiam Animi affectus in Deum eleuãdos intelligerent, ut non uerbis, non geſtibus tantùm, ſed opere, & ueritate Deus laudarent, propterea repetit, Extollite manu ueſtras.

BENEDICAT TIBI DOMINVS EX SION QVI FECIT CAELVM ET TERRAM.

GRaduales Pſalmos benedictione Domini concludit Pſaltes, precans omnia fauſta, & felicia uiro pio, per ipſos gradus ad Deum aſcẽdenti. Benedictus Deus (ait D. Paulus) qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto. Benedicit autem Deus non aliundè quàm ex Syon, quæ eſt Eccleſia, quadoquidem Eccleſiam delegit ſibi in hæ-

hæreditatem, & fundum, in quem largã, & omnimodam ſuam benedictionem effunderet, Eccleſia eſt ager ille, cui benedixit Dominus. Hanc autem ſpiritualẽ, & cœleſtem benedictionem nemo ſperet ſe conſecuturum extra Syon, ideſt extra Eccleſiam, ex Syõ enim ſpecies decoris eius. Quis autem ſit hic Deus, qualiſue, & quanta ſit illius benedictio, declarat, Qui fecit cœlum, & terram, Non enim eſt Deus, qui factus ſit, ſed qui potius fecit cœlum, & terram, nec id quidem ex aliqua præiacente materia, ſed ſola ſua locupleti, & æterna benedictione. hac etenim condidit cœlum, & terram, eaq́; præclariſſimis, & innumerabilibus bonis ornauit. Hæc nos quoque benedicens ex Syõ bonis omnibus cumulatos reddet. Benedicite itaque omnes Serui dominum, ut ab ipſo cœleſtem, & ſempiternam benedictionem accipientes, Beati in ſempiternas ſæculorum ætates uiuamus. Amen.

FINIS

*Folio 3. lin. 1 acceperāt. acceperat, 4. 9. ullā nullā 6. 19. Alleſſandro, Aleßā
dra 10. 16. hac iſte, hac ille. 11. 21. declaretur, declaratur. ibi. 5. iſtius illius
ibi. p. 2. 17. nec, ne. 12. 14. intelligēdis in intelligendis 14. 17. poſſit, poſſet. 16.
pag. 2. 12, male malo. 15. pag. 2. 5. adipiſcimus adipiſcimur. 16. pag. 2. 20.
deq; Deoq; 18. 12. immaculatam immaculatum. ibid. 15. habere haberi.
ibid. 24. leges, legis. 21. pag. 2. 3. uno unum. 22. pag. 2. 17. maximas maximos
ibid. 35. nemo ſit, nemo. ibid. ultima & eſt, 23. 7. ſuas tuas. ibid. 21. mea, non.
24. 22. ſibi tibi. 25. 22. facturus, Omnia, facturus omnia, 28 שגג, שרך 30. 3.
patris patres ibi. pag. 2. 9. in precipue, precipue. 34. p. 2. 24 quiquā, quiquum
35. 23, examnantur, examinatur. 39. 23. accerebatur, accerſebatur. ibid. ult.
&, ex. 40. pag. 2. 14. interra, interea. 48. 19. חנן : חכך 49. ultima tuis,
tuus. 53. 6. expletione, expletionem. 56. pag. 2 penultima partem, parum. 59.
18. compectatur complectatur. 61. p. 6. poterunt, poterit. ibid. penultima non
fellat fallat 62. ultima & ſi eſt, & ſi ad. 65. 21. eum cum ibid. 25. gent. gen-
tes. 67. 24 pollicere, polliceri, 72. 14 נחם, בחם pag. 2. 6. deriderent, deri-
dent. 75. 23. ſapientia ſapientiam. 29. pag. 2. 9. appellantur, appellatur. 81. p.
2. 1. eſt ſi neque, & ſi. 82. p. 2. 13. colorer, colerer. 83. p. 10 colore colere 86.
12, 10 ignonans ignoranter 89 6. conuenit, conueniunt 7. conuenit conue-
niunt 90. 2, cyprius, cyteius. 91. 2, poteſtas eius, poteſtas. 94. p. 2. 9. nitentem,
nitenti. ibid. li. 27. iuſta, iuſti. 98. 19. ui, ut. pag. 2. illij, illi. 103. 2. 10 ſibi, tibi.
105, 2. 8. biu, bic. 109. 2, 20. iſtud, illam. 110. 19. mutate, mutata ibid. 20.
immutata, mutata ibid. 21. &, ex ibid. pag. 2. 11 illud uerbi, uerbi. 120. 4. ut,
&. 121. pag. 2. lin. 2. quæ in, quæ cum, 122. p. 2. 66. ingrediendum, ingredien
dam 128 pag. 2. lin. 4. ut, &. 130. 18. orat, arate, ibi. 20 proſperes proſperos,
136. cauendam, cauendum, 142. 10. tum, eum. 143 philo) per, philo) ſignifi-
cat per, ibid: 17. operante, operantem. ultima in pondere, pondere. 163. pag. 2
17. eam, cum 168. pag. 2. 7. uiuer, uiuere. 174. 5. unumquenq; unumquenq;,
cum unumquenq;. 176. 21. his, lis. 178. ſi ad, ſi ab. 180. 7. ſuam, tuam. 182.
10. clamant, clamat. 185. 13. monentur, mouentur 210. p. 2. 17. diiungerent,
diſiungerent 215. 12. omnia, oēs. ibi. 225, pen. iſtius, illius. p. 2. 10. fideliſſimā
fideliſſimum 217. 15. hipocrita, hypocritæ 222. p. 2. 10. eum, cum 223. 22.
nobis, nobis 26 ſolo, ſub 226. p. 2. 4. cæleſtem, terreſtrē. ibid. quod ueſtri Dei,
quod Dei 230. 2. ille, illo 235. penul. a quo, a qua 241. 24. motu, metu 246, 3.
Iſraeli Iſraelita. ibid. 10. ipſa, ipſam. ibid. 13, acceptum: acceptam 247. 19.
הארץ : האין 249. p. 2. 3. Hæc iſte, Hæc illi. 250. p. 2. 10. peromnium, perſom
nium 251. 21. eum Syon, cum Syon. ibid. p. 2. 15. רבה : רנה, ibid. 18. lauden
tes, laudantes 252. p. 2. 19. עמנו : עמכו 253. p. 2. 16. quia, qui 254. 25. &
nouiſſimus, nouiſſima, ibid. p. 2. 7. נגב : בגב ibid. 8. ſterile, ſterili, ibid. 16. fa-*

con

condateq;,facundatiq; 257.7.iſtius,illius 258.comparauit id eſt, comparauit 259.20.ut,ui 260.p.2.22.glorietur:gloriatur 262.p.2.8. ferendum; ferendam 265.20.qua, quam 269 ſabateret,ſabbatiſet 270.p.2.3. יה:הי *ibi.* איש:שיא אשא:אשה *ibid.* יה:הי *271.p.2.28.uita:uite 273.4.ſunt; quibus, ſunt.Quibus ibid.24.uerum,uirum:ibid.pag.2.3.deligerat, delegerat ibid. 22 contendit,concedit ibid.24.cumulatas id,cumulatas,idq; 276.6.probentur,probetur.ibid.p.2.24.excreuit,exercuit 279.p.2.4.infeſta,infecta 281 p.2.7.ſui,tui,ibid.19.in,ui.284.p.2.25.disſimiles,dißimilis 285.18.& & ibid.19.* תורא:תירא *ibid.25.* תירא:תורא *pag.2.1.timueris, timearis 286.p.2.11.ſuſtinuit,ſuſtinui 288.8.Tam, iam ibid.p.2.3.uniuerſi, uniuerſe.289.10.obliuiſcatur,obliuiſcantur.293.p.2.18.ſperet,ſperent. 295.p.2.7.ara,area ibid 9.aram,aream.ibi.22.occidione,occiſione.296.6. culpam, culpa ibi.8.hoſtis,hoſtijs.ibi.10.exprandum,expiandum,ibi 22. meoor; memor.ibid.24.abſolut,abſolutè,ibid.p.2.14.inouaueret, inonauerat.297.5. æſtante,aſtante.298.9.ripoſita,repoſita.299.1.erecturam,erecturum. ibid. exiſtinet,exiſtimet ibi.21.ille,illi.ibid.22.Arca,area.ibi.p.2.1. Arcam, aream.ibi.9.Arca,area,ibi.16.Arcam,aream.ibid, 20.Arcam,aream 300. Arcam,aream.ibid p.2.24.Arca,area 301.ult.Arcam,aream.303. 6. nouerat,nouerant.10.Sanctißimi,ſanctißimis 305.p.2.4.quonia,quoniam 308 9.hoc non,hos.310 p.2.22.aut.autem.312.p.2.4.uacationem, uocationem. 5.patentes,potentes.313.19.uetere,ueteri.p.2.23.conplentur, complentur, 314.p.2.15.delitandum,dilatandum.315.2.17.Horodes,Herodes. ult. andiamus,audiamus.316.turaam,turbam.8.egeant,egeat. 322. 10. maximè, maxime.323.9.Quis,Qui.*

Vita Nova
di M. Sillitti
Latina-(B. Piave)

1969